Dogm. 421 m

Compendium

dogmatum christiano - catholicorum systematicum

edidit

F. W. Goldwitzer,

Parochus Buechenbachii.

Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν.
Joan. 17, 3.

Cum facultate Reverendissimi Vicariatus Generalis Archiepiscopatus Bambergensis.

Solisbaci,
typis ac sumtibus Joan. Esaiae de Seidel,
MDCCCXXIV.

Approbatio.

Cum praesens compendium dogmatum Christiano-Catholicorum systematicum a F. W. Goldwitzer parocho Büchenbachii conscriptum nihil catholicae fidei, aut bonis moribus adversum contineat; ut typis mandari valeat, facultas hisce conceditur.

Bambergae die 25. July 1822.

Vicariatus Generalis Archiepiscopatus Bambergensis.

J. F. Oesterreicher.

Betz.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Ad majorem Dei gloriam.

En compendium dogmatum christiano-catholicorum, quod nonnullis, cum opera clariss. virorum Wiest, Kluepfel, Brenner, Dobmeier, Liebermann etc. praesto sint, vere superfluum videbitur; at, benevole lector, illo perlecto aliam feres sententiam; invenies quippe in eo permulta, quae in operibus, licet voluminosis, aut penitus omissa aut obiter tractata sint; hinc auctor, probe gnarus, tentamen ejusmodi haud mediocrem esse operam, compendium hoc, adjuvante Deo, absolvit, simulque libenter fatetur, huic systemati et suos esse naevos, cum in hoc orbe terrarum nihil perfecti existere possit et insuper facilius sit vituperare quam emendare. Nec deerunt, qui auctorem ideo vituperent, quod operi suo, suadente aetatis genio, novam non induerit formam, queis censoribus dictum esto: „*οὐ γὰρ ἔκρινα του εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον.*“ Argumenta ex s. scriptura desumta cum textu originali, ubi necesse fuit, integre proponuntur, partim, ut harmonia textus originalis cum Vulgata vel quoad verbum, vel quoad sensum ostendatur; partim ut theologus, uti decet, lingua originali imbuatur; qua de causa textus hebraicus signis vocalibus

aut characteristicis praeditus ad exercendum editur. In argumentis ex traditione petitis locus unicus isque principalior integre affertur, caeteri autem tantummodo citantur, summa locorum citatorum, ubi necesse, in fine apposita; sicque omissis discussionibus historicis et polemicis, quae ad objectum studii specialis rejiciuntur, dogma solum purum et integrum tractatur, praevia per me licet introductione brevi, quae suo tempore sub alio titulo perfectius ampliata prelo typographico mandabitur.

Det Dominus, Deus ter optimus et maximus, a quo omne bonum provenit, huic operi incrementum; id quod ardentissime exoptat

Buechenbachii prope Erlangam
1823.

F. W. Goldwitzer,
Parochus regio-bavaricus.

Index

Index hujus libri.

Introductio brevis §§.

Cap. I. Religio 1
1) naturalis 2
Cap. II. 2) revelata. Existentia ejusdem 3
1) Moyses 4
2) Prophetae 5
3) Joannes Baptista 6
4) Jesus Christus 7
5) Apostoli 8
Fontes revelationis
1) sac. scriptura 9
2) traditio 10
Cap. III. Ecclesia christiano-catholica
1) natura et indoles 11
2) hierarchia ecclesiastica 12
1) diaconi 13
2) presbyteri 14
3) episcopi 15
4) primatus Petri 16
3) infallibilitas ecclesiae 17

Dogmatica.

Sect. I. Theologia biblica.

Cap. I. Deus unus in essentia 1
1) spiritus 2
2) Deus aeternus 3
3) Deus omnipotens, immensus 4
4) Deus omniscius, imperscrutabilis 5
5) Deus sapientissimus 6
6) Deus omnipotens 7
7) Deus immutabilis 8
8) — libera voluntate praeditus 9
9) — infinite bonus, longanimis et misericors . . 10
10) — sanctissimus 11
11) — justissimus 12
12) — veracissimus 13

§§.
13) — fidelissimus 14
14) — beatissimus 15
15) — perfectissimus 16

Cap. II. Deus trinus in personis 17
I. Argumenta generalia 18
II. — — — specialia
I. Pater — verus Deus 19
II. Filius — verus Deus 20
III. Spiritus sanctus — verus Deus 21

Sect. II. Cosmologia biblica.

Cap. I. Creatio mundi 22
Cap. II. Conservatio et gubernatio mundi seu providentia . 23
Cap. III. Finis mundi et consummatio saeculi . . . 24

Sect. III. Pneumatologia biblica

Cap. I. Angeli boni
1) existentia angelorum 25
2) natura et proprietates 26
3) munus et habitus ad hominem 27

Cap. II. Angeli mali
I. Diabolus
1) existentia diaboli 28
2) natura et proprietates 29
3) destructio regni diabolici et poena 30
II. Daemones
1) existentia daemonum 31
2) natura et proprietates 32
3) influxus in homines, destructio et poena . . . 33

Sect. IV. Anthropologia biblica.

Cap. I. Creatio primi hominis 34
Cap. II. Status protoparentum 35
Cap. III. Peccatum eorum 36
Cap. IV. Sequelae ex peccato ortae 37

Sect. V. Christologia biblica.

Cap. I. Christus, praefiguratus Messias 38
Cap. II. — — Filius Dei 39
Cap. III. — — — — hominis et Theanthropos . . . 40
Cap. IV. — — mundi redemtor 41

Sect. VI. Oeconomia biblica. §§.

Cap. I. Gratia 42

Cap. II. Sacramenta in genere 43

Cap. III. — I. Baptismus 44

1) baptismus Joannis 45

2) — — — Christi et quidem

1) institutio 46

2) essentia 47

3) effectus 48

4) necessitas 49

5) minister legitimus 50

6) subjectum 51

7) baptismus sanguinis et flaminis 52

Cap. IV. — II. Confirmatio

1) institutio 53

2) essentia 54

3) effectus 55

4) minister 56

5) subjectum 57

Cap. V. — III. Eucharistia.

1) promissio instituendae eucharistiae 58

2) institutio 59

3) essentia 60

4) necessitas — modus sumendi 61

5) effectus 62

6) minister 63

7) subjectum 64

8) eucharistia, sacrificium N. T. 65

Cap. VI. — IV. Poenitentia.

1) institutio 66

2) essentia 67

3) effectus 68

4) minister 69

5) subjectum 70

Cap. VII. — V. Unctio.

1) origo et institutio 71

2) essentia 72

3) effectus 73

4) minister 74

5) subjectum 75

Cap. VIII. — VI. Ordo.

1) institutio 76

2) essentia 77

§§.
3) effectus 78
4) minister 79
5) subjectum 80

Cap. IX. — VII. Matrimonium.
1) origo et institutio 81
2) essentia 82
3) effectus 83
4) minister et subjectum 84
5) indissolubilitas 85

Sect. VII. Athanasiologia et Eschatologia biblica

Cap. I. Immortalitas animae 86
Cap. II. Praedestinatio 87
Cap. III. Status impiorum post mortem 88
Cap. IV. Status piorum post mortem 89
1) de cultu sanctorum 90
2) — — — reliquiarum 91
3) — — — imaginum 92
Cap. V. Purgatorium 93
Cap. VI. Resurrectio mortuorum — extremum judicium . 94

Intro-

Introductio brevis

in

Systema dogmaticum.

Caput I.

§. 1.

Religio.

Deum, id est, ens supremum, perfectissimum, aeternum, independens, quod Universum hoc creavit et secundum leges morales gubernat, existere, unanimis generis humani vox est.

Conceptus de Deo est universalis — inter omnes gentes — sub diversis licet formis; hinc iste conceptus

a) nec fictus est aut excogitatus; oritur enim ex ratione evigilante et sese exserente, estque hujus nobilitas;

b) nec politica creatura; legislatores enim conceptum de Deo non invenerunt, aut produxerunt, sed eo tantummodo usi sunt;

c) nec timoris effectus; timor enim conceptum de daemonibus producere quidem valuit, dicente Lucano:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua coelo
Fulmina dum caderent,

sed non conceptum de Deo uno, perfectissimo etc.

Existentia Dei pluribus nititur rationis argumentis et quidem

a) *ontologico* (a priori), vi cujus Deus ceu ens realissimum existere debet (sic S. Anselmus et Carthesius);

b) *cosmologico* (a priori comparative), vi cujus de conditionato ad inconditionatum seu necessarium, de fundato ad fundamentum, de entibus creatis ad creatorem etc. concluditur;

c) *physico-theologico* seu *teleologico* (a posteriori), vi cujus de effectibus ad causam principalem seu finalem, de rerum ordine et proportione ad rectorem sapientissimum et gubernatorem omnipotentem etc. concluditur (sic sancti patres);

d) *morali* (ex ratione theoretico-practica), vi cujus virtus cum felicitate huic proportionata tanquam finis supremus ab ente supremo necessarie perficiendus proponitur (sic Kant); quod argumentum, dicente ipso inventore, tum validum erit, si cum prioribus ex analogia desumtis conjungatur; insuper ratio non potest esse, nisi unica, in toto, non semihomine;

e) *aesthmatico* seu *sensuali*, vi cujus homo non extra, Deum, sed in Deo est etc. (sic Schelling);

f) *universali* seu *universalismo*, uniente argumentum physico-theologicum, morale et aesthmaticum ad totalitatem conceptus, persuasionis et applicationis, cum homo sit ens cogitans, volens et sentiens (sic Kaiser).

Haec argumenta accuratius ad enucleanda philosophiae morali relinquitur; sacra enim scriptura existentiam Dei jam demonstratam supponit Gen. 1, 1. „In principio creavit Deus (אֱלֹהִים ceu pluralis majestaticus, negantibus per me licet Dr. Kaiser et aliis.)

Cum Deus existit, non potest non adesse cultus ei exhibendus; indifferentiam enim erga ens supremum sensus ipse moralis perhorrescit; hinc idea religionis.

Religio est fides in Deum ex cognitione de ipso orta, — et cultus huic cognitioni accomodatus, — indeque exoriens hominis cum Deo reunio; requiritur ergo

a) fides in Deum, ex cognitione de eodem, ceu creatore, conservatore et gubernatore mundi et legislatore morali orta; S. scriptura sic exprimit: לֵב, *φρονημα, καρδια, πνευμα*;

b) cultus huic cognitioni accomodatus; sensus quippe et actiones huic cognitioni et fidei respondeant necesse est; s. scriptura utrumque simul denotat: Φοβος Θεου, δουλεια, λατρεια, θρησκεια, ἐυσεβεια, δοξαζειν τον Θεον, τιμαν τον Θεον; inde fit

c) reunio hominis cum Deo; hoc additamentum non solum doctrinam, sed et factum christiano — catholicae religionis edicit; in se quippe continet praeter cognitionem et cultum Dei statum innocentiae, justitiae et sanctitatis, in qua homo a Deo creatus est; defectum per peccatum commissum; et redemtionem a peccato; haec hominis cum Deo reunio ortum nostrum, existentiam nostram, metam et finem nostrum in lucem edit clarissimam et quam maxime veram.

Huic definitioni prope accedit illa S. Augustini dicentis: religio est theoretica et practica agnitio originalis vinculi inter Deum et hominem; hoc vinculum est duplex: a) physicum, vi cujus omne per Deum et in Deo est, consistit, vivit et in ipso vi naturae et necessitatis finem et legem habet; b) morale, vi cujus omnes intelligentiae existentiam suam a Deo et in Deo per conscientiam et libertatem agnoscunt et repraesentant; hinc, uti ex dictis patet, Winter (deutsches kritisches Meſsbuch §. 9), Michl (Kirchenrecht §. 1.) et Frey (kritischer Commentar §. 1) religionem minus accurate definiverunt.

Origo religionis sita non est

a) in originaria principum et legislatorum astutia (contra Critiam in Sext. 9, 17. 54); singuli enim religionem aeque minus, ac visum, excogitare potuerunt;

b) in originario hominis ideas producendi (zu idealisiren) studio (Sext. 10, 45);

c) in gaudio et animi gratitudine (contra Stoicos Cic. de nat. Deor. 1, 15 — 2, 5);

d) in timore aut tacita naturae tam fertiliter exornatae admiratione (contra Hume Gesch. der Relig.), aut in phaenomeno quodam terribili v. g. igne (contra Franc. de Spaun);

e) in singulari quodam Theosophiae organo (contra Gall);

f) in astrologia (contra Wunsch); sed in subjectiva et objectiva relatione hominis creati ad Deum creatorem, filii ad patrem, membri ad caput — unita cum mundi et naturae contemplatione.

Officium seu obligatio ad religionem his nititur argumentis:

a) homo ad similitudinem et imaginem Dei creatus (Gen. 1, 26) et ad finem certum attingendum existentiam suam nactus, nonne illum noscat et colat, per quem est et vivit?

b) Homo omne bonum a Deo habet; hinc ab eo plane dependet; nonne maxima est stultitia, ab eo separari, qui quovis momento, quidquid possidet mortalis, subtrahere possit?

c) Deus est pater, caput magnae hujus familiae, cujus membrum etiam homo, nonne maxima est rebellio, si filius patrem, creatura creatorem, membrum familiae caput ejusdem dignoscat, aut in vanum habeat?

Obligatione ad religionem demonstrata utilitas ejus per se patet cfr. Schwarz Religionshandbuch ed. 1793. Band 1 S. 41 — 59.

§. 2.

Divisionibus variis omissis huc recensetur divisio religionis

1) in naturalem seu rationalem

2) in supernaturalem seu positivam aut revelatam.

I. *Religio naturalis seu rationalis.*

Religio naturalis seu rationalis vocatur, si auxiliante ratione et consideratis natura et mundo Deus ejusque voluntas per conscientiae vocem agnoscitur; quam religionem licet necessariam ad salutem haud sufficere sic demonstratur.

a) *Homines* sapientissimi in judiciis suis de Deo et obligatione in eum modo ex ignorantia, modo ex opinionibus falsis in devia pervenere, unde orta immoralitas effusissima ad Rom. 1, 21 — 32, en religionem veterum ethnicorum v. g. Aegyptiorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, Germanorum et hodiernorum v. g. in Asia, Africa, America et India meridionali cfr. Zimmermanns Taschenbuch der Reisen et alia.

b) Ratio sola homini certo et definito modo dicere non valet, quid, si peccaverit, agendum sit, ut poenam a Deo meritam evadat; ratio equidem enuntiat: emenda te, abstine a malo et bonum exerce; at emendatio jam per se officium est; hinc, an poena a Deo sanctissimo et justissimo per peccatum merita homini remittatur, et quodnam sit remedium, remissionem impetrandi, ratio neutiquam explorare valet, quod tamen scire, ni animus ad emendandum et excitamentum ad bene agendum destruatur, quam maxime interest.

c) Ratio aliam quidem post mortem vitam proponit; at quid Deus diligentibus se in alia vita praeparaverit aut determinaverit; an haec vita in aeternum sit duratura; in quo praemia vel poenae in altero saeculo consistant; qualis sit status post mortem, parum vel nihil enuntiat, et tamen scientia horum objectorum perquam necessaria.

d) Ratio sola ex se nullo modo quidquam enuntiare valet de hisce veritatibus: unde homines tam per-

versi et sensuales sint, cum agnoscant bonum, licet non perficiant; unde hoc vitium morale toti hominum generi adhaerens exoriatur; unde tot mala, tot calamitates etc. in mundo existant et quomodo cum Dei omnipotentia, bonitate, sapientia et sanctitate uniri possint; quomodo homo sit effigies Dei etc. etc., quae veritates extra sphaeram rationis positae sunt.

Huic rationalismo, ceu idolo, saeculum nostrum, proh dolor, de novo mirum in modum favere adlaborat; attamen non negaverim, argumenta ex ratione desumta in doctrinis dogmaticis nonnunquam adhiberi licere, quin ratio ipsa fons in dogmatibus esse et valere et principatum contendere possit (contra rationalistas).

Caput II.

II. *Religio supernaturalis seu positiva aut revelatio.*

§. 3.

Religione naturali insufficiente Deus infinite bonus infirmitati rationis humanae ante tempus succurrens sic disposuit, ut generi humano de die in diem veritates ad salutem scitu necessariae et rationi humanae inaccessibiles manifestarentur; hinc revelatio, quae est manifestatio earum, quas ratio sibi soli relicta detegere aut scire neutiquam potuit, veritatum immediate a Deo facta (Joan. 3, 13; ad Rom. 15, 26; 1 ad Cor. 2, 9, 10; ad Gal. 1, 15, 16; ad Eph. 1, 9; C. 3, 9; ad Phil. 3, 15; ad Col. 1, 26), vi cujus homines sufficienter edocentur, qua ratione Deum modo perfectissimo cognoscere, pie et rite colere atque per cultum ejusmodi felicitatem aeternam secure consequi possint, ita tamen, ut veritas revelata rationi minime contraria sit, quo fit, ut religio naturalis per revelationem augeatur, suppleatur et extollatur. Objectum revelationis sunt libri, in quibus ve-

ritates revelatae continentur, vetus scilicet et novum testamentum, cum quo, ut infra ostendetur, traditio connectitur.

Nunc obveniunt sequentia perbreviter hic tractanda

I. Possibilitas revelationis.

Possibilitas revelationis physica patet ex eo, quod admitti debeat regnum Dei supersensuale et dentur veritates multae captum humanum excedentes; jam vero nec in Deo, nec in homine quidquam deprehendi poterit, quod impediat, quominus veritates antea plane incognitae et rationi humanae inaccessibiles generi humano a Deo modo quoquo possibili manifestentur et quidem

a) nec in Deo, cum ipse hominis vires cogitandi et meditandi sic dirigere valeat, ut ille veritatum a quodam Dei legato manifestatarum capax fiat, queis bene intellectis saluti ejus consultum erit; Deo enim nihil est impossibile, nisi immorale;

b) nec in homine, cum ipse iis animi dotibus praeditus sit, ut veritatibus revelatis rite adhibitis ad majorem perfectionis gradum evehi possit, licet ad maximum perfectionis fastigium pervenire nulli mortalium contingat, quia cognitio nostra hac in terra ex parte est 1 ad Cor. 13, 12; ergo revelatio omnino possibilis, et modus ipse, quo fit, secundum sacram scripturam varius esse potest v. g. inspiratio, adparitio, visio, somnium, vox de coelo etc.

II. Pretium et utilitas revelationis.

Pretium et moralis revelationis utilitas maximi est momenti; nam

a) cognitio de Deo ejusque essentia et perfectionibus multo citius, quam via rationis, in genus humanum divulgatur;

b) hominibus saniora ac plura religionis dogmata traduntur, quam ratio saepissime vacillans detegere va-

let, cum amor Dei et proximi universum religionis systema nondum constituat;

c) homines sapientissimos et gentes utut excultas in errores maximos incidisse, experientia omnium saeculorum docet; quot periodi evanuere, donec sanus ac verus de Deo conceptus formaretur, nedum dicam de veritatibus aliis gravissimis? Et si adhucdum inter Christianos subrepat ignorantia in rebus religionem concernentibus, culpa penes eos est, qui culturae obstaculum objiciunt;

d) Atheismo et Pantheismo porta latissima jamdudum aperta omnisque moralitas destructa fuisset, ni revelatio succurrisset; hinc Deo grates sint quam maximae, quod luce revelationis benignissima rationis tenebras et errores crasissimos penitus fugaverit.

III. Criteria revelationis.

Criteria revelationis sunt partim interna, partim externa

A) *Interna*, ex ipsa ratione desumta sunt

1) ex parte doctrinae

a) debet esse vera et omni errore vacua; Deus enim sapientissimus et veracissimus falsa ac erronea revelare nequit;

b) non debet rationi contradicere; Deus enim et rationis et revelationis auctor sibi contradicere nunquam potest;

c) debet continere res Deo ejusque perfectionibus dignas; Deus enim sanctissimus contrarium concedere neutiquam potest;

d) debet complecti veritates ad salutem obtinendam scitu necessarias, quas ratio per se aut sero aut nunquam detegere potuit; alias enim vana et sine consilio esset revelatio;

e) potest etiam continere veritates rationis terminos excedentes, sive mysteria; nam

α) Deus nobis revelare, nosque ad credendum, quod rationem nostram excedit, obligare potest; ipse enim rationi humanae imperat, nec huic jus, res divinas critice inquirendi, competit;

β) in ipso ordine et regno naturae tam corporalis quam rationalis omnia sunt mysteriis plena v. g. in theoria de lumine, aëre, igne; in doctrina de elementorum substantia, de vinculo corpus inter et animam; in doctrina de trinitate, de peccato originali, de providentia;

γ) fidei mysteria sunt quidem supra, sed non contra rationem; id quod eidem minime derogare potest;

δ) Deo sapienti convenit, ut nos mysteria licet incomprehensibilia credere jubeat; hinc docet magnus Apostolus Paulus 1 ad Cor. 13, 12 „Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem";

ε) ejusmodi in mysteria fides non tantum est aequa, sed et salutaris; sic enim ratio humana superba humiliata ab erroribus variis praeservatur et homo ipse rationis usu eo adducitur, ut mysteria maxima credat.

2) Ex parte revelantis, ut sit

a) verax et sincerus in revelando; hinc si minima fraudis et doli suspicio subsit, nefas est, et revelatio fit periculosa;

b) sana ratione et dexteritate praeditus in testando de veritatibus sibi revelatis; hinc furiosi, fanatici, mente capti etc. testari nequeunt.

B) *Externa* ab ipsa revelatione desumta sunt

1) *miracula*, quae sunt facta seu opera insolita, supernaturalia, et extraordinaria, producta vi omnipotentiae divinae ad finem moralem in signum naturae, peccati et mortis devictorum, suntque possibilia et quidem

a) metaphysice, cum, licet ὄντος ὄντα sint incognoscibilia, impossibilitas miraculorum a nullo affirmari possit, quin sibi impossibilem entis intelligibilis cognitionem vindicet, nec adest in conceptu contradictio logica nec ulla uspiam demonstrata fuit;

b) physice, cum materialibus et formalibus experientiae conditionibus, id est, naturae legibus convenienter patrentur, et naturam nec destruant nec perturbent; adest quidem saltus naturae, sed tantum relativus non absolutus; leges quippe physicae ita sunt mutabiles, uti physicus rei status:

c) moraliter, cum cogitari possit, providentiam divinam mundi gubernatricem iisdem tanquam remediis ad finem moralem consequendum aptissimis uti; inde finis teleologicus et certae quaedam conditiones ex parte

α) factorum, ut sint insolita, supernaturalia, extraordinaria, ad finem moralem patrata, leges naturae licet excedentia;

β) miracula patrantis, ut sit moralitate praeditus eaque sub invocato Dei nomine patret;

γ) doctrinae, ut sit Deo dignissima, rationi conveniens, licet eam transcendere possit.

2) *Vaticinia*, quae sunt praenuntiationes aut praedictiones certae, definitae (ergo non conjecturae) rerum seu factorum futurorum (ergo non statim, sed post aliquantum temporis, immo post saecula) accidentium (quae praenuntians ex circumstantiis temporis, loci etc. praevidere neutiquam potuit) ad finem moralem (uti in miraculis) factae; admissa revelationis possibilitate vaticinia esse possibilia nemo negabit; attamen certis praedita esse debent criteriis et tum valent

a) si eorum ratio non e longo usu et comprobatis naturae legibus aut circumstantiis antecedentibus et conjecturis verosimilibus erui possit;

b) si praedictiones longo tempore ante eventum factae sint; quo longiore enim tempore antecedit vaticinium, eo illustrior fit propheta et legatus divinus;

c) si fiant in verbis determinatis, claris et certis, non ambiguis et fluctuantibus, quae in omnem sensum libitum detorqueri possunt;

d) si finis moraliter bonus est et vaticinia veritatibus indubitatis non contradicant.

IV. Existentia revelationis.

Existentia revelationis tum in veteri, tum in novo testamento demonstrari facile potest; Deum enim non sine testimonio seipsum reliquit (Act. 14, 16), et quidem nullo tempore; sic ut taceam revelationes a Deo protoparentibus nostris, Noacho, Abrahamo et aliis factas principaliores tantummodo hic quam brevissime recensere juvabit.

§. 4.

I. Moyses. *)

Moyses verus fuit Dei legatus sive a Deo vocatus et missus, id quod patet ex vocatione ejus extraordinaria Ex. 3 et 4, in quibus vera continetur historia vi narrationis, linguae et styli, negotii a Deo Moysi injuncti, ut ad Pharaonem revertens gentem hebraicam a servitute aegyptiaca liberaret; vi circumstantiarum hac in narratione occurrentium, una cum eventu, Moyse quippe Dei voci obediente iterque aggrediente. Ipse Jesus Luc. 20, 37 et Stephanus Act. 7, 30 — 36 veram Moysis vocati historiam depraedicant; nec historiae derogare possunt

*) Authentiam, integritatem et fidem tum veteris tum novi testamenti exegesi et hermeneuticae relinquimus et hic jam demonstratam ponimus, ut operis ambages evitemus.

a) colloquium Deum inter et Moysen, dicente modo humano s. scriptura Ex. 33, 11 „Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem (פָּנִים אֶל־פָּנִים = de ore ad os), sicut solet loqui homo ad amicum suum“;

b) spoliatio a Deo in poenam Aegyptiorum constituta, quae quasi compensatio pro calamitatibus et persecutionibus illatis haberi potest;

c) renitentia Moysis, infirmitatem et linguae tarditatem ad negotium tam grave suscipiendum objicientis; „impeditioris enim et tardioris linguae (כְּבַד־פֶּה וּכְבַד־לָשׁוֹן, gravis ore et gravis lingua)“ erat Ex. 4, 10; hinc cum quoque objecisset caedem in Aegyptium quendam commissam, responsum ei fuit v. 19: „mortui enim sunt omnes, qui quaerebant animam tuam“; quo responso accepto Moyses statim obediens negotium exequi aggreditur; hinc Moyses verus Dei legatus Ex. 3, 13, 16. Num. 16, 28 respectu

A) Doctrinae.

Doctrina a Moyse populo israelitico demandata et tradita fuit Deo dignissima; nam

a) omnem idololatriam proscripsit unum tantummodo esse Deum creatorem et gubernatorem mundi universi omnipotentem docens Ex. 6, 3—9; Deut. 3, 24, cui soli serviendum, quique solus adorandus Deut. 6, 4, 5; C. 11, 22; officia erga Deum et proximum exponens in decalogo Deut. 5, 6—23;

b) immortalitatem animae et vitam aeternam tradens Gen. 15, 15; C. 25, 8, 9; C. 35, 29; C. 37, 35; C. 42, 38; C. 44, 29; C. 47, 8, 9; C. 49, 29, 31; Num. 16, 30—33; hinc anima hominis praeprimis aestimatur Gen. 9, 4, 5; Lev. 17, 11, de quibus plura in decursu.

Moyses fuit

1) nec fanaticus et visionarius; nam

a) provecta jam aetate neminem fieri fanaticum, ipsa experientia et psychologia demonstrat;

b) ipsa cogitandi agendique ratio Moysis et miracula ab eo patrata huic hypothesi plane contradicunt; omnia enim facta omnesque actiones ejus reflexiones sanae mentis apparent et historia bene discussa ne minimum quidem fanatismi vestigium reperiendum erit;

2) nec defraudator pius; nam

a) ea opinio Moysis religioni plane contraria est; en carmen valedictorium. Deut. 32 et laus ipsi tributa Eccles. 45, 1 — 6;

b) gens universa israelitica duci suo Moysi tam saepe resistens de fraude quadam altum tenet silentium;

c) character Moysis a sui ipsius commodi studio alieni ex omnibus actionibus per vitam integram manifeste apparet Num. 16, 15; Deut. 9, 16, 19, 20;

3) fanatismus et fraus Moysi afficta satis superque refutatur laude ipsi tributa

a) a Jesu; sic Matth. 17, 3. Moyses cum Elia apparet; Luc. 24, 27, 44; Joan. 5, 45, 46 Moyses dignitatis Jesu messianae testis citatur;

b) ab Apostolis; Act. 3, 22 et C. 7, 35 vocatur princeps et redemtor Israelis; C. 26, 22; C. 28, 23; ad Rom. 9, 15; C. 10, 5, 19; 1 ad Cor. 9, 9 loca in scriptis Moysis contenta citantur; ad Hebr. 3, 2, 5 Moyses fidelis praedicatur; C. 11, 24 fides ejus extollitur; Apoc. 15, 3 servus Dei vocatur.

B) Miraculorum.

Miracula varia a Moyse patrata in Pentateucho enumerantur, scil. decem plagae coram Pharaone Aegyptiis illatae Ex. 7 — 12; transitus filiorum Israel per mare rubrum siccis pedibus et Pharaonis exercitus de-

letus C. 14; manna de coelo quadraginta annis depluens C. 16; aqua per baculum Moysis petra percussa magna vi erumpens C. 17; terribilis in Core, Dathan et Abiron Moysi et Aaroni resistentes Dei ultio Num. 16 cfr. Deut. 11, 6 etc.

1) Omnia haec vere facta fuisse, probant

a) ipsum Moysis elogium Ex. 19, 4; Deut. 26, 8 et C. 32;

b) testimonium

α) Josuae totiusque populi israelitici Jos. 24, 5—9, 16, 17;

β) librorum caeterorum V. T. Ps. 77; Ps. 104. Ps. 105; Sap. 10, 15—21; Jer. 32, 10;

γ) Jesu et Apostolorum Joan. 6, 31, 49; 1 ad Cor. 10, 1—11; ad Hebr. 12, 18—22;

c) monumenta et symbola hodiedum existentia v. g. festum paschale ob liberationem e servitute aegyptiaca Ex. 11; mensis primus anni Deo dicati, oblatio parvulorum coram Domino et sabbathum in recordationem mannae in deserto de coelo delapsae C. 12 et 13.

2) Moysen vera patrasse miracula argumenta sequentia convincunt;

a) facta vocantur mirabilia נִפְלְאוֹת Ex. 3, 20; signa אֹתוֹת C. 4, 9; ostenta — miracula מוֹפְתִים v. 21; in manu forti sive robusta c. 6, 1; in brachio excelso v. 6; in judiciis magnis vel maximis peracta C. 6, 6; C. 7, 4; opus Domini, מַעֲשֵׂה יְהוָה Ps. 85, 8;

b) circumstantiae et modus, quo haec patrata sunt, sine omni praeparatione, publice, praesente rege omnique aula regia, conspiciente natione omnique Aegypto, in manifestationem omnipotentiae et justitiae Dei omnia haec operantis Ex. 4, 21 cfr. Jos. 24, 17;

c) finis

c) finis, cujus causa patrata sunt, fuit ad divinam Moysis missionem probandam Ex. 4, 8; C. 7, 5; C. 10, 1, 2;

d) effectus erat fides Israelitarum Ex. 4, 31 „Et credidit populus — et proni adoraverunt (text. hebr. וַיִּקְּדוּ וַיִּשְׁתַּחֲווּ et se incurvaverunt et adoraverunt) „et declaratio magorum C. 8, 19 „Digitus Dei est hic (אֶצְבַּע אֱלֹהִים הוּא)"; inde egressus filiorum Israel ex Aegypto a Pharaone concessus; et si anthropomorphismus occurrat, dijudicandus est pro periodo tunc puerili, in qua is sentiendi agendique modus usitatus fuit.

C. Vaticiniorum.

Moyses, Dei legatus, vere prophetavit et praedixit multa futura facta contingentia, ex quibus pauca quaedam seligere licebit:

1) Lev. 25, 21 sexto quovis anno ea existet frugum benedictio, ut septimus annus jubilaeus Deo consecrari possit;

2) Num. 14, 23 eorum nemo, qui annos viginti jam explevit in egressu ex Aegypto, ob rebellionem contra Moysen et Aaronem factam, terram Chanaan videbit;

3) Deut. 28 mandata Dei custodientes benedictione superfundentur, violantes e contra ignominia et omnis generis calamitatibus opprimentur; quae vaticinia, cum in posterum defuncto jam dudum Moyse accurate impleta sint, eum verum Dei prophetam verumque legatum fuisse, luculenter confirmant.

§. 5.

II. Prophetae.

Prophetae נְבִיאִים*) V.T. legatos sese divinos exhibuerunt respectu

*) Vox: נָבִיא, propheta (de verbo נָבָא, verba proferre, eructare) variis gaudet significationibus:

A) Doctrinarum

Universo prophetarum systemate doctrinali discusso doctrinas eorum Deo plane dignissimas esse, quis est, qui negaverit?

B) Miraculorum

Varia prophetae patrarunt miracula; en quaedam citata

1) 3 Reg. 18, 22—40 Elias per miraculum, quis Deus verus sit, utrum Dominus (יְהֹוָה), an Baal (בַּעַל) dijudicavit?

1) secundum etymologiam est propheta

a) clara voce sonos edens 1 Reg. 18, 10; 3 Reg. 18, 29; 2 Esdr. 6, 7;

b) cantor, poeta aut vir dotibus eximiis praeditus v. g. philosophus, author Ex. 15, 20; Jud. 5, 1; 1 Reg. 10, 5; C. 19, 20—24; 4 Reg. 3, 15; 1 Par. 25, 1; ad Tit. 1, 12;

c) insigni animi motu, in verbis demensis, in nomine Domini loquens et interpres voluntatis alterius v. g. judex, legislator, nationis israeliticae orator Ex. 4, 14—16; C. 7, 1; 18, 14. 15; Jud. 4, 4. 5;

d) sacerdos et propheta inter Levitas coincidunt; en supra Ex. 7, 1; Jer. 5, 31; C. 6, 13; C. 23, 11; Mich. 3, 11; tempore postero separati Num. 11, 16, 17, 25—29; inde prophetarum scholae;

2) in sensu sublimiori est propheta

a) amicus, familiaris Dei intimus v. g. Abraham, Gen. 20, 7; Patriarchae in genere Ps. 104, 15; Moyses κατ᾽ ἐξοχὴν Deut. 34, 10.

b) interpres mandati divini; sic Aaron est propheta Moysis ideoque mandati divini interpres Ex. 7, 1 (cfr. C. 4, 16); Deut. 18, 18; Jud. 6, 8; Jer. 15, 19;

c) futura praedicens et in sensu vero propheta Deut. 13, 1, 3; 1 Reg. 9, 9; 2 Reg. 7, 2; 3 Reg. 22, 7; 4 Reg. 3, 11; 2 Par. 28, 9; tam ante exilium, quam durante eo Jer. 6, 13; C. 13, 13; C. 23, 11; Mich. 3, 11, contra prophetam falsum tempore Moysis Num. 22 et 24; tem-

2) 4 Reg. 4, 34, 35 revocavit Elisaeus puerum Sunamitidis de morte ad vitam et sanavit Naaman praefectum militiae regis Syriae a lepra; haec aliaque miracula facta sunt in finem Deo dignum, ad cultum ejus promovendum et prophetas tanquam Dei legatos agnoscendos; nec ulla fraus ibi occurrit, cum nullibi de ea fiat mentio; quidquod Jesus ipse miracula prophetarum supra citata vera praedicavit Luc. 4, 25 — 28.

C) Vaticiniorum

Prophetae, quibus testante s. scriptura spiritus Domini (רוּחַ יְהוָֹה) inerat, 2 Reg. 23, 2. vaticinia varia

pore Jeroboami 3 Reg. 22, 22. Hinc, quam vario sensu vox: propheta sumitur; tam varia fuit prophetarum functio; erant enim

α) religionis doctores extraordinarii, a Deo vocati 4 Reg. 17, 13; Ezech. 3, 17, poenitentiam praedicantes Jon. 3, 4. 10;

β) inde oracula mediate divina habiti sunt 1 Reg. 9, 6; 3 Reg. 22, 5. 8; Is. 7; C. 37, 21 et omni veneratione digni 3 Reg. 19, 13; 2 Par. 36, 12;

γ) per quos populus cum Deo collocutus est 3 Reg. 14, 2, 3; 4 Reg. 19, 2. 3; Ezech. 14, 1. 2; C. 20, 1. 2 etc.

δ) Nonnunquam apud Deum pro populo universo aut pro singulis interpellabant Gen. 20, 7; Jer. 27, 28; Jon. 4, 1, 2;

ε) saepissime regibus suadentes, in impios ac reipublicae et religioni perniciosos sententiam ferentes et jus exercentes v. g. Samuel 1 Reg. 15, 33; Elias 3 Reg. 18, 40; Elisaeus C. 19, 17;

ϛ) erant Thaumaturgi 3 Reg. 17; praecipue post mortem Eccles. 48, 14.

3) Tempore Macchabaeorum prophetae sunt extincti 1 Macchab. 4, 46.

4) Tandem Jesus propheta maximus apparuit, et ante eum in N. T. occurrunt Zacharias, Joannes, Simeon, Anna Matth. 3, 4; Luc. 1, 67. 76; C. 2, 34, 36, 38; tempore Apostolorum nomen cum facto penitus evanuit.

edidere et quidem ita, ut iis eventus certissime responderet; insuper veritatem ingenue dixere 2 Reg. 12, 7, non adulantes 3 Reg. 22; Is. 41, 22. 23.

1) 3 Reg. 17 et 18. Elias praedixit famem, deinde post siccitatem pluviam, quin vestigium quoddam antea adfuerit;

2) 4 Reg. 19, 19 — 37 Isaias praedixit fatum Sennacherib et aliarum gentium, ut cognoscant Deum unicum cfr. Is. 48, 3 — 8;

3) Jeremias exilium babylonicum annis septuaginta duraturum praedixit Cap. 25, 11;

4) Idem pseudoprophetam Hananiam eodem anno, eodem mense moriturum prophetavit C. 28, 9—17;

5) Daniel cap. 7—12 fatum gentium variarum vaticinatus est. Hinc

a) veri prophetae ubique aestimabantur Eccles. 46; C. 48, 1, 23—26, col. 1 Macch. 14, 41;

b) querela tempore Macchabaeorum, non amplius existere prophetam in Israel 1 Macch. 9, 27; et exspectatio, quotidie quenquam venturum C. 14, 41;

c) inde elogium

α) Jesu, prophetas V. T. de ipso esse vaticinatos Matth. 22, 43; C. 26, 54, 56; Luc. 16, 16; C. 24, 25, 27; Joan. 10, 35;

β) Apostolorum, prophetas spiritu sancto inspiratos fuisse Act. 3, 18. 21; C. 4, 25; C. 28, 25; ad Hebr. 1, 1; 1 Petr. 1, 11. 12; 2 Petr. 1, 20. 21.

§. 6.

III. Joannes Baptista.

Joannem Baptistam verum Dei legatum fuisse, patet ex eo, quod Jesus ipse eum praecursorem suum — Dei legatum declaraverit, cum jam in V. T. ad characterem ejus alludatur Is. 40, 3; Mal. 3, 1 col. Matth. 3, 3; C. 11, 10; Marc. 1, 2; Luc. 3, 4; C. 7, 27 ideoque

Elias alter vocetur Mal. 4, 5 col. Matth. 11, 14; C. 17, 11, 12; Marc. 9, 11. 12; Luc. 1, 17; C. 9, 8.

In hoc legationis munere praeparavit Joannes coaevos suos ad regnum messianum variasque huc pertinentes doctrinas inculcavit Matth. 3, 7—13; Marc. 1, 7 et 8; Luc. 3, 3—19; Joan. 1, 29—37; C. 3, 25—36; at curriculo per mortem praematuram ab Herode in ipsum constitutam interrupto Matth. 14, 1—13; Marc. 6, 14—30; Luc. 9, 7. 8. 9 missionis opus finitum fuit.

§. 7.

IV. Jesus Christus.

Jesus Christus in N. T. omnium maximum se Dei legatum praebuit respectu

A) Doctrinarum.

Doctrinae in Evangelio prolatae et ab Apostolis literis mandatae ea praecellunt dignitate et sanctitate, ut ne minimum quidem amplius optari possit.

1) Doctrina fidei de Deo uno, diligendo ex toto animo Matth. 22, 37 et pura mente Joan. 4, 24; de Deo trino in personis Matth. 28, 19; de Deo creatore et gubernatore mundi universi C. 6, 28—34; angelorum C. 13, 39. 49 et hominis C. 19, 4; de abscondito Dei mysterio, filium suum unigenitum in redemtionem generis humani tradendi Joan. 3, 16; de subsidio supernaturali in negotio salutis C. 15, 4; de sanctitatis remediis in salutis oeconomia v. g. baptismo Matth. 28, 19; Eucharistia C. 26, 26—29; Marc. 14, 22—25; Luc. 22, 19—21; confessione Joan. 20, 22. 23; ordine Luc. 22, 19; matrimonio Matth. 19, 4—7; de immortalitate animae C. 10, 28; de statu impiorum et piorum post mortem C. 25, 46; de resurrectione mortuorum et extremo judicio Joan. 5, 25—30.

2) Doctrina morum et quidem

a) officia in Deum per fidem Matth. 10, 32; spem Luc. 11, 13; amorem Matth. 22, 37; gratum animum C. 6, 33; fiduciam C. 21, 21; adorationem et cultum C. 4, 10;

b) officia in se ipsum respectu animae C. 5, 29. 30 et corporis C. 6, 31. 32;

c) officia

α) erga proximum respectu animae C. 18, 6. 7 et corporis C. 5, 21;

β) erga inimicos C. 5, 44 — 48.

γ) erga alios C. 5, 3 — 13.

δ) erga superiores C. 18, 17; C. 22, 21 etc. etc. de queis in theologia morali.

B) Miraculorum

Perlegenti Evangelia occurrunt miracula permulta a Jesu patrata

1) in natura vita carente; sic Jesus

a) Canae in Galilaea mutavit aquam in vinum Joan. 2, 1 — 11;

b) cibavit quinque millia virorum exceptis mulieribus et parvulis quinque panibus et duobus piscibus Matth. 14, 14 — 22; Marc. 6, 35 — 45; Luc. 9, 10 — 18; Joan. 6, 5 — 15;

c) alio tempore cibavit quatuor millia virorum extra parvulos et mulieres septem panibus et piscibus Matth. 15, 32 — 39; Marc. 8, 1 — 10;

d) sedavit maris tempestatem verbo Matth. 8, 23 — 27;

e) mari inambulans Petrum supra mare ambulare jussit Matth. 14, 23 — 32; Joan. 6, 17 — 22;

2) in aegrotis; sic

a) sanavit multos aegrotos unico verbo medicamentis nullibi adhibitis et fimbria tantum vestimenti ejus tacta Matth. 14, 35. 36; Marc. 6, 56; manuum impositione Luc. 4, 40;

b) omnis generis morbos extemplo curavit Matth. 15, 29—32;

c) restituit coecis visum aut verbo unico Marc. 10, 46—52; Luc. 18, 35—43, aut tangendo oculos Matth. 20, 29—34; aut sputum applicando Marc. 8, 22—27; Joan. 9, 6;

d) surdis auditum, mutis linguam Matth. 9, 32—35; C. 12, 22. 23; Marc. 7, 32—37; Luc. 11, 14;

e) leprosos sanavit Matth. 8, 1—5; Marc. 1, 40—46; Luc. 5, 12—16; C. 17, 11—20;

f) uti et febricitantes Matth. 8, 14. 15;

g) et paralyticos Matth. 9, 2—9; Marc. 2, 3—13; Luc. 5, 18—27;

h) mulierem tangendo fimbriam vestimenti ejus Matth. 9, 20—23; Marc. 5, 25—35; Luc. 8, 43—49; aliam unico verbo Luc. 13, 11—14;

i) homines, quin eos conspiceret, aut ab iis conspiceretur v. g. servum centurionis Capharnai Matth. 8, 5—14; Luc. 7, 1—11; filium reguli ibidem Joan. 4, 46—54;

k) homines, quorum sanatio judicialiter inquisita fuit v. g. hominem cum arida manu Matth. 12, 10—14; Marc. 3, 1—6; Luc. 6, 6—11; infirmum triginta octo annorum Joan. 5, 1—16; hominem a nativitate coecum C. 9 integr.;

3) in obsessis Matth. 8, 24—34; Marc. 5, 1—21; Luc. 8, 26—40; tunc Matth. 15, 22—29; Marc. 7, 25—31; Luc. 6, 18. 19 etc.;

4) in mortuis; sic de morte ad vitam revocavit

a) filiam Jairi Matth. 9, 18. 19. 23—27; Marc. 5, 22—24 et 35—43;

b) filium viduae Naim Luc. 7, 11—19;

c) Lazarum quatriduo in sepulchro jacentem et jam foetidum Joan. 11 integr.

Haec omnia miracula

1) patrata sunt ad Jesu divinitatem et dignitatem messianam et manifestatae missionis probandam, ad fidem in ipsum procurandam, ad honorem et gloriam patris sui promovendam; id quod

a) tum ipse Jesus expresse edicit Matth. 9, 6—9; C. 11, 4. 5. 21; C. 12, 28; C. 14, 33; Joan. 5, 36; C. 6, 14. 30; C. 9, 3; C. 10, 38; C. 11, 4. 40. 42; C. 14, 12. 13; C. 15, 24;

b) tum Apostoli fatentur Joan. 2, 11; C. 20, 30. 31; Act. 2, 22; C. 10, 38; ad Hebr. 2, 4; 1 Joan. 5, 9;

2) vera sunt miracula; nam

a) Jesus ea declarat signa missionis suae divinae Matth. 11, 5. 6;

b) vocat opera Dei (τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ) Joan. 9, 3 in nomine, in digito, per manum Dei, in spiritu Dei facta Matth. 12, 28 quae nemo alius facere potest Joan. 3, 2; C. 15, 24; et omnes in admirationem adducunt Matth. 13, 54 ob copiam, varietatem, magnitudinem et modum, quo patrata sunt Matth. 4, 23. 24. 25; C. 8, 8—14 et 26; C. 9, 20—23; C. 14, 32; Luc. 6, 19; Joan. 4, 45;

c) ipsi Apostoli opera Jesu declarant facta extraordinaria Act. 2, 22; C. 10, 38;

d) Pharisaei hostes ejus uti et Judas, si fraus minima subfuisset, certissime populo oculos aperuissent, ut Jesu characteri maculam inurerent; hinc falsa et absurda est opinio eorum, qui Jesum manipulatione quadam aut magnetismo, cujus vis hodiedum dubia et obscura est, usum fuisse affirmant; adhibita enim critica rigidissima Jesu miracula vera et authentica esse luculenter patebit.

C) Vaticiniorum.

Christus Dominus, verus isque maximus propheta, plures edidit prophetias eventu rite compro-

batas et vaticinia vere impleta; principaliora hic recitare libeat.

Vaticinium	impletum
1) Negatio Christi per Petrum Matth. 26, 34. 35 „Ait illi (Petro) Jesus: amen dico tibi, quia in hac nocte; antequam gallus cantet, ter (τρὶς, quem numerum definitum tres alii Evangelistae repetunt) me negabis. Ait illi Petrus: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo" cfr. Marc. 14, 30. 31; Luc. 22, 34; Joan. 13, 37. 38.	Matth. 26, 69—75 „Petrus vero sedebat foris in atrio et accessit ad eum una ancilla, dicens: et tu cum Jesu Galilaeo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: nescio, quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla et ait his, qui erant ibi: et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento: quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt, qui stabant et dixerunt Petro: vere et tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc coepit detestari et jurare, quia non novisset (text. gr. οἶδα novi) hominem. Et continuo gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: priusquam gallus cantet, ter (τρὶς) me negabis. Et egressus foras, flevit amare" cfr. Marc. 14, 66—72; Luc. 22, 54—63; Joan. 18, 25 – 28.
2) Passio, mors et resurrectio a Jesu ipso praedicta Matth. 16, 21 „Exinde coepit Jesus osten-	Jesus ducitur ad Annam Joan. 18, 13, tum ad Caipham Matth. 26, 57, ubi illuditur et caeditur v. 67, 68;

dere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum et occidi et tertia die resurgere (τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι) „— Cap. 20, 18, 19“ Ecce ascendimus Jerosolymam et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum et tertia die resurget (τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται)“ cfr. Marc. 10, 33. 34; Luc. 18, 31. 32. 33; Joan. 3, 14 et cap. 8, 28 — Respectu resurrectionis notandum adhuc Matth. 12, 39. 40 „Signum non dabitur ei (scil. genti judaicae), nisi signum Jonae prophetae; sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae dein traditur Pilato ad mortem damnandus C. 27, 2, qui eum ad regem Herodem misit, a quo indutus veste alba remittitur ad Pilatum Luc. 23, 6 — 12, ubi urgentibus Judaeis Jesus flagellandus, postea crucifigendus traditur Matth. 27, 26 — 32; postea in loco Calvariae vere crucifixus Luc. 23, 33 et mortuus est Matth. 27, 50; Marc. 15, 37; Luc. 23, 46; Joan. 19, 30, accedente lateris apertura v. 33, 34 et interrogatione Pilati, num Jesus vere mortuus sit Marc. 15, 44. 45; quo facto sepeliendus Nicodemo commissus fuit; tertia vero die vere resurrexit Matth. 28, 6; Marc. 16, 6; Luc. 24, 6 col. v. 39 — 50; Act. 1, 3 apparens post resurrectionem

a) Magdalenae Marc. 16, 9; Joan. 20, 11 — 19;

b) aliis piis mulieribus inter viam Matth. 28, 9, 10.

c) Petro Luc. 24, 34.

d) duobus discipulis Emaus proficiscentibus v. 13 — 33.;

e) Apostolis Hierosolymis Thoma absente v. 36 — 50; Joan. 20, 19 — 26;

tribus diebus et tribus noctibus (τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας)" cfr. cap. 16, 4. Luc. 11, 29. 30; inde cura Pharisaeorum et principum sacerdotum, ne corpore Jesu sublato divulgetur: surrexit a mortuis Matth. 27, 63. 64.

f) Apostolis praesente Thoma v. 26—30;
g) discipulis ad mare Tiberiadis piscantibus C. 21 integr.;
h) plus quam quingentis fratribus simul 1 ad Cor. 15, 6;
i) Apostolo Jacobo v. 7;
k) undecim Apostolis in monte Oliveti ante ascensionem Matth. 28, 16—20; Marc. 16, 19; Act. 1, 9; 1 ad Cor. 15, 7.

a) Apostoli resurrectionem Jesu argumentum fundamentale veritatis religionis christianae declararunt; sic

α) S. Paulus 1 ad Cor. 15, 14 „Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra" cfr. v. 15 et 16, praecipue v. 4; Act. 17, 31; ad Rom. 10, 9; 1 ad Tim. 3, 16;

β) S. Petrus 1 Petr. 1, 21 „Fideles estis (text. gr. πιστεύοντας credentes) in Deo, qui suscitavit eum (Christum) a mortuis et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo" cfr. Act. 1, 22.

b) Synedrium Hierosolymitanum Apostolos resurrectionem Jesu ubique praedicantes nullibi mendacii accusavit, sed iis tantum prohibuit „ne in posterum loquerentur aut docerent in nomine Jesu" Act. 4, 17. 18; C. 5, 28.

c) Resurrectio Messiae traditur in libris hebraicis Sohar Num. fol. 82 col. 326; Gen. fol. 85 col. 335; fol. 73, col. 290 ad Is. 60, 22; Pesikta rabbatki in Jalkut Simeoni 2 fol. 56, 4.

3) Promissio Spiritus sancti Luc. 24, 49 „Et ego mitto promissum (i. e. spiritum) Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate (text gr. addit Ἱερουσαλήμ,) quoadusque induamini virtute ex alto (= Spiritu sancto)" „cfr. Act. 1, 4 — Joan. 15, 26" Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me" cfr. C. 14, 26; C. 16, 13—16.	Act. 2, 1—42; id quod legendum. Effectus adventus Spiritus sancti erant praedicatio et promulgatio doctrinae Jesu ab Apostolis sub diversis gentibus in partibus terrae diversissimis suscepta.
4) Donum miraculorum Apostolis, discipulis et fidelibus a Jesu promissum Marc. 16, 17. 18 „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt" — Luc. 10, 19 „Ecce dedi (text. gr. δίδωμαι, do) vobis potestatem calcandi supra ser-	Act. 2, 9—13 nationes diversissimae Apostolos linguis suis loquentes audiunt (cfr. C. 10, 46); v. 41 conversio hominum circiter trium millium; C. 4, 4 conversio virorum quinque millium; C. 5, 1—13 mors repentina Ananiae et uxoris ejus Sapphirae; C. 9, 12. 17. 18 sanatio Pauli per Ana-

pentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici et nihil vobis nocebit.“

niam; sanationes Petri et Pauli vide infra.

5) Excidium urbis et templi Hierosolymae et quidem

a) Signa antecedentia Matth. 24, 4. 5 „Jesus dixit eis discipulis: videte, nequis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus: et multos seducent“ — v. 11 „Et multi pseudoprophetae surgent et seducent multos“ — v. 23 „nolite credere“ — v. 25 ecce praedixi“ (προείρηκα) vobis „cfr v. 24, 26—29; Marc. 13, 6. 21. 22. 23; Luc. 21, 6. 7. 8.

V. 6 „Audituri enim estis praelia et opiniones praeliorum. Videte, ne turbemini; oportet enim haec (text. gr. πάντα, omnia) fieri, sed nondum est finis“ — v. 7 Consurget enim

a) Apparuerunt seductores et magi anno Christi 45 Theodas vel Theudas quidam Act. 5, 36; Joseph. antiq. jud. l. 20 C. 5 et Euseb. hist. eccl. l. 2, C. 11; Judas Galilaeus vel Gaulonites v. 37; Eus. l. c. l. 1, C. 6; Simon Magus Act. 8, 9. 10; Eus. l. 2 C. 1 et 13 et Helena quaedam cap. eod.; Elymas Magus Act. 13, 8—13 Jos. ant. jud. l. 20, C. 5; Aegyptius quidam magus seditionem movit a. Ch. 55, Act. 21, 38; Jos. ant. jud. l. 20, C. 6; de bello jud. l. 2, C. 12; Eus. hist. eccl. l. 2, C. 21.

Seditio Judaeorum orta Hierosolymae in festo paschae a. Chr. 49, ubi periere Judaeorum tres myriades Jos. ant. jud. l. 20, C. 4; Paul. Oros. l. 7, C. 6; Eus. l. 2, C. 19; ibidem seditio sub Nerone, ubi pontifex Jonathas interiit Jos. l. c.

gens in gentem et regnum in regnum et erunt pestilentiae et fames et terrae motus per loca" cfr. v. 8, 9 et 10 — v. 22 „Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi" cfr. Marc. 13, 7. 8. 12. 13. 20; Luc. 21, 9. 10. 11. 16;

l. 20, C. 7, Eus. l. 2, C. 20; a. Chr. 66 Cestius Florus crudelitate sua majores in Judaea tumultus excitavit Jos. bell. jud. l. 6, C. 13, quos secutae sunt seditiones Syriacae l. 2, C. 14 Eus. l. 2, C. 26. — De peste vide Jos. bell. jud. l. 4, C. 6. — Fames jam a. Chr. 46 vaticinante Agabo Act. 11, 28 Eus. l. 2, C. 8; Paul. Oros. l. 7, C. 4 „(4to anno regnantis Claudii) fames gravissima per Syriam facta est, quam etiam prophetae nuntiaverunt"; sub Tito Vespasiano plus quam Saguntina, ubi Maria femina dives suam ipsius prolem jugulatam devoravit Jos. ant. jud. l. 20. C. 2; bell. jud. l. 5, C. 10; l. 6, C. 10 et 11; l. 7, C. 20; Eus. l. 3, C. 6 — Terrae motus sub Claudio in Creta, in Capharnao.

b) signa concomitantia Matth. 24, 2. 15. 16 „Ipse (Jesus) autem respondens dixit illis: videtis haec omnia? Amen di-

b) Cometes ultra anni spatium perdurans, lux noctu in templo, acies armatorum in nubibus, vox in templo audita, va-

co vobis: non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur. — Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat: tunc qui in Judaea sunt, fugiant" cfr. v. 17—22, Marc. 13, 2. 14 — 20; Luc. 21, 6. 20—24 — C. 19, 43. 44 „Quia venient dies in te: et circumdabunt inimici tui vallo et circumdabunt te et coangustabunt te undique et ad terram prosternent te et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem: eoquod non cognoveris tempus visitationis tuae" — Cap. 21, 24 „Et cadent in ore gladii";

c) signa subsequentia Luc. 21, 24 „Et captivi ducentur in omnes gentes et Jerusalem calcabitur (ἔσται πατουμένη erit calcata) a gentibus, donec impleantur tempora nationum (ἐθνῶν)"

ticinium et vox Jesu cujusdam filii Ananiae Jos. bell. jud. l. 2, C. 11 etc. l. 3, 4 et 5; l. 6, C. 31; Eus. hist. eccl. l. 3, C. 8; Christiani Hierosolyma Pellam fugientes Eus. l. c. C. 5; magna hominum copia Hierosolymae tunc collecta circiter triginta myriades l. c. quae partim fame, partim bello interiere; in ipsa obsidione periere undecim centena Judaeorum millia Jos. bell. jud. l. 7, C. 17; Paul. Oros. l. 7, C. 6; Eus. hist. eccl. l. 3, C. 7; ipso templo contra voluntatem Caesaris Titi in cineres redacto.

c) Veritas prophetiae hodiedum in gente judaica ubique dispersa, nec dependente et sub nationibus diversissimis nulla stabili sede existente luculentissime comprobatur.

6) Propagatio et progressus religionis a Jesu fundatae, praedicta aut in parabolis aut verbis expressis Matth. 16, 18; C. 18, 20 praesertim Joan. 10, 16 „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere: et vocem meam audient et fiet unum ovile et unus pastor (μία ποίμνη, εἷς ποιμήν)"; quae prophetia partim impleta est, partim adhuc penitus implebitur.

Revocanda est in memoriam repugnantia Ethnicorum et Judaeorum; revocandae persecutiones ab origine fundatae religionis in Christianos constitutae; revocanda catastrophe recentior, ubi Pius VI et VII. pontifices maximi et dignissimi veritatis martyres effecti et tyranni furorem perpessi restituto ecclesiae decore immortalitatis coronam immarcessibilem sibi imposuere; sicque salvum et incolume erit verbum Domini Matth. 16, 18 „Portae inferi non praevalebunt adversus eam (ecclesiam)" — petra Petri inconcussa manebit.

Ergo Jesus Christus verus propheta non tantum a coaevis suis habebatur, sed et est et manet Matth. 21, 10. 11. 46; Luc. 7, 16. 39; C. 13, 33; C. 24, 19; Joan. 4, 19. 44; C. 6, 14; C. 7, 40; C. 9, 17; Act. 3, 22.

§. 8.

V. Apostoli.

Jesu in coelum assumto Apostoli ad illius doctrinam divulgandam omnibusque nationibus praedicandam electi sunt atque dignos se Dei legatos praebuerunt. Vocatio et missio eorum (duodecim quippe numero erant) per Jesum legenda est Matth. 10, 2 — 5; C. 28, 19; Marc. 3, 16 — 20; Luc. 6, 13 — 17; 1 ad Cor. 12, 28; ad Eph. 4, 11, qua praerogativa se ubique jactarunt ad Rom. 1, 1 „vocatus Apostolus"; Jac. 1, 1 „Jesu Christi

Christi servus"; 1. Petri 1, 1 „Apostolus Jesu Christi"; Jud. 1 „Jesu Christi servus."

Ad munus rite obeundum et exequendum Spiritus Sanctus Apostolis a Jesu promissus fuit Matth. 10, 19. 20; Joan. 14, 26. 27; C. 16, 13. 14, quae promissio impleta est Act. 2, 1 — 5, „Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco; et factus est repente de coelo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae (*διαμεριζόμεναι γλῶσσαι*), tanquam ignis, seditque (scil. lingua) supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto (*πνεύματος ἁγίου*) et coeperunt loqui variis linguis (text. gr. *ἑτέραις γλώσσαις*, aliis linguis), prout Spiritus Sanctus (text. gr. solum *το πνευμα*) dabat eloqui illis." Cum Judaei ex diversissimis nationibus Apostolos aliis linguis (non solum dialectis, ut in text. gr. v. 6 et 8 legitur) loquentes audirent cfr. C. 10, 44. 46; C. 19, 6 omnesque obstupescerent; factum certe extraordinarium fuit, inde enim stupor, si dialectis tantum variis locuti fuissent Apostoli? Ipsum Jesu vaticinium Marc. 16, 17 „linguis loquentur novis" omni sensu careret; insuper notandum: quod Act. 19, 6. loqui linguis et prophetare clare distinguantur.

Apostoli veri Dei legati fuere respectu

A) Doctrinarum.

Collatis Pauli, Petri, Joannis et Judae inter se epistolis doctrinas Deo dignissimas et hominum necessitatibus accomodatissimas inesse, neminem exegeseos studio imbutum negare arbitror.

B) Miraculorum.

Apostoli varia patrarunt miracula:

1) sanatio claudi per Petrum in nomine Jesu Act. 3, 1 — 12, Cfr. C. 4, 10;

2) sanatio variorum infirmorum et obsessorum per Petrum C. 5, 15. 61; et per alios Apostolos v. 12. cfr. C. 2, 43;

3) sanatio Aeneae paralytici per Petrum C. 9, 32—35;

4) poena Elymae Mago per Paulum constituta C. 13, 11;

5) sanatio claudi ex utero matris per Paulum C. 14, 7—11;

6) liberatio Pythonissae a daemone per eundem C. 16, 16—19;

7) virtutes per manum Pauli et sanationes languidorum et obsessorum C. 19, 11. 12, cfr. C. 28, 9;

8) revocatio Eutychi adolescentis de morte ad vitam per eundem C. 20, 9. 10;

9) liberatio Pauli â vipera nociva C. 28, 5. 6;

10) sanatio patris Publii per ipsum v. 8.

Hae sanationes ubique pro miraculis habebantur a populo Apostolis tanquam Diis sacrificaturo Act. 14, 11—18; quin ipsum synedrium judaicum sanationem claudi per Petrum miraculum declarans dicit Act. 4, 16: „manifestum est, et non possumus negare"; inde conversiones tot millium hominum C. 2, 41; C. 3, 11; C. 4, 4; C. 5, 14; sicque et haec prophetia Christi impleta fuit Marc. 16, 20 „ Illi (Apostoli) autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis (διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων)"

C) Vaticiniorum.

Quaedam tantum Apostolorum vaticinia hic recitare juvat:

1) conversio Judaeorum ad Rom. 11, 25—35;

2) conversio gentium ad Eph. 3, 6;

3) adventus pseudoprophetarum et pseudodoctorum 1 ad Tim. 4, 1—3; 2 ad Tim. 3, 1 etc.; C. 4, 3; 2. Petr. 3, 3; Jud. 17, 18. 19.

V. Fontes revelationis.

Fontes revelationis apud Catholicos sunt 1) s. scriptura, 2) traditio.

§. 9.

I. S. Scriptura.

S. Scriptura tam V. quam N. T. praecipuum revelationis fontem esse, omnes, quotquot christianam profitentur religionem, unanimi sententia fatentur et affirmant, idque inter Christianos pluribus probare sane superfluum foret; juvabit tantum quidquam de inspiratione S. Scripturae proferre. *Inspiratio* est donum in componenda a sacris auctoribus S. Scriptura extraordinarium et supernaturale, quo impediebantur, quominus Deo dirigente et Spiritu Sancto suggerente in rebus religionem concernentibus fallerentur erroresque insererentur. Ex hoc conceptu negativo facile erui potest positivus. Possibilitatem inspirationis nemo sanae rationis negabit, et realitatem ejus ſs. authores, ſs. patres et ecclesia demonstrant.

1) Dicta Iesu Matth. 10, 19. 20 „Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini (δοθήσεται γὰρ ὑμιν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τί λαλήσετε); non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν, τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν)“ cfr. Marc. 13, 11; Luc. 12, 11. 12; coll. Matth. 28, 18 — 20. — Luc. 21, 14. 15 „Ponite ergo in cordibus vestris, non praemeditari, quemadmodum respondeatis (text. gr. ἀπολογηθῆναι defendi); ego enim dabo vobis os et sapientiam (ἐγὼ γὰρ δώσω ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν), cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri“ — Joan. 14, 26: „Pacraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia (ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα),

quaecunque dixero vobis „cfr. vers. 16 et 17 et C. 16, 12 — 16 coll. Act 1, 8.

2) Dicta Apostolorum 1 ad Cor. 2, 12. 13. „Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis: quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus (text. gr. ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου) spiritualibus spiritualia comparantes" cfr. v. 4 et C. 7, 10. 40; C. 11, 23; C. 12, 3. 7; C. 14, 37; 1 ad Thess. 2, 13. „Accepistis illud (verbum) non ut verbum hominum, sed sicut vere est verbum Dei (ἀλλὰ καθώς ἐστιν ἀληθῶς λόγον Θεοῦ)" — 2 ad Tim. 3, 16 „Omnis scriptura divinitus inspirata (πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος = ἐν πνεύματι Θεοῦ ברוח אלהים) utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia" — 2. Pet. 1, 20. 21. „Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, a Sp. S. acti) locuti sunt sancti Dei homines."

In V. T. Deus jussit ea, quae continentur in libris, literis mandare ipsosque libros conscriptos reservare Ex. 17, 14; C. 34, 27; Deut. 31, 19; Is. 8, 1; C. 30, 8; Jer. 30, 2; C. 36, integr. Hab. 2, 2; coll. Apoc. 1, 11; C. 14, 13.

3) Ss. patres de inspiratione S. scripturae satis distincte loquuntur, 1) Justin cohort. ad Graec.: „Neque enim vel natura vel ingenio humano res tam sublimes et divinas hominibus cognitione assequi est possibile; sed eo quod tum coelitus (ἄνωθεν) in viros sanctos descendit, gratuito opus est dono. Qui viri nihil indiguere arte dicendi, — sed ut tantummodo puros se ipsos divini Spiritus operationi (τῇ του θειου πνευματος — ἐνεργειᾳ) praeberent"; addidit similitudinem cytharae vel lyrae adhibitae citans versionem

70; cfr. apol. 1 et dial. c. Tryph. respectu apocalypsis. — 2) Athenag. leg. pro Christ.: „Qui (prophetae) per mentis abreptionem Spiritu divino ipsos movente, quae acceperunt, elocuti sunt (κινησαντος αὐτους τοῦ θειου πνευματος ἁ ἐνεργουντο ἐξεφωνησαν), quum et Spiritus eodem modo per ipsos operaretur ut tibicen inflat fistulam,“ cfr. alium locum ibidem. — 3) Theophil. ad Autol. l. 2 „Dei homines pleni Spiritu Sancto (πνευματοφοροι πνευματος ἁγιου) et a Deo inspirati institutique prophetae ordinati sunt: proinde fuere a Deo docti, sancti, justique, quapropter digni habiti sunt, ut essent organa Dei (ὀργανα Θεου), a quo accipientes sapientiam vaticinati sunt“ lib. 3. — 4) Tertull. de cultu fem. l. 1, C. 3. „Et legimus, omnem scripturam aedificationi habilem divinitus inspirari“ cfr. apol. C. 18, Cap. 20, C. 31, de anima C. 28. — 5) Clem. Alex. cohort. ad gent. C. 9, „Possem etiam alias tibi Scripturas afferre pene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur; Spiritus enim Sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus (το γαρ στομα κυριου το ἁγιον πνευμα ἐλαλησεν ταυτα) „cfr. eod. cap. et Strom. lib. 1, C. 17, lib. 7, C. 16.“ — 6) Iren. adv. haer. lib. 3, C. 18: „Poterat dicere Matthaeus, Jesu vero generatio sic erat, sed praevidens Spiritus Sanctus depravatores et praemuniens contra fraudulentiam eorum per Matthaeum ait .Christi autem generatio sic erat“ cfr. C. 1. et C. 11. — 7) Novatian. de trinit. C. 29, „Hunc autem Spiritum Sanctum Dominus Christus modo Paracletum appellat, modo Spiritum veritatis esse pronuntiat, qui non est Evangelio novus nec nove datus; nam hic ipse et in prophetis populum accusavit et in Apostolis advocationem gentibus praestitit.“ — 8) Orig. select. in Ps. 1. n. 4: „Si — eloquia Domini, eloquia casta, argentum igni examinatum, probatum terra, expurgatum septies, exquisitissima

cura et studio Spiritus Sanctus per ministros verbi ista subjecit, nunquam nobis latere possit ratio, secundum quam divina sapientia omnem scripturam divinitus datam (πασαν — γραφην — θεοπνευστον) vel ad unam usque literulam attigit" cfr. contr. Cels. lib, 7, n. 4; de princip. lib. 4, n. 6 et 8; in Jerem. hom. 21, n. 2: in Matth. comment. ex Tom. 2. — 9) Cyprian adv. Jud. praef.: „Bibere uberius et saturari copiosius poteris, si tu quoque ad eosdem divinae plenitudinis fontes nobiscum pariter poturus accesseris." — 10) Firmilian. epist. ad Cypr. (apud Mansi T. 1. pag. 911) „Quamvis (Job, Noe, Ezechiel et Daniel) temporibus longis discreti essent, eadem tamen divina inspiratione sentiebant" — 11) Euseb. hist. eccles. lib. 3. C. 21, „Apostoli videlicet Christi — demonstratione — divini Spiritus, quem cooperatorem habebant, et sola virtute Christi, quae miracula per ipsos perficiebat, usi, scientiam regni coelorum toti orbi annuntiarunt — Joannes a divinitate illius (Jesu) orditur, quae ipsi a divino Spiritu tanquam potiori reservata fuerat." cfr. lib. 5, C. 25; demonstr. evang. lib. 5, praefat. — 12) Athan. de incarn. verbi Dei: „Illae (Scripturae) a viris rerum coelestium peritis et ab ipso Deo (δια θεολογων ανδρων παρα Θεου) conscriptae sunt et enuntiatae; nos autem ista hausimus a magistris divinitus afflatis (θεολογων)" cfr. succinct. V. et N. instrum. synops. de trinit. dial. 3. — 13) Cyrill. Hieros. cat. 4, C. 33. „Ista vero nos docent divinitus inspiratae veteris et novi testamenti scripturae (αἱ θεοπνευστοι γραφαι της παλαιας τε και καινης διαθηκης.) — Unus est enim utriusque testamenti Deus" vid. C. 34. — 14) Gregor. Nazianz. orat. 47 in Julian. 1, „Hoc enim sermone id intelligimus, non licere iis, quae ab hominibus divino Spiritu afflatis dicta sunt, fidem abrogare: verum pro sermonis et doctrinae confirmatione

illorum auctoritatem esse omni rationali ac disputatrice et contradictoria facultate validiorem.“ — 15) Gregor. Nyss. contr. Eunom. lib. 1. „Cum in omni dogmate optima judicandi ratio sit divinitus inspirata scriptura (ὁ θεόπνευστος ἐστι μαρτυρία); operae pretium existimo, divinorum testimoniorum firmamentis doctrinam nostram corroborare“ cfr. lib. 2. — 16) Ambros. prooem. in evang. Lucae „Sine conatu sunt donationes et gratia Dei, quae ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthaeus, non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas, sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque ministrante sine ullo molimine coepta compleverunt; et ideo bene dicit (Lucas): quoniam multi conati sunt.“ — 17) Chrysost. in Genes. hom. 21: „Divino Spiritu afflati Prophetae locuti sunt, ideo uti a Spiritu scripta ingentem in se continent thesaurum“ cfr. in Joann. hom. 1 in C. 1; hom. 35 in C. 5; hom. 49 in C. 7; de fid. et leg. nat. et Spir. s. sermo. — 18) Augustin. de civ. Dei lib. 18, C. 41. „Quicunque secundum illos sapuit et vixit, non secundum homines, sed secundum Deum, qui per eos locutus est, sapuit et vixit, — non haec ora humana, sed oracula divina fuderunt“ cfr. C. 38; de consens. evang. lib. 1, C. 35: confess. lib. 7, C. 21.

Summa (Resultat.) omnium horum locorum haec est:

a) Deus per S. scripturae authores locutus est, August.; ideoque sunt organa Dei — a Deo docti, Theophil, divinitus inspirati, Firmil. Athan. Gregor. Naz.;

b) Spiritus S. movit hos authores, Athenag. Novatian, omnia per eos elocutus, Clem. Alex., verba suggerens et res, Iren. Ambros.; iisdem cooperans, Euseb.; ab eodem Spiritu afflati, Chrysost.; ejus operationi puros se praebuere, Justin.;

c) hinc omnis scriptura divinitus inspirata seu data, Tertullian. Orig. Cyr. Hier. Greg. Nyfs., et divinae plenitudinis fons, Cyprian., ab ipso Deo conscripta, Athan.

4) Huc accedit decretum concilii Tridentini Sefs. 4. de canon. scripturis. „Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus — perspiciens hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum patrum exempla secuta omnes libros tam veteris, quam novi testamenti — suscipit et veneratur."

§. 10.

II. Traditio.

Alter revelationis fons apud Catholicos est traditio, sub qua intelligitur vel modus, quo doctrina quaedam propagatur, vel potius, uti hic, doctrina ipsa propagata, sicque est traditio veritas sive a Christo sive ab Apostolis hominibus communicata, a nullo tamen authore canonico literis clare exposita, vel, paucis ut dicam, doctrina viva tantum voce propagata; cujus realitas demonstratur,

1) ex existentia S. scripturae, cum ipsa traditio, quinam sint libri V. et N. T. canonici, optime determinare possit; quidquod cognita horum librorum materia et forma apparet, perfectum in iis minime reperiri systema doctrinale, sed multa adhuc, quae fidem et mores concernunt, requiri; insuper dicente S. Petro 2 ep. 3 16, permulta in S. scriptura nec plana nec perspicua sunt, ita, ut eadem omnia dogmata ad salutem scitu necessaria continere nullatenus queat;

2) ex munere Apostolorum, quod praecipuum fuit, evangelizare, verbum Dei praedicare Matth. 10, 7;

ad Rom. 10, 14 — 19; 1 ad Cor. 1, 17; ad Ephes. 3, 8; 1 Joan. 2, 24; nullibi enim Apostolis mandatum, elogia Jesu literis tradendi, datum fuisse legitur; hinc praeter literas ad doctrinas viva voce propagatas = traditiones respicere illi urgebant 1 ad Cor. 11, 2 „Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis: et sicut tradidi vobis, praecepta mea teneatis (καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις [traditiones] κατέχετε).“ — 1 ad Thess. 2, 13. „Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei etc. (λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ.)“ — 2 ad Thess. 2, 14; „Itaque, fratres, state et tenete traditiones (τὰς παραδόσεις), quas didicistis sive per Sermonem (διὰ λογοῦ), sive per epistolam nostram“ cfr. C. 3, 6; — 2 ad Tim. 1, 13; „Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti (ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας)“ cfr. C. 2, 2; — 2 Joan. v. 12 „Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui (στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι)“ *).

3) Ss. patres regulam fidei seu traditionem maximi fecere 1) Tertull. adv. Marc. lib. 1. C. 21 „Quod si post Apostolorum tempora, adulterium veritas passa est circa Dei regulam, ergo jam apostolica traditio nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam, et non alia agnoscenda erit traditio Apostolorum, quam quae hodie apud ipsorum ecclesias editur“ cfr. de cor. mil. C. 3, et C. 4; de jejun. C. 13; de praescript. haeret. C. 21; et C. 28; — 2) Clem. Alex. Strom. lib. 1, C. 1; „Hi veram quidem beatae doc-

*) Eph. Lessing sagt: „Das Christenthum war, ehe Evangelisten und Apostel geschrieben hatten. Es verlief eine geraume Zeit, ehe der erste von ihnen schrieb, und eine sehr beträchtliche, ehe der ganze Canon zu Stande kam.

trinae servabant traditionem (παράδοσιν), statim a Petro, et Jacobo et Joanne et Paulo, sanctis Apostolis, ita, ut filius acciperet a patre, — ad nos quoque Deo volente pervenerunt, illa a majoribus data et apostolica deposituri semina (ἀποστολικὰ — σπέρματα)" cfr. lib. 7, C. 15 et 16. — 3) Iren. adv. haer. lib. 3, C. 3 „Traditionem itaque Apostolorum in toto orbe manifestatam in ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos" cfr. C. 4. — 4) Orig. de princip. praef. n. 2: „Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione." — 5) Cyprian. ep. 74, „Si ad divinae traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus" — 6) Athan. epist. ad Adelph. contr. Arian. „Nostra fides recta est et ex doctrina apostolica et traditione (παράδοσεως) patrum confirmata et novo et veteri testamento" — 7) Basil. hom. 24, contr. Sabellianos C. 6. „At ne separes a Patre et Filio Spiritum Sanctum; absterreat te traditio (ἡ παράδοσις); sic Dominus docuit, praedicavere Apostoli, patres conservavere, confirmavere martyres" cfr. adv. Eunom. lib. 1. C. 3; de Spir. S. Cap. 9, n. 22; C. 10, n. 25; C. 27, n. 66; C. 29, n. 71; C. 30, n. 79; moral. reg. 12; C. 3; — 8) Greg. Naz. orat. 47 in Julian. 1. „Caeterum majorem atque insigniorem ob eas ecclesiae figuras, quas traditione acceptas in hunc usque diem servavimus, ut ne hoc quidem ipsius malitiae expers maneret, quid comminiscitur, quid facit?" — 9) Greg. Nyſs. advers. Eunom. lib. 3. vel 4. „Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habemus a patribus venientem ad nos traditionem (τὸ ἔχειν πατρόθεν ἥκουσαν πρὸς ἡμᾶς τὴν παράδοσιν)" — 10) Epiphan. haer. 41. „Oportet autem et traditione uti; non enim omnia a divina

scriptura accipi possunt; quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus Apostolus, sicut tradidi vobis, et alibi: sic doceo et sic tradidi in ecclesiis" cfr. haer. 61, — haer. 75, — haer. 80. — 11) Chrysost. hom. 4 in 2 ad Thess. 2: „Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt (Apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis (ἀγράφως παρεδίδοσαν) et ea quoque sunt fide digna; quamobrem ecclesiae quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quaerat amplius"! — 12) Rufin. hist. eccles lib. 2, C. 9: „(Ss. Gregorius Naz. et Basilius) divinarum scripturarum intelligentiam non ex propria praesumtione, sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat," — 13) Hieronym. ad Galat. C. 1: „Facit sententia (C. 1, 8) contra omnes haereticos, qui traditiones apostolicas mutare conantur" — cfr. advers. Lucifer. C. 4. — 14) Augustin. serm. 191 de tempore: „Ut ecclesiae regula, sanctaque patrum traditio atque judicia in perpetuum firma solidaque permaneant" cfr. contr. ep. Manich. — contr. Donat. lib. 2.

Summa omnium locorum haec est:

a) praeter scripturam adhibenda est traditio, Epiph. — fide quippe digna, Chrysost.; et in toto orbe manifestata, Iren. ideoque servanda, Basil. Greg. Naz. Greg. Nyſs. August.;

b) ab Apostolis provenit, Rufin, et vocatur apostolirum semen, Clem. Alex.; hinc aeque ac doctrina eorum valet, Clem. Alex. Athan. Hieron.;

c) veritas traditionis ecclesiasticae et apostolicae credenda, Origen.;

d) traditio earum agnoscenda ecclesiarum, quibus praesidebant Apostoli, Tertull.;

e) per eam evanescit error humanus, Cyprian.

Hinc decrevit concilium Constantinop. 2, oecum. 5, ao. 553 „Confitemur, fidem tenere — quam et sancti patres confessi sunt et explanaverunt et sanctis ecclesiis tradiderunt" cfr. supra Concil. Trident.

Regula principalis est et manet docente Vincentio Lirin. commonit. Cap. 3 et 4: „Id proprie catholicum, quod ubique, — quod semper, — quod ab omnibus creditum. cfr. Cap. 2 et 27.

Caput III.

Ecclesia christiano-catholica.

§. 11.

I. *Natura hujus ecclesiae et indoles.*

A) *Nov. test.* Christus ad revelationem deponendam fidemque conservandam fundavit ecclesiam usque ad finem mundi visibiliter perduraturam, quae vere dicitur christiano-catholica Matth. 16, 17. 18: „Respondens autem Jesus dixit ei (Petro): — Et ego dico tibi: quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam (μου τὴν ἐκκλησίαν, in hebr. עֵדָה, קָהָל, מִקְרָא), et portae inferi non praevalebunt adversus eam (αὐτῆς)"; — Act. 20, 28: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam (τὴν ἐκκλησίαν) Dei, quam acquisivit sanguine suo;" — ad Eph. 1, 22. 23: „Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam (ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, super omnia ecclesiae) quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur (το πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου), plenitudo omnia in omnibus adimplentis);" — C. 5, 23: „Christus caput est ecclesiae (κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας);" — 1 ad

Tim. 3, 15: „Scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi (ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος)."

In Evangelio haec ecclesia vocatur

a) regnum coelorum, ἡ βασιλεια των οὐρανων Matth. 5, 19; C. 13, 11. 24. 31. 33. 44. 45. 47. 52;

b) regnum Dei, ἡ βασιλεια του Θεου Matth. 21, 43; Act. 19, 8; C. 28, 23; sicque fit janua ad coelum Marc. 10, 15; Luc. 7, 28; Joan. 3, 3; ad Rom. 14, 17.

Ut ecclesia inter omnes gentes divulgaretur et usque ad finem mundi perduraret, Jesus quosdam elegit, qui opus a se inceptum post discessum suum ex hac vita ad patrem perficerent et consolidarent; inde Jesu provocatio ad Apostolos Matth. 28, 19. „Euntes ergo docete omnes gentes (μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη), baptizantes eos" cfr. Marc. 16 15. — Joan. 20, 21: Sicut misit me Pater; et ego mitto vos „et s. Apostolus Paulus ait ad Ephes. 4, 11. 12." Ipse (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos (ἀποστολους), quosdam autem prophetas (προφητας), alios vero Evangelistas (εὐαγγελιστας), alios autem pastores et doctores (ποιμενας και διδασκαλους), ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi;" cfr. Matth. 10, 2 — 6; Marc. 3, 16 — 20; Luc. 6, 13 — 17; praecipue 1. ad Cor. 12, 28. 29.

Haec ecclesia christiano-catholica gaudet notis quibusdam characteristicis, queis non alia gloriari potest; scilicet, unitate — sanctitate — catholicitate — apostolicitate;

1) ecclesia est una et concors respectu

a) doctrinae, id quod patet α) ex natura rei β) ex epist. ad Eph. 4, 4. 5. 6; „Unum corpus et unus Spiritus (ἓν σῶμα, καὶ ἓν πνεῦμα); sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma (εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα).

Unus Deus (εἷς Θεος), et pater omnium, qui est super omnes, per omnia et in omnibus nobis (alii legunt: ὑμῖν, vobis, quod idem).

b) membrorum 1. ad Cor. 12, 12; Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa (gr. του ἑνος πολλα ὀντα, unius multa existentia), unum tamen corpus sunt (ἕν ἐστι σωμα): ita et Christus" cfr. v. 13—28;

2) Sancta respectu

a) doctrinae, cum fundator ejus sit sanctissimus;

b) membrorum, cum copiosus in ea sit sanctorum numerus;

c) rituum v. g. Sacramentorum ad Ephes. 5, 25. 26. 27 et 32 quae ad sanctitatem ducunt;

3) universalis sive catholica, cum doctrina eadem semper et ubique et ab omnibus traditur et creditur Matth. 28, 19. 20;

4) apostolica respectu

a) originis, cum integra series omnium successorum tum s. Petri, tum Apostolorum, tum discipulorum septuaginta duorum hodiedum viget et vigebit, nec ulla vi adversa interrumpetur ad Eph. 2, 19. 20: „Ergo jam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide (ὀντος existente) Christo Jesu;" ergo ecclesia, quae est una — sancta — catholica — apostolica, debet esse vera et est societas hominum religionem christiano — catholicam profitentium sub auctoritate et directione praesidum Apostolis succedentium seu episcoporum et romani pontificis ceu unitatis centri per orbem diffusa.

B) Traditio; hic quaedam commemorare licet respectu notarum characteristicarum ecclesiae christiano — catholicae a) ss. patres 1) Ignat. ad Eph. C. 4. „Qui sunt sigillatim, omnes unus chorus fiant, ut conso-

nantes facti in unitate, conjunctionem Domini in similitudinem morum recipientes, in unitate unum effecti consensu Deo Patri et dilectissimo Filio ejus Jesu Christo Domino nostro" cfr. ad Philad. C. 5; — 2) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 40. ait: „Praedicationem ecclesiae ubique constantem et aequaliter perseverantem et testimonium habentem a Prophetis et Apostolis" cfr. lib. 2; C. 36; lib. 3; C. 3; — 3) Tertull. de praescript. C. 21: „Constat — sine dubio teneri, quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit" cfr. C. 32; — 4) Clem. Alex. Strom. lib. 7, C. 17: Manifestum esse existimo, unam veram esse ecclesiam eam, quae vere est antiqua (την τῳ ὀντι ἀρχαιαν), — cum unus sit Deus et unus Dominus. — In unius ergo naturae sortem cooptatur ecclesia, quae est una (ἡ μια), quam conantur haereses in multas discindere" — 5) Orig. in Exod. hom. 9 „Omnes fortasse sanctificationem ecclesiam facimus, quae est sancta, non habens maculam aut rugam" cfr. de unit. eccles. — et lib. 1. in Job. (nisi alius quisquam sit author) — 6) Cyprian. ep. lib. 1. ep. 6; „Ecclesia — una est, quae una et intus esse et foris non potest" cfr. de unit. eccles. — 7) Lactant. div. instit. lib. 4, C. 30: Sola catholica ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quo siquis non intraverit vel a quo siquis exiverit, a spe vitae ac salutis alienus est" — 8) Athan. dicta et interpret. s. script. quaest. 36. „Ecclesia dicitur — catholica (καθολικη) propterea quod per totum mundum diffusa sit" cfr. ad Serap. — 9) Cyrill. Hieros. catech. 18, C. 23: „Catholica enim vocatur (ecclesia), eo quod per totum orbem sit diffusa, a finibus terrae usque ad extrema, et quia docet catholice (καθολικως) et sine ullo defectu omnia, quae in hominum notitiam venire debent, dogmata" cfr. C. 20. — 10) Ambros.

lib. 8. in Luc. C. 17. „Ubi fides, ibi sacramentum, ibi diversorium sanctitatis; est etiam corpus ecclesia" cfr. in 1 ad Cor. 1; ad Eph. C. 4; de officiis lib. 3, C. 3; de fide lib. 5. C. 6. — 11) Epiphan. haer. 31 „Ecclesia — per universum orbem terrarum usque ad fines terrae dispersa ab Apostolis et ipsorum discipulis fidem accepit" cfr. haer. 68. — 12) Hieron. in Ps. 60.: „Vel unus homo, est una ecclesia; propter unitatem dicitur una; unde et in cantico canticorum dicitur: una est columba mea, id est, ecclesia in toto mundo diffusa" cfr. in Ps. 39; in Ps. 110; in Isai. 19; 13) Augustin. de vera relig. C. 7: „Tenenda est nobis christiana religio et ejus ecclesiae communicatio, quae catholica est et catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis" cfr. contr. epist. fundam. C. 4; hinc

a) unitatem ecclesiae demonstrant Ignat. Clem. Alex. Cyprian Hieron.
b) sanctitatem Orig. Lactant. Ambros.
c) catholicitatem Iren. Athan. Cyrill. Hieros. Epiphan. Hieron. Augustin.
d) Apostolicitatem Iren. Tertull. Clem. Alexand.
b) Concil. Nicen. 1 et Constantinop. 1 (oecum. 2 anno 381) eam fidem profitentur: „Credimus in unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam (πιστευομεν — εἰς μιαν ἁγιαν καθολικην και ἀποστολικην ἐκκλησιαν)." —

§. 12.

II. *Hierarchia ecclesiastica.*

Praerogativa eximia prae aliis, quae nominantur christianae, ecclesiis est hierarchia in ecclesia catholica existens, vi cujus gradatio et progressio ex inferioribus ordinibus ad majores fit, et primatus ceu centrum unitatis maximus est gradus, sicque datur in ecclesia catholica systema hierarchicum constans ex diaconis, presbyteris

byteris, atque episcopis, secundum finem et salutem religionis perdurans; hinc hierarchia est sacer principatus hominum partim mediate, partim immediate institutus, in quo sunt varii et distincti inferiorum et superiorum ordines ita distributi, ut ab illis ad hos ascendatur, et in quo quisque in ea dignitate, quam accepit, idoneus fiat, ad officia ecclesiastica rite obeunda; ergo est discrimen inter clerum et laicum (contra Herder), Luc. 10, 1; ad Rom. 12, 5—9; 1 ad Cor. 12, 28. 29; ad Eph. 4, 11. 12; et concil. Trident. sess. 23 Can. 6 declarat: „Siquis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam, divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit."

In s. scriptura sequentes occurrunt ordines:

1) diaconi, 2) presbyteri, 3) episcopi; quibus accedit 4) primatus, supremus hierarchiae gradus.

§. 13.

I. Diaconi (διακονοί)

A) *N. T.* Vox: διακονος significat

a) in genere ministrum, id est, talem, qui aliis ministrat, ad manus praesto est Matth. 20, 26; C. 22, 13; C. 23, 11; Joan. 2, 5. 9;

b) ministrum Dei ad Rom. 13, 4; 2 ad Cor. 6, 4;

c) ministrum seu servum Christi, evangelii, verbi Dei, 1 ad Cor. 3, 5; 2 ad Cor. 3, 6; ad Eph. 3, 7; 2 ad Tim. 4, 5;

d) legatum in re gravi ad Rom. 15, 8;

e) personam quandam hierarchicam presbytero inferiorem Act. 6, 1—8; C. 21, 8; ad Phil. 1, 1; 1 ad Tim. 3, 8. 12; forsan etiam Act. 5, 6. 10 et 1 Petr. 5, 5 in voce: νεωτεροι. — Officium eorum erat:

1) munera externa obire; sic dicunt Apostoli Act. 6, 2. „Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis (διακονειν τραπεζαις)" cfr. v. 4 et 5;

2) baptizare et praedicare iis licuit v. g. Act. 7, 2. de Stephano praedicante; C. 8, 6. 12. 32—39. de Philippo praedicante et baptizante; hinc dotes a diaconis requisitae 1 ad Tim. 3, 8—14; personae quoque alterius sexus occurrunt ad Rom. 16, 1; 1 ad Tim. 5, 3—11.

B) *Traditio* a) ss. patres, 1) Ignat. ad Magnes. C. 2. „(Sotion) diaconus subditus est episcopo et presbyteris in gratia et lege Jesu Christi" cfr. C. 6; ad Trall. C. 2; ad Philad. C. 1; ad Smyrn. C. 8. — 2) Polycarp. ad Phil. C. 5. „Subjecti estote presbyteris et diaconis, sicut Deo et Christo." — 3) Tertull. de bapt. C. 17. „Dandi (baptismum) — habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri, et diaconi." cfr. de fug. C. 11; de praescript. haeret. C. 41. — 4) Clem. Alex. strom. lib. 6. C. 13. „Hic quoque in ecclesia progressiones (προκοπαι) episcoporum, presbyterorum, diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriae angelicae" cfr. lib. 7. C. 1. — 5) Orig. hom. 2 in Cant. „Diaconorum, ut mihi videtur, ordinem memorat divino astantium ministerio" — 6) Cyprian. lib. de laps.: „Solennibus expletis calicem diaconus offerre praesentibus coepit" cfr. epp. lib. 3. ep. 9; et ep. 17. — 7) Optat. Milev. lib. 1 contr. Parmen.: „Quid commemorem — diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?" — 8) Ambros. ad Eph. C. 4: „(Diaconi) quamvis non sint sacerdotes, evangelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum et Stephanus et Philippus." cfr. offic. lib. 1. C. 41. — 9) Epiphan. haer. 79. „Neque diaconis in ecclesia concreditum est, ut aliquod ministerium perficiant, sed solum, ut administrent et exequantur commissa" — 10) Rufin. hist. eccles. lib. 1. C. 5. n. 20: Et ne diaconi presbyteris praeferantur, neve sedeant in consessu presbyterorum, aut illis praesentibus eucharistiam dividant; sed illis agentibus solum ministrent. Si vero nullus presbyter sit in praesenti, tunc demum etiam ip-

sis licere dividere: aliter vero agentes abjici jubent" — 11) Hieronym. ad Sabinian. diac. ep. 48: „Evangelium Christi quasi diaconus lectitabas" cfr. dial. adv. Lucifer. C. 4; in cant. cant. hom. 2; comment. in ep. ad Tit. C. 2; in Mich. C. 2. — 12) Cyrill. Hieros. catech. 23, mystag. 5. C. 2. „Vidistis — diaconum sacerdoti et presbyteris altare Dei circumstantibus aquam abluendis manibus porrigentem."

Summa horum locorum est:

a) diaconi episcopis et presbyteris inferiores, Ignat. Clem. Alex. Rufin., in tertio hierarchiae gradu constituti, Optat. Milev. et divino ministerio addicti, Orig.; inde

b) administrant commissa, Epiph.;

c) evangelizant, Ambros. et evangelium legunt, Hieron.;

d) baptizant, Tertull.;

e) manibus abluendis porrigunt aquam presbyteris, Cyrill. Hieros.

f) absente presbytero eucharistiam dividunt, Rufin. et calicem offerunt praesentibus, Cyprian;

g) honorandi sunt a fidelibus, Polycarp.

b) 1) Constitut. apostol. lib. 2 C. 26: „Diaconus vero assistat huic (scil. episcopo *τουτῳ παριστάσθω*), ut Christus Patri, et ministret ei sancte in omnibus (*και λειτουργειτω αυτῳ ἐν πασι ἀμεμπτως*)" — C. 57: Diaconus aut presbyter Evangelia legat (*ἀναγινωσκετω τὰ εὐαγγελια*)" cfr. C. 30, C. 31 et C. 44, lib. C. 20. — 2) Concil. Arelat. anno 314 can. 18: „De diaconibus urbicis, ut non sibi tantum praesumant, sed honorem presbyteris reservent, ut sine conscientia ipsorum nihil tale faciant." — 3) Concil. Laodic. sub Sylvestro Can. 20: „Quod non oportet diaconum ante presbyterum (*ἐμπροσθεν πρεσβυτερον*) sedere, sed sedere cum jussu presbyteri." — 4) Concil. Carthag. IV, anno 398, C. 37: Diaconus ita se presbyteri, ut episcopi ministrum noverit."

§. 14.

II. Presbyteri (πρεσβυτεροι) seu sacerdotes.

A) *N. T.* Vox: πρεσβυτερος designat

a) in singulari: seniorem familiae Luc. 15, 25;

b) in plurali: proceres, praedecessores Matth. 15, 2;

c) magnates, principes, nobiliores populi Matth. 16, 21; C. 21, 23; Act. 4, 5. 8;

d) in specie personam hierarchicam in secundo gradu, diacono superiorem, episcopo inferiorem, quae sub hujus inspectione jus habet, omnia ecclesiae munera, seclusis quibusdam, obeundi; vocatur πρεσβυτερος της ἐκκλησιας, et sacerdos in sensu proprio Act. 11, 30; C. 14, 22; C. 15, 2. 4. 6. 22. 23; C. 16, 4; C. 20, 17; 1 ad Tim. 5, 17. 19; ad Tit. 1, 5; hinc Apostoli, licet se ipsos presbyteros, seniores seu potius conseniores (συμπρεσβυτεροι) vocitent 1 Petr. 5, 1; 2 Joan. v. 1; 3 Joan. v. 1; prae presbyteris tamen seu senioribus nomen suum profitentur, quo hos illis subjectos esse indicatur Act. 6, 2—7; C. 14, 22; C. 15, 2. 4. 6. 22. 23; C. 16, 4; C. 20, 17—29; 1 ad Cor. 12, 28; ad Eph. 4, 11.

Officium eorum est

1) praedicare evangelium Luc. 10, 1—12; laborare in verbo et doctrina 1 ad Thess. 5, 12; 1 ad Tim. 5, 17;

2) praeter potestatem baptizandi, eucharistiam celebrandi, et distribuendi, absolvendi, iis quoque potestas, aegrotos oleo ungendi, competit Jac. 5, 14;

3) uti incumbit pascere gregem 1 Petr. 5, 2, ut fiant forma gregis ex animo vers. 3.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 21: „Praepositos (τους προηγουμενους) nostros revereamur, seniores (τους πρεσβυτερους) honoremus, juvenes doceamus" — C. 40: „Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius praestitutus est (και τοις ἱερευσιν ἰδιος ὁ τοπος προστετακται)" —

2) Ignat. ad Philad. C. 1 ait: „Presbyteros per Jesu sententiam fuisse designatos" cfr. ad Trall. C. 3; ad Smyrn. C. 8. — 3) Iren. adv. haer. lib. 4, C. 43: Quapropter eis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet" cfr. lib. 3. C. 2. — 4) Orig. in Jerem. hom. 11 dicit de se presbytero: „plus a me exigitur, quam a diacono, plus a diacono, quam a laico; qui vero totius ecclesiae arcem obtinet, pro omni ecclesia reddet rationem." — 5) Pacian. ep. 1 ad Sympronian: „Quod (Deus) per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est: nam quid illud est, quod Apostolis dicit: quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in coelis." — 6) Ambros. lib. 1 de poenit. C. 2: Jus hoc (peccata remittendi ac retinendi) solis permissum sacerdotibus est" cfr. de sacram. lib. 4. C. 4. — 7) Chrysost. lib. 3 de sacerdot.: „Infirmatur — aliquis in vobis, advocet presbyteros" cfr. hom. 11. in 1 ad Tim. 3. — 8) Innocent. P. ep. ad Decent. C. 8: Idcirco de presbyteris dictum est (ut inungant aegrotos), quia episcopi occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt." — 9) Hieron. ep. 85 ad Evagr.: Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est, episcopis anteferret" citans Act. 20, 28; ad *Phil.* 1, 1; 1 ad Tim. 5 et ad Tit. 1 cfr. dial. adv. Lucifer. C. 4; comment. in Jerem. C. 13. — 10) Augustin. ad Fortun. ait.: „Presbyteris licere baptizare." — 11) Possidius vita 5 August. C. 5: „Eidem (Augustino) presbytero potestatem dedit (episcopus Valerius), coram se in ecclesia evangelium praedicandi ac frequentissime tractandi." — 12) Socrates hist. eccles. lib. 2, C. 22: Semper episcopi ac presbyteri scripturas interpretantur." —

Summa omnium locorum est:

a) presbyteri a Jesu designati, Ignat.;

b) episcopis inferiores sunt Clem. Rom. Orig. Hieron.;

c) evangelium praedicant, Possidius, et scripturas interpretantur Socrates, et sacrificant vid. infra §. 65;

d) baptizant, August.;

e) a peccatis absolvunt, Pacian. Ambros.;
f) infirmos ungunt, Chrysost. Innocent.;
g) inde a fidelibus honorandi Clem. Rom. et audiendi, Iren.

b) Concil. Trident. sess. 23 Can. 1: „Siquis dixerit, non esse in novo testamento sacerdotium visibile et externum vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium, vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit."

§. 15.

III. Episcopi (ἐπισκοποι)

A) *N. T.* Vox: ἐπισκοπος

a) est = ὁ μειζων, major Matth. 20, 26;
b) = ὁ προισταμενος, praeses, praesul ad Rom. 12, 8; 1 ad Thess. 5, 12;
c) = ὁ ἡγευμενος, praedecessor, dux, inspector Luc. 22, 26; aliis verbis: doctor, διδασκαλος, 1 ad Cor. 12, 29; ad Eph. 4, 11;
d) = ὁ ποιμην, pastor scil. animarum Ioan. 10, 11. 14; ad Eph. 4, 11; in hoc sensu vocatur Christus princeps pastorum, ὁ ἀρχιποιμην 1 Petr. 5, 4;
e) hic designat personam hierarchicam in supremo hierarchiae gradu constitutam, tum ratione honoris, dignitatis et jurisdictionis, tum ratione munerum obeundorum et diaconis et presbyteris superiorem Act. 20, 28; ad Phil. 1, 1; hinc dotes ab episcopo requisitae 1 ad Tim. 3, 1—8.

Munera episcoporum sunt eadem ac Apostolorum, quorum successores existunt et quidem

1) docere et praedicare evangelium Matth. 10, 7—15; C. 28, 19. 20; 1 ad Cor. 9, 16; 1 ad Thess. 5, 12; 2 ad Tim. 2, 2; C. 4, 2. 5;

2) confirmare baptizatos Act. 8, 17. 18; C. 19, 6; et ordinare ecclesiae ministros 1 ad Tim. 4, 14; C. 5, 22; 2 ad Tim. 1, 6; ad Tit. 1, 5; uti et cetera sacramenta administrare et distribuere;

3) disponere et leges dare pro salute fidelium ipsis commissorum 1 ad Cor. 11, 33. 34; 1 ad Tim. 5, 17; ad Tit. 1, 5;

4) in genere promovere salutem fidelium spiritualem Act. 20, 28; 1 Petr. 5, 1—5.

Plura tum honoris tum jurisdictionis jura occurrunt in jure canonico.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Ignat. ad Eph. C. 3: „Episcopi ex Jesu Christi sententia per terrae terminos definiti" cfr. ad Magnes. C. 13. — 2) Justin. apol. 1 (al. 2): „Ei, qui fratribus praeest (τῳ προεστωτι των ἀδελφων = episcopo) offertur panis et poculum aquae et vini ad consecrandum." — 3) Iren. adv. haer. lib. 1, C. 28: „(Hyginus) novum locum episcopatus per successionem ab Apostolis habuit." — 4) Tertull. adv. Marc. lib. 4. C. 5: „Ordo — episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem" cfr. de bapt. C. 17; de praescript. haeret. C. 32. — 5) Orig. comment. in Matth. tom. 14. n. 22: „Episcopus, presbyter et diaconus rerum verarum symbola sunt" cfr. tom. 16. n. 8; hom. 6 in Isai., hom. 17 in Lucam. — 6) Firmilian. epist. ad Cyprian. (inter Cypr. ep. 75): „Potestas peccatorum remittendorum Apostolis data est — et episcopis, qui eisdem ordinatione vicaria successerunt." — 7) Pacian. ep. 1 ad Sympron.: „Si ergo lavacri et chrysmatis potestas majorum longe charismatum ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi." — 8) Gregor. Naz. orat. de bapt.: „Ne dicas: baptizet me episcopus, atque is metropolitanus vel Hierosolymitanus." — 9) Ambros. de offic. lib. 1, C. 1: „Episcoporum munus est populum docere" cfr. de dignit. sacerd. C. 1 et 2;

tunc C. 6; comment. in 1 ad Cor. C. 11. — 10) Epiphan. haer. 75: „Episcoporum ordo patrum generator est, patres enim generat ecclesiae; presbyterorum vero non potens generare patres.“ — 11) Chrysost. hom. 11 in 1 ad Tim.: „Sola ordinatione superiores illi (episcopi) sunt“ cfr. hom. 13. — 12) Innocent. P. epist. ad Decent. C. 3: „De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo, fieri licere“ cfr. C. 8. — 13) Hieron. ad Marcel. ep. 54: „Apud nos Apostolorum locum tenent episcopi“ cfr. ep. 85 ad Evagr.; in Jerem. C. 22; in Isai. C. 19.

Summa omnium horum locorum haec est:

a) episcopi a Jesu constituti, Ignat. succedunt Apostolis, Iren. Tertull. Firmilian.;

b) presbyteris sunt superiores, Epiph. Chrysost. et primi vocantur, Orig.;

c) populum docent, Ambros.;

d) baptizant, Gregor. Naz. et chrysma conficiunt, Pacian;

e) baptizatos confirmant, Innocent.;

f) consecrant, Justin.;

g) remittunt peccata, Firmil. et ligant, Pacian.;

h) ordinant ecclesiae ministros, Chrysost.

b) Dependentia diaconorum et presbyterorum primo ostenditur 1) in canonibus apostolicis et quidem can. 38: „Presbyteri et diaconi sine sententia episcopi (ἀνευ γνωσης του ἐπισκοπου) nihil perficiant: ipse enim est, cujus fidei populus est creditus et a quo pro animabus ratio exigetur“ cfr. can. 40 et 1. — Constit. apost. lib. 2, C. 26: „Episcopus vobis praesideat, ut dignitate Dei cohonestatus (ὡς Θεου ἀξια τετιμημενος)“ cfr. concil. Arelat. I. anno 314, can. 20. — 2) Concil. Nicaen. I. anno 325, C. 19: „Rebaptizati ordinentur a catholicae ecclesiae episcopo (χειροτονεισθωσαν ὑπο του της καθολικης ἐκκλησιας ἐπισκοπου)“; sic et concil. Antioch. 1 sub Julio P. can. 9. — 3) Concil. Laodic. anno 366 vel 370,

can. 56: „Quod non oportet presbyteros ante episcopi introitum (πρo της εἰσοδου του ἐπισκοπου) sacrum tribunal ingredi et sedere in tribunali." — 4) Carthag. 2, sub Siricio P. Cap. 9: „Quisquis presbyter inconsulto episcopo agenda in quolibet loco voluerit, celebrare, ipse honori suo contrarius existit." — 5) Carthag. 3, sub eod. Cap. 45: „Episcopus unus esse potest, per quem dignatione divina presbyteri multi constitui possunt; unus autem episcopus difficile invenitur constituendus." — 5) Trient. sess. 23, Can. 7: Siquis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; — anathema sit."

§. 16.

IV. Primatus Petri.

A) *N. T.* Inter omnes episcopos eminet tanquam centrum unitatis ratione tum honoris, tum jurisdictionis episcopus romanus, cui in persona s. Petri praeeminentia quaedam ac praerogativa prae caeteris episcopis concessa, id est, primatus datus fuit; sancto enim Petro Romae sedem habenti (id quod ex historia demonstrandum) a Jesu Christo primatum hunc, vi cujus caput et princeps pastorum pro universa ecclesia constituebatur, prae caeteris Apostolis vere datum fuisse, probatur

1) ea Matth. 16, 16. 17. 18: „Respondens Simon Petrus (in nomine omnium Apostolorum praesentium) dixit (ad Jesum): tu es Christus filius Dei vivi (cfr. Luc. 9. 20). Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus (ὅτι συ εἶ πετρος; vocaris πετρα: sic secundum linguam syro — chaldaicam, in qua Jesus locutus traditur, uti habent verss. syr. arab. aethiop. et pers. et in lingua graeca

πετρος ac πετρα idem significant, et interpreti latino congruentius videbatur, viro masculinum, quam femininum adjungere) et super hanc petram (ἐπι ταυτῃ τῃ πετρᾳ) aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam (αυτης)." Jesus non sine ratione s. Petro imposuit nomen: Cephas (κηΦας) Joan. 1, 42; hinc Petro ad munus apostolicum jam initiato s. Joannes addit: „quod interpretatur Petrus;" ergo sub voce: petra, cui Christus ecclesiam superstruere cogitat, nec Christus ipse, nec confessio Petri (quod contra omnem sensum est), sed Petrus tantummodo confessionem hanc manifeste deponens intelligi debet, id quod ostendunt

a) verba Christi Petro praeprimis dicta: ego dico tibi (σοι, לְךָ), — tu (συ, אַתָּה) es Petrus — tibi (σοι, לְךָ) dabo etc.;

b) praedicatum: beatus (μακαριος, אֶשֶׁר);

c) naturalis vocum connexio;

d) consilium Christi, Petro praerogativam singularem concedendi v. 18; nam C. 18, 18: „Quaecunque alligaveritis etc." ad omnes pertinet Apostolos; in loco vero nostrate dictum Jesu continet laudem personae individualis et mercedem pro confessione fidei in promissione primatus; nec necesse est, ut in hoc loco et illo Joan. 21, si Petrus et successores intelligendi sint, addi debeat: „tu et successores tui sedis romanae": nullibi enim Christus Apostolis locuturus addit: „vos et successores vestri hujus vel illius sedis", idquod per se patet (contra Bertholdt), cum religio christiana ejusque primatus non ad annos aliquot, sed usque ad consummationem saeculi fundata fuit.

2) Ex Joan. 21, 15. 16, 17: Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis (Ἰωνα) diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis,

quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos (i. e. fideles filios). Dicit ei iterum (text. gr. addit: δευτερον, secundo): Simon Joannis, diligis me? Ait illi: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos (text. gr. προβατα μου, oves meas). Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas (i. e. matres, vel potius patres ecclesiarum, nimirum: optimates, praesules)". Petrus solus ter interrogatur, licet caeteri adfuerint et post trinam contestationem ei soli, non caeteris, a Christo potestas, pascendi agnos simul et oves, committitur; ad quem locum et caetera loca Act. 20, 28; 1 ad Corinth. 12, 28 reducenda et interpretanda sunt; hinc ad hunc casum non quadrant

a) loca Marc. 9, 34; C. 10, 43. 44; Luc. 9, 48; ad Eph. 2, 20; 1 Petr. 5, 1;

b) non derogare potest primatui

α) locus ad Gal. 2, 7. 11. cum in casibus similibus episcopus nonnullus zelo sacro inflammatus id ageret, quin subordinationem non agnosceret,

β) locus 1 ad Cor. 3, 11. cum Christus semper est et manet fundamentum primarium cfr. vers. praeced.

γ) locus cap. 10, 4. ubi est sensus allegoricus.

Si consulamus ipsam rationem; pro societate religiosa visibili caput visibile requiri non negabit; insuper verbum Domini non praeteribit et caput ecclesiae persecutionibus maximis licet furentibus salvum semper et incolume permansit et permanebit usque ad consummationem saeculi.

3) Luc. 22, 31. 32 orat Christus, caeteris licet Apostolis praesentibus, specialiter pro Petro, dicens: „Simon, Simon ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te (περι σου), ut non

deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (και συ ποτε ἐπιστρεψας στηριξον τους ἀδελφους σου)."

4) Apostolus Petrus in enumerandis Apostolis semper primo loco nominatur Matth. 10, 2: „Duodecim autem Apostolorum nomina sunt haec: primus (πρωτος) Simon, qui dicitur Petrus" Marc. 1, 36; C. 3, 16; Luc. 6, 13. 14.

5) ipse in occasionibus maximi momenti verba prima fecit respondens saepissime in nomine caeterorum Apostolorum Matth. 19, 27; Luc. 8, 45; C. 18, 28; Joan. 6, 69. 70; Act. 1, 15; C. 2, 14; C. 3, 12; C. 4, 8 pro se et Joanne; C. 15, 7 in concilio primo, nec ex imperio, sed vi precum Act. 8, 14 missio Petri et Joannis ad Samaritanos per Apostolos fiebat.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Anaclet. P. successor Clement. Rom. in ep. 3 C. 4: „Haec apostolica sedes cardo et caput — omnium ecclesiarum a Domino, non ab alio, est constituta. Et sicut cardine ostium regitur; sic hujus sanctae sedis auctoritate omnes ecclesiae, Domino disponente, reguntur." *) — 2) Iren. adv. haer. lib. 3, C. 3: vocat ecclesiam romanam „maximam et antiquissimam" concludens: „ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique fideles." — 3) Tertull. lib. de pudic. C. 1: „Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremtorium: pontifex maximus (episcopus romanus), quod est episcopus episcoporum, edicit" cfr. de praescript. haeret. — 4) Orig. comment. in Joan. tom. 32 in numerandis Apostolis primo loco s. Petrum collocat. — 5) Cyprian. epp. lib. 1

*) Haec et similia effata legi possunt in epistolis Zephyrini, Callisti, Fabiani, Sixti, Sylvestri, Julii, Gelasii, Symmachi, Vigilii, Gregorii M., Nicolai.

ep. 8: „Deus unus est et Christus unus et una ecclesia, et cathedra una super petram Domini voce fundata" cfr. ep. 3 ad Cornel. — lib. 4, ep. 8 — lib. de unit. eccles. — 6) Ephrem. Syr. serm. de impunct. vocatur s. Petrus: „princeps ac vertex Apostolorum." — 7) Hilar. tract. in Matth. C. 16 exclamat in s. Petrum: „O in nuncupatione novi nominis felix ecclesiae fundamentum dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret." 8) Optat. Milev. contr. Parmen. lib. 2: „Cathedra unica est, quae est prima de dotibus — Sedit prior Petrus, cui successit Linus." cfr. lib. 7. — 9) Athanas. ep. ad Felic. P.: „Vos (romanos) — praesules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere praecepit, ut nobis succurratis." — 10) Basil. prooem. de judic. Dei C. 7: „Beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus (ὁ παντων των μαθητων προκριθεις), cui soli majora data, quam aliis, sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt." Eadem verba occurrunt serm. 7 de peccat. C. 4; cfr. contr. Eunom. lib. 2. — 11) Cyrill. Hieros. catech. 2, C. 19: „Petrus Apostolorum summus et princeps (ὁ κορυφαιοτατης καὶ πρὸτοστατης των ἀποστολων)" cfr. cat. 11. C. 3 et cat. 17. C. 27. — 12) Greg. Nyss. de S. Stephano orat. vocat s. Petrum: „Apostolici chori principem et coryphaeum." — 13) Ambros. in Ps. 40: „Ipse est Petrus, cui dixit (Jesus): tu es Petrus etc.; ubi Petrus, ibi ecclesia; ubi ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna; et ideo addidit: et portae inferi etc." cfr. in Ps. 118, octon. 13; sermm. de sanctis serm. 2; comment. in Luc. C. 5; in; ad Tim. C. 3; lib. de obit. fratr. Satyri; de sacram. lib. 3, C. 1. — 14) Epiph. haer. 51: „Qui sit primo loco dignus (ἐν πρωτοις ἀξιος ταττεσθαι) intelligit (Christus): quare Petrum discipulorum suorum principem (ἀρχηγον) elegit." — 15) Chrysost. hom. 3 in Act. C. 1 dicitur Petrus „in choro princeps,

ubique primus omnium" cfr. de verbis Isai. vidi Dominum hom. 4; hom. 55 in Matth.; hom. 87 in Joan. C. 21; hom. 4 in 1 ad Cor. C. 1; hom. 9 in 1 ad Thess. C. 5. — 16) Hieronym. ad Dam. ep. 57: „Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio." cfr. ep. 58; ad Marcell. ep. 54; adv. Pelag. lib. 1, C. 4; adv. Jovin. lib. 1, C. 4; comment. in Isai. C. 53; in Ezech. C. 41; in Matth. C. 16 et 18. — 17) August. ep. 162 (al. 43): „In qua (romana ecclesia) semper apostolicae cathedrae viguit principatus" cfr. in Ps. 108 n. 1; ad Bonifac. lib. 1, C. 1. — 18) Cyrill. Alex. dial. de trin. lib. 4: „Hac ratione (Matth. 16, 16) divinus nobis sermo dixit beatum Petrum eximium inter sanctos Apostolos" cfr. comment. in Joan. lib. 4, C. 28. — 19) Theodoret. epist. ad Leon. rom. episc.: Vobis per omnia primos esse convenit; multis enim quibus superiores estis, ornatur vestra sedes: — vestrae redundantem bonorum copiam dedit is, qui est bonorum largitor. Ea est enim omnium maxima et praeclarissima et quae praeest orbi terrarum et eorum, qui inhabitant, abundat multitudine" cfr. comment. in ep. 1 ad Cor. C. 12; et ad Gal. C. 1.

Summa omnium locorum est:

a) s. Petrus primo loco collocatur, Orig. Chrysost. vocatur princeps ac vertex Apostolorum, Ephrem, Chrysost. Apostolorum summus et princeps, Cyril. Hieros. Greg. Nyss. Cyril. Alex. princeps discipulorum, Epiphan. omnibus discipulis praelatus, Basil. felix ecclesiae fundamentum, Hilar. ad regendam ecclesiam electus, Ambros.;

b) episcopus romanus dicitur episcopus episcoporum, Tertull. in summitatis arce constitutus, Athan.;

c) ecclesia romana est maxima et antiquissima, Iren. in qua est cathedrae a Jesu fundatae principatus, Cyprian. Hieron. August.;

d) sedes romana apostolica est maxima et praeclarissima, caput omnium ecclesiarum, Anaclet. et prima, Opt. Milev.

b) Concilia 1) Nicaen. 1 (anno 325) Can. 6: „Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Libya et Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus, horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et episcopo romano consuetum est (και τῳ ἐν τῃ Ῥωμῃ ἐπισκοπῳ τουτο συνηθες ἐστι)"; legi meretur nota Binii in hunc canonem apud Mansi tom. 2, pag. 735. — 2) Ephes. oec. 3 (anno 431) epist. ad Nestor.: Cum sancta synodo, quae apud amplam urbem Romam congregata est, praesidente sanctissimo et reverendissimo patre et consacerdote nostro Coelestino episcopo his scriptis synodicis, te tertio convenimus." — 4) Lugdun. 2 (anno 1274) lit. ad Michael. Palaeol. imper.: „S. romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in s. Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit." — 4) Constantiense (anno 1415) sess. 14 habet inter damnatos articulos Joannis Hufs artic. 7: Petrus non fuit, nec est caput ecclesiae sanctae catholicae.. cfr. art. 9, 11. 12. 13. 20. 22. 23 et 24. — 5) Florentin. (anno 1439) defin. s. oec. synod. seu lit. unionis: „Definimus, sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum pontificem romanum esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque eccle-

siae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.“

Cornel. Jansenius episc. Iprens. scripsit Tetrateuchum, sive commentarium in quatuor Evangelia Lovanii 1639, omnigena eruditione refertum, in quo ad locum Matth. 16, 18 explicans verba: tu es Petrus, summi pontificis primatum agnoscit dicens: „His igitur verbum secundum antiquorum patrum concordem intelligentiam Christus Petrum caput ecclesiae suae, vicarium scilicet suum, cum plenitudine instituit, et, ut Gregorius loquitur lib. 4 ep. 33 cura ei totius ecclesiae et principatus committitur.“

Opera in hac materia principaliora sunt: Von dem Pabste und seinen Rechten, von Barruel, übersetzt von Güldenapfel zu Jena 1806, 2te Auflage 1819. Landshut. — Was glaubte von jeher die Katholische, namentlich die französische Kirche vom Bischofe zu Rom 1812. Augsburg. — Die Zeugnisse aller christlichen Jahrhunderte für die Gewalt der Kirche und ihres Oberhaupts 1816. Frankfurt am Main (von Lorenz Doller).

§. 17.

III. Infallibilitas ecclesiae.

A) *N. T.* Haec vera ecclesia christiano - catholica primatu Petri nixa inerrantiae dono in rebus fidei et morum gaudet estque in controversiis fidei judex supremus, quod privilegium datum est ecclesiae imperium

tenenti-

tenentibus, romano scilicet pontifici et episcopis simul sumtis; en argumenta

1) Matth. 16, 18 dicitur de ecclesia: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam (καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς); quo effato Jesus ecclesiae suae perennitatem promisit eamque a quovis errore essentiali praeservavit. — 2) C. 28, 20: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.“ Cum Jesus expresse ait: omnibus diebus (πάσας τὰς ἡμέρας), addens insuper: „usque ad consummationem saeculi (ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος)“; hoc effatum non ad Apostolorum solum aetatem se extendit, sed et ad successores eorum continua, haud interrupta serie illos subsequentes. — 3) Joan. 14, 16: „Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum (παρακλητον) dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum“; hic Jesus post discessum suum ex hac vita Apostolis suis, id est, ecclesiae suae alium doctorem se missurum promisit, qui in aeternum (εἰς τον αἰωνα, = omnibus diebus, = usque ad consummationem saeculi) cum ea permaneret eamque ab omni errore praeservaret cfr. C. 15, 26. 27; C. 16, 13—17; Act. 15, 28. — 4) ad Eph. 4, 11. 12. 16: „Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: — ex quo totum corpus (id est, ecclesia) compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate“; jam vero universum Jesu institutum destrueretur, si ecclesiae effata, ceu normae fidei et morum fidelibus praescriptae, falsa

et erronea essent, ergo etc. — 5) 1 ad Tim. 3, 15: „Scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis (στύλος καὶ ἑδραίωμα της ἀληθείας)"; dicente Grotio: „Ecclesia veritatem sustentat aque attollit" et addente: „(Columna et firmamentum veritatis) tituli hi sunt ecclesiae, cui, qui eos invident, mirum quantum laborent, ut haec verba sequenti periodo connectant. Eis tum alia repugnant, tum illud το, quod ponitur ante της εὐσηβειας μυστηριον (pietatis mysterium), qui articulus ostendit, novum esse sensum, non titulorum cum sequentibus continuationem et illud μυστηριον poni subjective, non praedicative, ut scholae loquuntur. Apostolus, mentione facta templi, novam de templo sumsit similitudinem etc." nec ibi est sermo de ecclesia Ephesina, sed de universali, cui proprie convenit titulus: ecclesia Dei vivi cfr. 1 ad Cor. 3, 16. 17; 2 ad Cor. 6, 16 et quae est omnis veritatis scriptae et traditae columna et firmamentum et custos; attamen sit, ut multis hic locus non placeat, loca tamen supra citata, ad probandum dogma sufficient.

Hinc provocatio Apostolorum ad unitatem fidei 1 ad Cor. 1, 10. 11; ad Gal. 5, 10; ad Eph. 4, 13; ad Phil. 2, 2; 2 Petr. 1, 1. 2. 3; nec adest protestantismus in Catholicismo (contra novellas Ulmenses).

B) *Traditio* a) ss. patres infallibilitatem ecclesiae apertis verbis in quovis casu occurrente exponunt: 1) Iren. adv. haer. lib. 3, C. 4: „Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis. — Quid enim si de aliqua modica quaestione disceptatio

esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et re liquidum est" cfr. lib. 5, C. 20. — 2) Tertull. de praescript. C. 21 testimonium ecclesiae vocat „testimonium veritatis" cfr. C. 28 — de jejun. C. 13. — 3) Lactant. de vera sap. lib. 4, C. 30 vocat ecclesiam „fontem veritatis et domicilium fidei." — 4) Hilar. de trinit. lib. 6: „Super hanc igitur confessionis petram ecclesiae aedificatio est. — Haec fides ecclesiae fundamentum est; per hanc fidem infirmae adversus eam sunt portae inferorum." — 5) Basil. de spir. s. C. 16, n. 39: „Jam vero ecclesiae ordo et gubernatio, nonne palam et citra contradictionem per Spiritum sanctum (δια του πνευματος) peragitur." cfr. ep. 114 (al. 204) ad Cyriac. — 6) Ambros. hexaemer. lib. 4. C. 2: „(Ecclesia) obumbrari potest, deficere non potest" cfr. de Abraham. lib. 2, C. 3. — epp. lib. 3, ep. 19. — 7) Chrysost. de expuls. sua hom.: „Christi ecclesia nihil fortius, tale foedus semper manet — ecclesiam vincere nulla vis potest." — 8) Hieron. in Isai. C. 4: „Super quam (petram) fundata ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur" cfr. in Job. C. 31. — 9) Augustin. in verba 1 ad Tim. 3, 14: „(Ecclesia) non inclinabitur in saeculum saeculi. Ipsa est praedestinata columna et firmamentum veritatis" cfr. ep. 118 (al. 54) ad Januar. C. 1; lib. 7 de bapt. contr. Donat. C. 53.

Hinc a) ecclesia est dives depositorium, Iren.; fons veritatis et domicilium fidei, Lactant.; indefectibilis Ambros. August. et invincibilis, Chrysost. Hieron.;

b) quae regitur a sancto Spiritu, Basil.;

c) cujus testimonium est testimonium veritatis, Tertull.;

d) adversus quam inferi portae nil valent, Hilar.

b) Concilium Tridentinum sess. 5 decret. de peccat. orig. sic ait: „Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata — sacrarum scripturarum et sanctorum Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia et ipsius ecclesiae judicium et consensum secuta haec — statuit, fatetur ac declarat.“ Doctrina de canone ad hermeneuticam biblicam rejicitur.

(Finis brevis introductionis.)

Sectio I.

Theologia biblica

seu

doctrina de Deo.

Existentiam Dei in s. scriptura demonstratam supponi, supra jam dictum fuit, et cognitio de Deo in se sive in essentia ex eadem hauriri nequit, dicente s. Apostolo Paulo: „Nunc cognosco ex parte" 1 ad Cor. 13, 12. et alio loco: „Deus lucem inhabitat inaccessibilem" 1 ad Tim. 6, 16; hinc omnis de Deo cognitio est tantum comparativa nec alia ab entibus ejusmodi, ut homines sunt, exspectanda; nihilominus ea cognitio, quam s. scriptura nobis suppeditat, est certa, — captui humano apta, — sufficiens — et rationi quam maxime conveniens. Summa de Deo scientia nostra consistit in eo, ut humiliter fateamur, Deum majorem ac sublimiorem esse, quam ut cogitationibus nostris eum assequi possimus. Revelatio loquitur de Deo uno in essentia et de Deo trino in personis.

Caput I.

Deus unus in essentia.

§. 1.

Ratione sibi soli relicta quantopere in hoc genere erraverit et modo ad Dualismum, modo ad Polytheismum aut Pantheismum, modo ad Atheismum devenerit, omnium temporum historia docet; rationi ergo revelatio succurrat, necesse est.

A) *V. T.* Oeconomia mosaica unitatem Dei in lucem edit clarissimam, primaque Israelitarum lex fuit, unum tantummodo Deum adorare et colere Ex. 20, 2. 3 et 23; C. 34, 14; unitas enim jam in conceptu Dei con-

tinetur et ex ordine in natura non obscure derivatur Deut. 4, 35: „Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter unum (text. hebr. אין עוד מלבדו, nullus amplius praeter eum)" cfr. vers. 39; C. 6, 4: „Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est (יהוה אחד)" cfr. vers. 13; C. 32, 39: „Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me (כי אני אני הוא ואין אלהים עמדי, quod ego, ego ipse [sum] et nullus Deus praeter me)" cfr. 2 Reg. 7, 22; Job. 31, 15; Sap. 12, 13.

a) Negari utique nequit, in libris mosaicis loca existere, e quibus, Deum Israelitarum aeque, ac Deos ceterarum gentium, nationis tantummodo esse appareat, sicque potius (ut Dr. Kaiser ait) Theismum nationis, quam Monotheismum tradi, cum Deus ipse dicat Ex. 3, 6: „Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac et Deus Iacob"; cfr. verss. 15 et 18; at hic consideranda est ea, in qua Israelitae eorumque patres cum Deo versabantur, ratio specialis, unde haec denominatio desumta esse videatur, et quis Deum in iisdem libris universalem non tradi affirmare audebit? Ex Jud. 11, 24. elucet character Israelitae nondum exculti.

b) Si Deut. 10, 17 dicitur: „Dominus Deus vester ipse est Deus deorum et Dominus dominantium", ex quo Deum quidem super omnes reliquos Deos eminere, sed hos tamen ceu existentes admitti patet; Moyses hic ethnicorum more loquitur, quin ita illum sensisse concludi possit, ut ipse s. Apostolus Paulus dicit 1 ad Cor. 8, 5: „Sunt dii multi, et Domini multi"; quidquod Deum a Moyse traditum, non particularem, sed universalem unice verum esse, praeter quem caeteri dii ad nihilum (אליל) redigantur, patet ex eo, quod dicitur

1) Deus mundi creator Ex. 20, 11: „Sex enim diebus fecit Deus coelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt" cfr. C. 31, 17 et dominator solus (παντοκράτωρ) Deut. 10, 14.

2) Auctor omnis animae viventis Num. 16, 22: „Fortissime Deus (אֵל אֱלֹהֵי spirituum universae carnis“ cfr. C. 27, 16.

3) Nutritor eorum, qui non sunt originis israeliticae Deut. 10, 18: „Amat peregrinum (אֹהֵב גֵּר diligens peregrinum).“

2) In periodo prophetica et ulteriori post exilium unitas Dei ubique inculcatur et traditur Tob. 13, 4 secundum Vulg.: „Non est alius Deus omnipotens praeter eum“; Eccles. 36, 5. Non est Deus praeter te Domine (ἐκ ἐστι Θεος πλην σου κυριε)“; Is. 44, 6—14, praesertim vers. 24: „Haec dicit Dominus redemtor tuus et formator tuus ex utero, ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus (לְבַדִּי, solus ego), stabiliens terram, et nullus mecum (text. hebr. secundum Keri: מֵאִתִּי, a mecum = potentia mea)“; C. 45, 5: „Ego Dominus et non amplius; extra me (זוּלָתִי) non est Deus“; v. 6: „Ego Dominus et non est alter (וְאֵין עוֹד et nullus amplius)“; v. 21: „Nunquid non ego Dominus et non est ultra Deus absque me? Deus justus et salvans non est praeter me (זוּלָתִי)“; v. 22: „Ego Dominus et non est alius (אֲנִי־אֵל וְאֵין עוֹד, ego Deus, et nullus amplius).“

Inde nomina Dei unici, veri maximi specialia:

1) אֲדֹנָי, plur. excellentiae (forma plur. אֲדֹנִים pro singul. est in Ps. 134, 5 et Mal. 1, 6), 70: κυριος, Vulg. Dominus Gen. 15, 2; Job. 28, 28; Is. 8, 7; hoc nomen in aliis locis saepe occurrit et a Judaeis vulgo ex reverentia nominis יְהוָֹה pronuntiatur.

2) אֵל, 70: Θεος, Vulg. Deus Is. 44, 10. 15.

3) שַׁדַּי (plur. majestaticus: fortissimus, potentissimus vel cum, vel sine אֵל), 70: παντοκράτωρ, Θεος, ἱκανος, Vulg. omnipotens Gen. 17, 1; C. 28, 3; Ex. 6, 3; Ruth 1, 20. 21; Job. 5, 17.

4) אֱלוֹהַּ, 70: Θεος, κυριος, Vulg. Deus Deut. 32, 15. 17; 2 Paral. 32, 15; 2 Esdr. 9, 17; Job. 3, 4. 23; C. 4, 9; C. 5, 17 et sic porro; inde nomen plural. num.: אֱלֹהִים, quod denotat,

a) Deos in plurali Ex. 20, 3 et usurpatum v. g. ab idolo seu falso Deo 3 Reg. 11, 33 cfr. 1 ad Cor. 8, 5; ab angelis Ps. 8, 6; a judicibus et superioribus Ex. 21, 6; C. 22, 20;

b) κατ' ἐξοχὴν ceu plur. excellentiae Deum in unitate Gen. 1, 1 et s. p.; inde

c) אֱלֹהִים חַי, Deus vivus Deut. 32, 40; 4 Reg. 19, 4; Jer. 10, 10 contra idola mortua.

5) יְהוָה (forma poetica est יָהּ cum בְּ essentiae uti Ps. 67, 5), 70: κυριος, Vulg. Dominus, respectu immutabilitatis et aeternitatis Gen. 2, 5; Ex. 6, 3; Lev. 19, 12; Is. 42, 8; origo vocis hujus in Ex. 3, 14 cfr. Apoc. 1, 4. 8; inde

a) יְהוָה צְבָאוֹת, Dominus exercituum, vox praesignata in Ex. 12, 41 postea usurpata 1 Reg. 17, 45 cfr. ad Rom. 9, 29.

b) חַי (יְהוָה Dominus) vivus, Gen. 16, 14 cfr. 1 Reg. 2, 6; Ps. 103, 29. 30; Is. 42, 5 contra Deos ethnicorum, qui sunt mortui Is. 41.

6) עֶלְיוֹן, 70: ὑψιστος, Vulg. altissimus Gen. 14, 18;

7) צוּר יִשְׂרָאֵל (petra Israelis), 70: modo Θεος, modo Φυλαξ, modo ὁ μεγας, Vulg. Deus, Fortis Israel Deut. 32, 15. 18. 37; 2 Reg. 23, 3; Is. 26, 4.

8) אָב, 70: πατηρ, Vulg. Pater Deut. 32, 6; Job. 34, 36 secundum text. hebr. et Vulg., aliter legunt 70 et Masorethae.

B) *N. T.* melius et distinctius unitatem Dei exponit ceu doctrinam maximi momenti Marc. 10, 18 ait Jesus: „Nemo bonus, nisi unus Deus (εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός)“; C. 12, 29: „Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus

est (κύριος εἷς ἐστι)" in quo loco a Jesu ille Deut. 6, 4 confirmatur; Joan. 17, 3: „Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum (μονον ἀληθινον Θεον)"; ad Rom. 3, 29. 30: „An Judaeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Immo et gentium: quoniam quidem unus est Deus (εἷς ὁ Θεος)" cfr. C. 16, 27; 1 ad Tim. 1, 17; C. 6, 15; Jud. 25; 1 ad Cor. 8, 4. 6: „Nullus est Deus, nisi unus (εἰ μη εἷς), — nobis — unus Deus (εἷς Θεος)" cfr. C. 12, 6; ad Eph. 4, 5. 6: „Unus Dominus (εἷς κυριος), una fides, unum baptisma. Unus Deus (εἷς Θεος) et Pater omnium"; 1 ad Tim. 2, 5: „Unus — Deus (εἷς — Θεος), unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus" cfr. ad Gal. 3, 20; Jac. 2, 19: „Tu credis, quoniam unus est Deus (ὁ Θεος εἷς ἐστι), benefacis."

Omnes ceteri, pro Diis habiti, sunt imaginarie tales, non re vera, sunt ουδεν, το ματαιον, אליל, 1 ad Cor. 10, 19; ad Gal. 4, 9; hinc unicus iste Deus vocatur vivus Joan. 5, 26; C. 6, 58; Act. 14, 14: „Annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum (ἐπε τον Θεον τον ζωντα)"; 1 ad Thess. 1, 9. 10; 1 ad Tim. 6, 17; immortalis, omnibus dans vitam, et suscitans a mortuis Matth. 22, 32; Joan. 5, 21; Act. 17, 25; 1 ad Tim. 6, 13 et 16.

C) *Traditio,* licet in universa hac de Deo uno doctrina necessaria non sit, ad hanc tamen illustrandam non omittetur

a) ss. patres 1) Ignat. ad Magnes. C. 8: „Unus est Deus, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum." — 2) Athenag. leg. pro Christ.: „Quod autem unus ab initio fuerit ille hujusce universi conditor Deus, hoc modo considerate, ut etiam ratio vobis constet fidei nostrae — Deus unus est." — 3) Cyprian de idol. van.: „Unus — omnium Dominus Deus." — 4) Lactant. instit. div. l. 1 C. 3: „Deus

vero si perfectus est, — non potest esse nisi unus, uti in eo sint omnia. — Deus ergo unus est. — Unius igitur arbitrio mundum regi necesse est" cfr. de ira Dei C. 11. — 5) Cyrill. Hierosol. cat. 6. C. 7: „Sciamus nos Deum habere, Deum unum (Θεον ἑνα); non enim — varius est et diversus, sed unus et idem cum sit (ἀλλ' εἰς ὠν και ὁ αὐτος), innumeras divinitatis operationes emittit" cfr. integr. catech.

b) Concilium Nicaenum 1 in symb.: „Credimus in unum Deum (Πιστευομεν εἰς ἑνα Θεον)."

Morale. Cum unus est Deus; unus solus adorandus, uni soli serviendum Matth. 4, 10. adhaerendum ac secure confidendum, unus solus ex toto corde, in tota anima et in tota mente diligendus est C. 22, 37 atque, ut universorum Christianorum coetus unum fiat cor, una anima, ardentissime optandum.

Unitate Dei nunc demonstrata perlustrare juvabit perfectiones seu attributa hujus Dei unici, omissa quacunque divisione tum in attributa negativa et positiva, tum in metaphysica, physica et moralia.

§. 2.

I. Deus spiritus et invisibilis.

Deum esse spiritum, ratio sic demonstrat: a) cum Deus spiritum hominis creaverit, ipse non potest non esse spiritus; b) cum Deus illimitatus, independens, immutabilis sit, ipse purus non potest non esse spiritus; hinc Seneca nat. quaest. praef. ait: „In illo (scil. Deo) nulla pars extra animum. Totus ratio est"; quam veritatem extra omne dubium ponit

A) *V. T.*, ubi invisibilis Dei natura ideo describitur, quia Israelitis usu imaginum rigidissime fuit interdictum Ex. 20, 4. 5: „Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub

terra. Non adorabis ea, neque coles; ego sum Dominus *Deus tuus*" cfr. Deut. 4, 15—20 et C. 5, 8; — Is. 40, 18: „Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?"; vers. 25: „Et cui assimilastis me et adaequastis (text. hebr. ואשוה et adaequabor), dicit Sanctus."

Scriptura s. licet enuntiet, Deum ipsum apparuisse et conspectum fuisse Jud. 6, 22; C. 13, 22; 1 Reg. 6, 19. et inde nomen speciale extitisse Gen. 16, 13: „Tu Deus, qui vidisti me (text. hebr. אתה אל ראי, tu Deus visionis)"; quidquod locum ipsum, quo factum contigerit, praecipue notatum v. g. fontem vitae, visionis vers. 14; hoc tamen nil aliud significat, nisi revelatio Dei extraordinaria; sunt enim loca, in quibus Deus videri non posse satis distincte traditur v. g. Ex. 33, 18—23; C. 34, 5. 8. 29, nec haec lingua anthropomorphitica periodo tunc puerili inconveniens videtur. Sic Deo tribuuntur

a) facies Gen. 4, 14: „A facie tua (מפניך) abscondar" et 16; Ex. 23, 15; Ps. 138, 7; Jon. 1, 3;

b) oculi 2 Paral. 16, 9: „Oculi Domini יהוה עיניו Domini oculi ejus) contemplantur universam terram"; 1 Esdr. 5, 5; Job. 34, 21; Is. 1, 15; Am. 9, 3; hinc pupilla oculi Deut. 32, 10; palpebrae Ps. 10, 4;

c) aures Ps. 9, 38: „Praeparationem cordis eorum (scil. pauperum) audivit auris tua (אזנך)"; Ps. 16, 6; Ps. 30, 3; Ps. 70, 2; Ps. 129, 2;

d) nasus Deut. 33, 10; Ps. 17, 16 uti exprimit text. hebr.; Vulg. dedit in furore, in ira, quia vox hebraica אף eam habet significationem;

e) os Deut. 8, 3: „Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini (פי־יהוה)"; Ps. 32, 6; hinc labia, lingua Is. 30, 27;

f) brachia Ex. 15, 16: „In magnitudine brachii tui (בגדל זרועך)"; Job. 40, 4; Ps. 43, 4; Ps. 76, 16;

Ps. 78, 11; Ps. 88, 11. 14; Is. 30, 30; C. 51, 9; C. 52, 10; C. 53, 1; C. 59, 16; C. 62, 8; C. 63, 5;

g) manus, dextera Ex. 15, 6: „Dextera tua (יְמִינְךָ) Domine percussit inimicum“; C. 17, 16; Ps. 76, 11; Ps. 138, 10; Is. 25, 11; C. 48, 13;

h) digiti Ex. 8, 19: „Digitus Dei est hic (אֶצְבַּע אֱלֹהִים הוּא)“; C. 31, 18; Ps. 8, 4;

i) pectus, sinus Ps. 73, 11: Ut quid avertis — dexteram tuam de medio sinu tuo (מִקֶּרֶב חֵיקְךָ)“ Is. 40, 11;

k) cor Gen. 6, 6: „(Dominus) tactus dolore cordis intrinsecus (text. hebr. אֶל־לִבּוֹ ad cor suum)“; Jer. 3, 15; C. 19, 5; C. 32, 41;

l) viscera Is. 63, 15: „Ubi est — multitudo viscerum tuorum (מֵעֶיךָ) et miserationum tuarum“; Jer. 31, 20;

m) pedes Is. 98, 5: „Adorate scabellum pedum ejus (רַגְלָיו)“; Is. 66, 1; Thren. 3, 34; hinc vestigia Ps. 76, 20;

n) tergum, dorsum, posteriora Ex. 33, 23: „Videbis posteriora mea (אֲחֹרָי, faciem autem meam videre non poteris (וּפָנַי לֹא יֵרָאוּ et facies meae non videbuntur i. e. facies mea non videbitur)“; Jer. 18, 17;

o) anima Ps. 10, 5: „Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam (text. hebr. נַפְשׁוֹ, anima ejus)“; Is. 1, 14; C. 42, 1; Jer. 5, 9. 29.

Praeter has corporis humani partes actiones quoque humanas Deo tribui, minime mirandum; sic Deus videt, audit, anhelat, olfacit, loquitur, vocat, ridet, prosternit, scribit, dat signa, cordi affigit, vadit, tergum vertit, dormit, evigilat, surgit; haec omnia symbolice dicta esse, quis est, quin intelligat, nec exinde argumentum pro Deo corporeo erui potest; nam

1) docente Moyse Deus effigie et forma caret, nec potest depingi;

2) Saepe in V. T. pro his partibus Deus ipse nominatur Deut. 4, 13; Ps. 8, 4; Ps. 11, 5. 6. 8; Ps. 138, 8;

3) has partes non realiter existentes esse cogitandas, inde patet, quod Deus sub ejusmodi adhuc attributis repraesentatur, quae Israelitae ei symbolice sine omni dubio attribuere Ps. 34, 2. 3;

4) ipsa s. scriptura docet, Deo non esse organa sensualia Job. 10, 4. 5;

5) nusquam de corpore aut carne Dei sermo est; hinc patet, partes corporis humani supra enumeratas symbolice esse intelligendas;

6) certissimum est, Deum ceu ens omni materia et forma limitata vacans semper exhibitum fuisse; hinc Israelitarum Deus non est realis lucis et ignis Deus, licet id loca quaedam enuntient v. g. Ex. 3, 2; C. 19, 18; C. 24, 17: Deut. 4, 24. 36; Ps, 4, 7; Ezech. 1, 27. 28; lucem vero et ignem aperte distingui a Deo, patet,

α) quod Deus luminis creator dicitur Gen. 1, 3;

β) lumen est quasi vestimentum Dei, quo tegitur Ps. 103, 2;

γ) lumen ipsum ad laudem Dei provocatur Ps. 148, 8;

δ) ignis praesentiam Dei annuntiat 3 Reg. 19, 11.

B) *N. T.* Jesus et Apostoli de Deo invisibili conceptus nobis tradunt dignissimos ac clarissimos, Deum ens sine corpore (Luc. 24, 39), id est, Spiritum esse saepissime confitentes Joan. 1, 18: „Deum nemo vidit unquam“; C. 4, 24: „Spiritus est Deus“ cfr. Act. 17, 22—30; 1 ad Tim. 1, 17: „Regi autem saeculorum immortali, invisibili (ἀοράτῳ) — honor et gloria“; C. 6, 16: „Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest“; 1 Joan. 4, 12: „Deum nemo vidit unquam“; Deus tantum ex operibus suis cognosci potest ad Rom. 1, 20. 23;

Eaedem, uti in V. T., hic occurrunt repraesentationes anthropomorphiticae, quae a nobis non erunt vitandae, cum modo tantum humano de Deo cogitare et sentire possimus; sic Deo tribuuntur

a) anima Matth. 12, 18: „Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae (εὐδοκησεν ἡ ψυχή μου, delectata est anima mea)"; ad Heb. 10, 38;

b) caput ad Col. 1, 18: „Et ipse est caput (ἡ κεφαλη) corporis ecclesiae";

c) corpus ad Eph. 1, 22. 23: „Dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus (το σωμα) ipsius";

d) facies, vultus 2 ad Thess. 1, 9: „Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini (ἀπο προσωπου του κυριου)"; 1 Petr. 3, 12;

e) oculi ad Hebr. 4, 13: „Omnia autem nuda et aperta sunt oculis (τοις ὀφθαλμοις) ejus (scil. Dei)";

f) aures Jac. 5, 4: „Clamore eorum (text. gr. θερισαντων, metentium) in aures (εἰς τα ὠτα) Domini Sabaoth introivit";

g) os Matth. 4, 4: „Non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei (δια στοματος Θεου)";

h) brachia Luc. 1, 51: „Fecit potentiam in brachio suo (ἐν βραχιονι αὐτου)"; Joan. 12, 38;

i) manus, dextera Matth. 26, 64: „Amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei (text. gr. ἐκ δεξιων της δυναμεως)"; Marc. 16, 19; Act. 2, 33. 34; C. 7, 55; ad Rom. 8, 34; ad Col. 3, 1;

k) digitus Luc. 11, 20: „In digito Dei (ἐν δακτυλῳ Θεου) ejicio daemonia";

l) cor Act. 13, 22: „Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum (κατα την καρδίαν μου)";

m) viscera Luc. 1, 78: „Per viscera (δια σπλαγχνα) misericordiae Dei nostri";

n) sinus

n) sinus Joan. 1, 18: „Unigenitus filius, qui est in sinu (εἰς τον κολπον) Patris, ipse enarravit.“

Loca 1 ad Tim. 6, 16: „(Deus) lucem inhabitat inaccessibilem“ et 1 Joan. 1, 5: „Deus lux est“ symbolice esse intelligenda, non est, cur mentio fiat.

C) *Traditio*, scil. sequentes ss. patres 1) Theophil. ad Autol. lib. 1: „Nec Deus humanis et corporeis oculis videri potest.“ — 2) Tertull. adv. Marc. lib. 2 C. 16: „Nam et dexteram et oculos et pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione locantur.“ — 3) Origen. contr. Cels. lib. 7 n. 38: „Dicimus universorum Deum esse ab omni concretione liberum, invisibilem, incorporeum (ἁπλουν, και ἀορτον και ἀσωματον) intellectum, aut quid aliud intellectu et substantia praestantius“ cfr. n. 27; comment. in Joan. tom. 14; de orat. n. 23. — 4) Basil. hom. 3 in illud: Attende tibi ipsi C. 7: „Ex anima incorporea, quae in te residet, intellige, Deum esse incorporeum (ἀσωματον) eumque nullo loco circumscribi.“ — 5) Cyrill. Hieros. catech. 6 C. 11: „Deus incorporeus est (ἀσωματος ὁ Θεος)“ cfr. catech. 9 C. 1 et 2. — 6) Ambros. in Ps. 43: „Deus Spiritus est, et nihil habet in sua substantia corporale, sed totus est Spiritus“ cfr. hexaemeron. lib. 6 C. 7. — 6) Augustin. de trin. lib. 12 C. 7: „Cogitatio quippe turpiter vana est, quae opinatur, Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri“ et in epist. 6 ad Italicam viduam refellit opinionem eorum, qui Deum videri oculis corporeis dicunt.

Si Tertull. (de carne Christi C. 11 et 22; lib. de poenit. C. 3; adv. Hermog. C. 35; adv. Marc. lib. 2 C. 16; adv. Prax. C. 7). Deum corpus esse edicit; his verbis id tantum indicare vult, quod Deus non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animae qualitas, sed ubique talis et per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabilis permanet;

hinc venit, quod multi ss. patres Deum sub involucro conspici tradant, loca V. T. nimis sensualiter interpretaturi.

Morale. Cum Deus est Spiritus; cultus divinus non solum in ceremoniis et ritibus externis est collocandus; non solum ad loca certa adstringendus; nec manus erecta, nec facies ad coelum versa, nec verba solum, sed animus devotioni sanctae deditus, et cor immaculatum colunt et adorant Deum invisibilem, dicente Jesu Joan. 4, 24: „Et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.“

§. 3.

II. Deus aeternus.

A Deo omnia creata sunt; consequenter ipse fine non potest non carere, cum alias sublimius ens quoddam foret, a quo sumserit exordium; hinc jam definit Diogenes Laert. 1, 36: „Deus est ens, quod caret initio et fine“ et Philo Deum vocat ἀγένητον, i. e. non creatum, non natum; sic et Plato. Quod et ratio docet, hoc illustrius tradit

A) *V. T.* Gen. 21, 33: „Abraham — invocavit ibi (in Bersabee) nomen Domini Dei aeterni (יְהוָה אֵל עוֹלָם)“ — Exod. 15, 18: „Deus regnabit in aeternum et ultra (לְעֹלָם וָעֶד).“ — Deut. 32, 40: „Et dicam, vivo ego (Jehovah) in aeternum (חַי אָנֹכִי לְעֹלָם).“ — Job. 36, 26: „Numerus annorum ejus (scil. Dei) inaestimabilis (text. hebr. וְלֹא חֵקֶר, et non investigatio = innumerabilis).“ — Ps. 89, 2. 4: „Priusquam montes fierent aut formaretur (text hebr. וַתְּחוֹלֵל et formares) terra et orbis: a saeculo et usque in saeculum tu es Deus (מֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם אַתָּה אֵל). — Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quae praeteriit“ cfr. Ps. 101, 25. 27. 28. — Is. 40, 28: „Deus sempiternus Dominus (אֱלֹהֵי עוֹלָם יְהוָה), qui creavit terminos terrae,

non deficiet." — C. 41, 4: „Ego Dominus, primus et novissimus ego sum (text. hebr. אֲנִי הוּא, ego ipse)" cfr. C. 43, 10; C. 44, 6; C. 48, 12. — Bar. 3, 25: „Magnus est (Deus) et non habet finem.

Vox: עוֹלָם licet sumatur nonnunquam de tempore perquam longo et de generationibus longinquis; loca tamen citata exegetice exposita conceptum hunc neutiquam permittent.

His dictis elucet, Deum esse

a) ens a se, aut per se, cum vox: Deus, יהוה jam asseitatem in se continet;

b) necessarium a mundo omnino diversum Gen. 1, 1; Ps. 103, 29. 30.

B) *N. T.* ad Rom. 1, 20 dicitur: „Sempiterna (ἀΐδιος) ejus (scil. Dei) virtus et divinitas" cfr. C. 16, 25 — 1 ad Tim. 1, 17: „Regi saeculorum immortali (ἀφθάρτῳ), invisibili, soli Deo, honor et gloria in saecula saeculorum" et C. 6, 16: „Qui solus habet immortalitatem (ἀθανασίαν)" — 2 Petr. 3, 8: „Unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut unus dies" — Apoc. 1, 8: „Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est et qui erat et qui venturus est, omnipotens" cfr. C. 4, 8; C. 21, 6; C. 22, 13.

Inde patet, Deum esse

a) ens a se aut per se,

b) necessarium et a mundo distinctum (contra Spinozam, cujus ratio secum ipsa dissidet, tollitque per se suum principium) Act. 4, 24 et C. 17, 24 et 28: „In ipso (= per ipsum, quo cadit Pantheismus) vivimus et movemur et sumus" cfr. ad Rom. 11, 35.

C) *Traditio* 1) Justin. in dial. cum Tryph.: „Solus ingenitus et incorruptibilis est Deus et propterea Deus est. Omnia vero reliqua genita sunt et corruptibilia" — Tatian. orat. ad Graec. C. 6: „Deus noster non consistit intra tempus, solus sine principio (μονὸς ἄναρχος ὢν)"

et C. 10: „Immortalitas apud Deum est" — Athenag. apolog.: „Ab initio enim Deus, cum sit mens aeterna."

Morale. Cum Deus est aeternus, et immortalis; huic Deo, non hominibus mortalibus confidendum Ps. 145; en maximum errorem, hanc materiam vitae vacuam pro Deo agnoscere; en vanum, in aeternum pereundi timorem!

§. 4.

III. Deus omnipraesens, immensus.

Ratio nos edocet, Deum, si non sit ubique, loco cuidam adstrictum dici, ergo non esse perfectissimum et illimitatum, quod esset absurdissimum: nam sicut illimitatus est Deus respectu temporis; sic illimitatus esse debet respectu spatii et loci; cui rationis argumento succurrit revelatio.

A) *V. T.* Gen. 48, 21: „Erit Deus vobiscum (וְהָיָה אֱלֹהִים עִמָּכֶם), reducetque vos in terram patrum vestrorum" — Jos. 2, 11: „Dominus enim Deus vester ipse est Deus in coelo sursum et in terra deorsum;" et si hoc argumentum nil esset; hac tamen aetate conceptum de omnipraesentia Dei extitisse concedendum nemo negabit. — 3 Reg. 8, 27: „Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si enim coelum et coeli coelorum te capere non possunt (לֹא יְכַלְכְּלוּךָ), quanto magis domus haec, quam aedificavi" cfr. 2 Paral. 2, 6; C. 6, 18. — Ps. 138 integer est perlegendus. — Sap. 1, 7: „Spiritus Dei replevit orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis" — Is. 66, 1: „Haec dicit Dominus: coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quae est ista domus, quam aedificabilis mihi et quis est iste locus quietis meae?" — Jer. 23, 23. 24: „Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis: et ego non videbo eum, dicit

Dominus, numquid non coelum et terram ego impleo (אֲנִי מָלֵא, implens ego), dicit Dominus." — Bar. 3, 25: „Magnus est (Deus) — excelsus et immensus" — Am. 9, 2. 3: Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: et si adscenderint usque in coelum, inde detraham eos: et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti et mordebit eos."

a) Loca v. g. Gen. 3, 8. 9; C. 11, 5; C. 18, 21; C. 28, 16. 17; Exod. 19, 18 humano more dicta sunt interpretanda.

b) Si coelum vel sacra arca (אָרוֹן הַקֹּדֶשׁ) Dei sedes vocatur Lev. 26, 11. 12; Job. 16, 20; Ps. 32, 13—16; Ps. 113, 11. 24; Ps. 131, 7. 8. 13. 14; nil aliud est, nisi sensualis quaedam sacri poetae repraesentatio aut significat Deum in excelso, cum שָׁמַיִם proprie idem est, ac altitudo, *το ὕψος*, aut nil aliud innuit nisi quod Deus in coelo per gloriam et majestatem, in mundo per praesentiam potentiae, gubernationis, gratiae, etc. appareat.

B) *N. T.*; en praeclarissimam Dei omnipraesentis descriptionem in Joan. 4, 21. 23: „Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, — sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate" — Act. 17, 24. 27. 28; „Deus — non in manufactis templis habitat, — fecit — quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (*οὐ μακραν ἀπο ἑνος ἑκαστου ἡμων ὑπαρχοντα*): in ipso enim vivimus et movemur, et sumus."

Uti in vet. sic et in nov. test. coelum ceu sedes Dei describitur v. g. Matth. 5, 45; C. 6, 9; Joan. 14, 2. 3; C. 20, 17; Apoc. 21, 3; sed omnes hi loci nil

aliud innuunt, nisi statum quendam, in quo homo revelationis Dei purissimae fit particeps.

C) *Tradit.* a) ss. patres 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 27: „Exsuscitetur igitur fides ejus in nobis, et cogitemus, quod omnia ipsi propinqua sint (ὁτι παντα ἐγγυς αὐτῳ ἐστι)“ cfr. C. 28. — 2) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Deus loco nequaquam circumscribitur, verum ipse est omnium locus (τοπος των ὁλων)“ eod. loco: „(Deus) ipse sibi locus erat, nullius indigens et ante saecula subsistens.“ — 3) Iren. adv. haer. lib. 4 C. 36: „Immensurabilis est in corde Deus, et incomprehensibilis in animo, qui comprehendit terram pugillo, quis perspiciat, mensuram, et dexterae ejus digitum quis cognoscet aut manum ejus quis intelliget?“ — 4) Clem. Alex. strom. lib. 1 C. 2: „Non est in caligine Deus aut in loco, sed supra locum et tempus et proprietatem eorum, quae facta sunt“ — 5) Hilar. tract. in Ps. 118 lib. 19: „Adest (Deus) ubique et totus ubique est; non pro parte usquam est, sed in omnibus omnis est.“ — 6) Athan. ep. 1 ad Serap.: „Ubique est Deus et extra omnia.“ — 7) Cyrill. Hieros. catech. 6. C. 9: „Unus est ubique praesens (πανταχου παρων), omnia videns, omnia intelligens.“ — 8) Gregor. Naz. orat. 21 apolog. fugae: „Deum non fugiebat (Jonas), quemadmodum nec alius quisquam hominum ipsius oculis sese subducere queat, non etc.“ locus integer perlegendus. — 9) Greg. Nyss. contr. Eunom. lib. 1: „Illa — aeterna — natura neque in loco est, neque in tempore.“ — 10) Ambros. lib. 9 in Luc. C. 19: „Dominus — ubique semper praesens est“ cfr. de dignit. condit. hum. C. 2; in Ps. 35 et 118 octon. 19. — 11) Chrysost. hom. 22 in ep. ad Hebr.: „Quod Deus ubique sit, scimus; quomodo autem, non intelligimus.“ — 12) Hieron. comment. in Ps. 70: „Deus — non est localis, quia ubique est“ cfr. in Ps. 33. — 13) August. serm. de temp. 104: „Deus ubique est“ cfr. de civ. Dei lib. 7 C. 30; 83 quaestionum quaest.

20. — 14) Bernard. de consid. lib. 5 C. 6: „Sicut omnia in ipso, ita ipse in omnibus“ cfr. hom. 3 de adventu.

b) Concil. Lateran. 4. (anno 1215) Cap. 1: „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus est verus Deus — immensus.“

Morale. Cum Deus ubique praesens est et omnia videt; quodvis peccatum sollicite vitandum. Tob. 4, 6. — Dan. 13, 23.

§. 5.

IV. Deus omniscius, imperscrutabilis.

Effata rationis de hoc objecto haec sunt:

a) Deum ceu ens perfectissimum (de quo infra) nil latet, nil latere potest;

b) si Deus est creator et conservator omnium creaturarum (de quo infra); non potest non omnia cognoscere; quivis enim artifex optime novit opus suum; sublata ergo Dei omniscientia nulla esset providentia;

c) si Deus cuivis promerito reddere, id est, justus esse debet (de quo infra); non potest non singulas cogitationes, singula verba, singulas actiones distinctissime cognoscere.

Rationi omnino conveniens dilucidius edocet

A) *V. T.*, quod scientiam Dei sub vocibus: בִּינָה חָכְמָה דֵּעַת et perfectissimam sub voce: רוּחַ designat, 1 Reg. 2, 3: „Deus scientiarum Dominus est (אֵל דֵּעוֹת יְהוָה)“ — C. 16, 7: „Dominus intuetur cor (יִרְאֶה לַלֵּבָב)“ — Esth. 14, 14: „Domine, qui habes omnium scientiam, et nosti, quia oderimus, gloriam iniquorum“ cfr. Job. 11, 7 — 10; Ps. 146, 5: „Sapientiae ejus (text. hebr. תְּבוּנָתוֹ, intelligentiae ejus) non est numerus“ — Is. 40, 28: „Nec est investigatio sapientiae ejus (תְּבוּנָתוֹ, intelligentiae ejus)“ cfr. Sap. 13, 1; Eccles. 23, 26.

Scientiae divinae immensitas cognoscitur considerando objecta, ad quae illa extenditur; objecta nimirum omniscientiae ejus sunt:

a) omnis coelorum exercitus omnesque terrae creaturae Job. 28, 24: „Ipse enim (Deus) fines mundi intuetur et omnia, quae sub coelo sunt, respicit.“ Ps. 49, 11; Eccles. 23, 29; Is. 40, 26—29;

b) praeteritum Eccles. 42, 19: „Cognovit Dominus omnem scientiam et inspexit in signum aevi, annuntians, quae praeterierunt (τα παρεληλυθοτα) et quae superventura sunt, revelans vestigia occultorum“; Is. 41, 22. 23; C. 43, 9; C. 49, 4;

c) praesens Job. 31, 4: „Nonne ipse (Deus) considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat?“ Eccles. 17, 13—16; C. 39, 24. 25;

d) futurum Eccles. 48, 28: „(Deus) ostendit futura et abscondita (τα ἐσομενα και τα αποκρυφα) antequam evenirent“ cfr. C. 42, 19; Is. 49, 15; C. 45, 21; C. 46, 9. 10; Jer. 1, 5;

e) omnes homines una cum actionibus

α) tam bonis Ps. 39, 10: „Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti (אַתָּה יָדָעְתָּ)“; Prov. 15, 3: „In omni loco oculi Domini, contemplantur bonos (טוֹבִים) et malos“;

β) quam malis Job. 34, 21. 22: „Oculi ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat; non sunt tenebrae, et non est umbra mortis (צַלְמָוֶת), ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem (פֹּעֲלֵי אָוֶן)“ Ps. 9, 34, 35. 38; Ps. 32, 13—16; Prov. 5, 21; Eccles. 23, 25—30; Jer. 32, 19;

f) cogitationes occultissimae, consilia, affectus et vota utut occulta, intima cordis sensa Job. 42, 2: „Scio, qui omnia, potes et nulla te latet cogitatio (לֹא יִבָּצֵר מִמְּךָ מְזִמָּה, non prohibebitur a te cogitatio)“; Ps.

7, 10: „Scrutans corda et renes Deus“; Ps. 93, 9. 11; Sap. 1, 6, 9. 10; Eccles. 42, 18. 20; Is. 29, 15. 16; Jer. 11, 18. 20; C. 17, 9. 10; Dan. 2, 22: „Ipse (Dominus) revelat profunda et abscondita: et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est (וּנְהוֹרָא עִמֵּהּ שְׁרֵא et lux cum eo manet)“;

b) malum et bonum, quod nobis evenit; id quod patet ex locis citatis;

h) lacrymae profusae Ps. 55, 9: „Deus — posuisti lacrymas meas in conspectu tuo (text. hebr. אַתָּה שִׂימָה דִמְעָתִי בְנֹאדֶךָ, pone lacrymam meam in utre tuo)“;

i) mortui Job. 26, 6: „Nudus est infernus (שְׁאוֹל) coram illo et nullum est operimentum perditioni“; Ps. 138, 1—19.

Non negandum, loca in V. T. esse, in quibus Deus intellectu limitato et cognitione non perspectissima praeditus dicitur v. g. Gen. 3, 9; C. 18, 20. 21; C. 22, 12; Exod. 33, 5; Ps. 12, 1; Ps. 43, 24. 25; Ps. 73, 20. 22. 23; at descriptiones ejusmodi sitae sunt in sensuali repraesentandi modo aetati adhuc puerili accomodato; nonne contrarium modo distinctissimo legitur in Ps. 120, 3. 4. 5: „Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet, qui custodit te. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te (text. hebr. שֹׁמְרֶךָ custos tuus; quod idem est).“

B) *N. T.* Jesus et Apostoli omniscientiam Dei satis superque edocent, cum dicant, Deum cognoscere et perscrutari,

a) quod in coelo et in terra evenit Act. 15, 18: „Notum a saeculo est Domino opus suum (text. gr. *ἅ ἐστι γνωστα ἀπ' αἰωνος αὐτῳ*, quae sunt nota, a saeculo ei [nota sunt])“; ad Hebr. 4, 13: „Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus“;

b) maximum et minimum Matth. 10, 30: „Vestri capilli capitis omnes numerati sunt";

c) omnes hominum actiones Matth. 6, 4: „Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (in text. gr. et a sancto Augustino additur: ἐν τῳ φανερῳ, in manifesto vel propatulo)" cfr. vers. 6 et 18;

d) omne bonum et malum Matth. 6, 8: „Scit pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum";

e) futurum Matth. 10, 42: „Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam";

f) intima cordis nostri sensa et vota 1 Joan. 3, 20: „Major est Deus corde nostro et novit omnia"; cfr. ad Rom. 8, 29; C. 11, 2; Apoc. 2, 23 de filio Dei dicitur: „Ego sum scrutans renes et corda (ὁ ἐρευνων νεφρους και καρδιας)";

g) abscondita tenebrarum 1 ad Cor. 4, 5: „Qui (Dominus) et illuminabit abscondita tenebrarum (τα κρυπτα του σκοτου) et manifestabit consilia cordium";

h) singula animalia, singulas plantas Matth. 6, 26: „Respicite volatilia coeli (τα πετεινα του ουρανου), quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea et Pater vester coelestis pascit illa"; vers. 28 et 29: „Considerate lilia agri (τα κρινα του αγρου), quomodo crescunt; non laborant, neque nent"; C. 10, 29: „Nonne duo passeres asse veneunt et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro"; prolixius agetur in doctrina de providentia, de qua infra.

Haec scientia seu cognitio Dei est

α) intuitiva, non symbolica; hinc Deus perspicientissimus;

β) aeterna, necessaria, semperque eadem

γ) simultanea, non successiva;

δ) completa, distinctissima, non dimidia;

ε) perfectissima, non solum probabilis; ergo Deus intellectu perfectissimo gaudet, nec Dei omniscientia et libertas humana sibi invicem oppositae sunt, sed in sacra scriptura fundatae, licet coexistentia earum determinari nequit; nam

a) Deus moralitatem urget, quae libertati innixa permanet;

b) Deus praevidit usum et abusum libertatis, physicum mundi cursum sic ordinans, ut re bene intellecta omnis collisio evanescat;

c) hinc hominis libertas eo usque limitata est, ut omnia consilio divino consentanea eveniant Act. 1, 24; 1 ad Cor. 2, 10; ad Eph. 3, 9; ad Col. 3, 3.

C) *Traditio* 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 21: „Est (Deus) cogitationum et consiliorum mentis scrutator (ἐρευνητης — ἐστιν εννοιων και ἐνθυμησεων), cujus spiritus est in nobis, et cum voluerit, eum aufferet" cfr. C. 27. — 2) Clem. Alex. strom. lib. 6. C. 17: „Deus — novit omnia (παντα οιδεν), non solum ea, quae sunt, sed etiam quae futura sunt, et ut erit unumquodque et eos, qui sunt singulares, motus praevidens intuetur omnia et omnia exaudit et nudam animam aspiciens intrinsecus, uniuscujusque etiam ex singularibus aeternam habet intelligentiam (την ἐπινοιαν — ἐχει δἰ αἰωνος)" — 3) Orig. comment. in Gen.: „Ita plane sentiendum est, Deo, quod, cujusmodi quisque sit futurus, praeviderit, causas etiam, quamobrem ejusmodi sit futurus, quaeque ab eo vel improbe vel probe gerenda sint, esse perfecta (προεωρακοτα)" — 4) Cyprian. epp. lib. 2 ep. 6: „Dominus scrutator est renis et cordis, arcana perspicit, et intuetur occulta" cfr. lib. 1 ep. 2; serm. 5 de laps. — 5) Hilar. de trin. lib. 12: „Quae facta sunt — jam in divinae virtutis et praescientiae efficientia sunt creata." — 6) Basil. comment. in Is. C. 3: „Nihil apud ipsum (Deum)

praeteritum est, nihil futurum, sed cuncta sunt praesentia (παντα ἐνεστηκε)." — 7) Ambros. de fide lib. 1 C. 7: „Deo, quae sunt futura, praesentia sunt, et ei, cui praecognita sunt omnia, ventura perfecta sunt." — 8) August. ad Simplic. lib. 2 quaest. 2: „(Res) non sunt ei futurae, sed praesentes, ac per hoc non jam praescientia, sed tantum scientia dici potest" cfr. de gen. ad lit. lib. 5 C. 18; ad Oros. C. 8.

Omniscientia Dei cum hominis libertate a ss. patribus belle conjungitur; sic Orig. apud Euseb. de praepar. lib. 6: „Non illum, qui peccatum admissurus esse praescitur, attingit Deus, cum peccat; sed — quod futurum est, causa est, cur talis sit ipsius praescientia; non enim ex eo, quod cognitum est, fit illud, sed quoniam futurum erat, est cognitum" et Augustin. de civit. Dei lib. 5 C. 9: „Nos ut confitemur summum et verum Deum, ita voluntatem summamque potestatem ac praescientiam ejus confitemur, et ipsae quidem nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque praescientia continetur"; legi meretur cap. integr. et C. 10.

Morale. Cum Deus est omniscius; satis est, dispositioni ejus mundi cursum praeteritum, praesentem et futurum relinquere; nobis autem incumbit, vitam agere sanctam; vae simulatori, qui homines quidem, sed Deum omniscium fallere nequit!

§. 6.

V. Deus sapientissimus.

Universum naturae regnum nos de Deo sapiente convincit; omnis enim natura est speculum sapientiae divinae v. g. sol cum distantia et vigore ejus; firmamentum et nubes etc. etc.; aqua, aër, ignis et terra; plantae et animalia; homines eorumque corporis partes. Illustrius hoc edocet

A) *V. T.* Job. 5, 9: „Qui (Deus) fecit magna et inscrutabilia (text. hebr. וְאֵין חֵקֶר, et non investigatio) et mirabilia absque numero" cfr. vers. 10—14; C. 12, 13: „Apud ipsum est sapientia (חָכְמָה) et fortitudo; ipse habet (text. hebr. לוֹ ipsi, scil. est) consilium et intelligentiam" cfr. C. 28, 20. 23 usque fin.; C. 29 integr.; Ps. 103, 24: „Omnia in sapientia fecisti." — Prov. 3, 19. 20: „Dominus sapientia (בְּחָכְמָה, in sapientia) fundavit terram, stabilivit coelos prudentia. Sapientia illius (text. hebr. בְּדַעְתּוֹ, in scientia ejus) eruperunt abyssi et nubes rore concrescunt (text. hebr. יִרְעֲפוּ טָל, stillabunt rorem)" cfr. C. 8, 22. 23 usque 31; Sap. 7, 25. 26: „Vapor est enim (sapientia) virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera; et ideo nihil inquinatum in eam incurrit; candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei majestatis (ἐνεργείας, operationis) et imago bonitatis illius" — C. 8, 1: „(Sapientia Dei) attingit ergo a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter (χρηστῶς, utiliter)" C. 9, 9. — Eccles. 1, 8: „Unus est altissimus creator omnipotentis et rex potens et metuendus nimis (text. gr. εἷς ἐστι σοφος φοβερος σφοδρα, unus est sapiens, terribilis valde), sedens super thronum illius et dominans Deus, (id quod text. gr. omittit)" — C. 42, 21: „(Dominus) magnalia sapientiae suae (text. gr. τα μεγαλεια δια της σοφιας αὐτου, magnalia per sapientiam suam) decoravit, qui est ante saeculum et usque in saeculum" — Is. 40, 13: „Quis adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit illi?" cfr. C. 55, 8. — Jer. 10, 12: „Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua (בְּחָכְמָתוֹ), et prudentia extendit coelos" — Dan. 2, 20. 21: „Sapientia et fortitudo ejus sunt (text. hebr. דִּי־לֵהּ הִיא, quae ei ipsa) — dat sapientiam et scientiam intelligentibus disciplinam"; hinc de Deo

dicitur Gen. 1, 31: „Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.“

Ipsa lex divina effluvium sapientiae Dei praedicatur Job. 28, 28: „Ecce timor Domini, ipsa est sapientia (הֵן יִרְאַת אֲדֹנָי הִיא חָכְמָה)“; Ps. 118, 97—106.

B) *N. T.* dilucidissime Deum sapientissimum describit; ad Rom. 11, 33. 34. exclamat s. Apostolus Paulus obstupescens: „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei (*και σοφιας και γνωσεως Θεου*), quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?“; C. 16, 27: „Soli sapienti Deo (*μονῳ σοφῳ Θεῳ*) — honor et gloria in saecula saeculorum“ — ad Eph. 3, 10: „Innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei (*πολυποικιλος σοφια του Θεου*)“ cfr. vers. 16—20; — 1 ad Tim. 1, 17: „Soli (text. gr. addit: *σοφῳ*, sapienti) Deo honor et gloria“ — Apoc. 7, 12: „Et claritas et sapientia (*και ἡ δοξα και ἡ σοφια*). — Deo nostro in saecula saeculorum“; inde omnis sapientia vera a Deo provenit Jac. 1, 5: „Siquis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo.“

Religio christiana ipsa ceu institutum sapientiae Dei praecipuum dicitur sapientia, *σοφια* 1 ad Cor. 1, 21; ad Eph. 1, 8. 17. 18; ad Col. 1, 28; C. 3, 16; hinc

a) in Christo, hujus religionis fundatore, omnes sapientiae et scientiae thesauri sunt absconditi ad Col. 2, 3;

b) verus tantum Christianus est sapiens, dicente s. Apostolo ad Eph. 5, 15. 16: „Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes;

c) quidquid Deus omni errore vacuus edocet, dicitur *κατ' ἐξοχην* veritas, *αληθεια* Joan. 17, 17: „Sermo tuus veritas est“ cfr. ad Eph. 1, 13.

C) *Traditio* 1) ss. Athanas. contr. Arian. orat. 5: „Non sunt ista ut qualitas aliqua in Deo. Apage! indecorum enim hoc ipsum. Sic enim reperietur Deus compositus ex substantia et qualitate.“ — 2) Greg. Nyss. hom. 7 in cant. cant.: „Dominus natura sua id ipsum, quod est, est essentia sapientiae et virtutis (*σοφιας και δυναμεως ουσια εστι*).“ — 3) August. de doctr. christ. lib. 1 C. 8: „(Deus) ipsa sapientia nec fuit unquam insipiens nec esse unquam potest“ cfr. de gen. ad lit. lib. 5 C. 13. 4) Bernard. serm. 80 in cant.: „Deus est — sapientia.“

Morale. Ex sapientia Dei discamus, non confidendum esse humanae sapientiae, nec secundum eam de Deo ejusque operibus judicandum.

§. 7.

VI. Deus omnipotens.

Nisi Deus esset omnipotens (innuit ratio): potentia ejus ampliari et augeri posset; ergo Deus non esset perfectissimus, quod est absurdum, cum orbis universus omnipotentiam Dei ubique depraedicat; hinc jam Cic. de nat. Deor. 3, 39 ait: „Nihil est, quod efficere non possit“; id quod extra omne dubium collocat

A) *V. T.*; spiritus quippe infinitus in operibus suis nonnisi infinitus esse potest; hinc vox: שַׁדַּי, omnipotens. — Gen. 17, 1 ait Deus ad Abraham: „Ego Dominus omnipotens, ambula coram me et esto perfectus“ cfr. C. 35, 11. — C. 18, 14: „Nunquid Deo quidquam est difficile?“ — C. 43, 14: „Deus meus omnipotens (text. hebr. אֵל שַׁדַּי) faciat vobis eum placabilem“ cfr. C. 48, 3. — Exod. 15, 3: „Dominus quasi vir pugnator, omnipotens (text. hebr. יְהוָֹה) nomen ejus“ — Num. 11, 23: „Nunquid manus Domini invalida est (text. hebr. תִּקְצָר, abbreviabitur)?“ — 1 Reg. 14, 6: „Non est Domino difficile (text. hebr. מַעְצוֹר, prohibitio) salvare vel

in multis vel in paucis" cfr. 2 Paral. 14, 11. — 1 Paral. 29, 11. 12: „Tua est Domine magnificentia et potentia (הַגְּבוּרָה) et gloria atque victoria et tibi laus: cuncta enim, quae in coelo sunt, et in terra, tua sunt: tuum Domine regnum et tu es super omnes principes. Tuae divitiae et tua est gloria (text. hebr. מִלְּפָנֶיךָ, a faciebus tuis = a te id est, tua etc.): tu dominaris omnium: in manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo et imperium omnium (text. hebr. לְגַדֵּל וּלְחַזֵּק לַכֹּל, magnificare et confortare omnia)" — Judith 16, 16. 16: „Adonai Domine magnus es tu et praeclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti et facta sunt: misisti spiritum tuum et creata sunt (text. gr. και ῳκοδομησε, et aedificavit), et non est, qui resistat voci tuae." — Job. 25, 2: „Potestas (text. hebr. הַמְשֵׁל, dominium) et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis" cfr. C. 26, 14. — C. 33, 4: „Spiraculum omnipotentis vivificavit me" cfr. C. 38, 4—13 — C. 42, 2: „Scio, quia omnia potes" — Ps. 23, 10: Dominus virtutum ipse est rex gloriae." — Ps. 32, 9: „Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt" Ps. 9, 2 integr. — Ps. 104, 32; Ps. 135 et Ps. 144 integ. — Prov. 30, 4. — Sap. 11, 22: „Virtuti (κρατει, robori) brachii tui quis resistet?" cfr. vers. 23 et 26. — Is. 41, 4: „Quis haec operatus est et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum" cfr. C. 8. 10; C. 44, 24. — Jer. 32, 17: „Domine Deus: ecce tu fecisti coelum et terram in fortitudine tua magna (בְּכֹחֲךָ הַגָּדוֹל) et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum" cfr. vers. 27. — Dan. 4, 32: „Non est, qui resistat manui ejus et dicat ei; quare fecisti?"

B) *N. T.* quam praeclare nobis exhibeat Deum omnipotentem, en Matth. 19, 26: „Apud Deum omnia possibilia sunt (παντα δυνατα ἐστι)" cfr. Marc. 10, 27; C.

14, 36; Luc. 1, 37; C. 18, 27. — Joan. 5, 17 ait Jesus: „Pater meus usque modo operatur" cfr. ad Rom. 4, 17. — 1 ad Cor. 12, 6: „Idem Deus, qui operatur (ἐνεργων) omnia in omnibus" cfr. C. 15, 27. 28 Θεος τα παντα ἐν πασι — ad Eph. 1, 11. C. 3. 20. — 2 ad Cor. 6, 18: „Ero vobis in Patrem et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens (παντοκρατωρ)" — ad Eph. 4, 6: „Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis (text. gr. ὑμιν, vobis, quod est idem)" — 1 ad Tim. 6, 15: „Beatus et solus potens (μονος δυναστης) rex regum et Dominus dominantium" — Apoc. 11, 17: „Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens (παντοκρατωρ, עֶלְיוֹן אדני), qui es, et qui eras et qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam et regnasti" (hic ad יהוה אלהי צבאות Ps. 114, 11; Ps. 134, 6 respicitur) cfr. C. 4, 11; C. 15, 3. 4. C. 16, 7; C. 19, 6.

Haec omnipotentia Dei est a) illimitata, b) per se sola efficiens, c) independens, d) immutabilis, e) origo quarumvis aliarum virium.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 27: „Nihil quippe Deo impossibile (ἀδυνατον), praeterquam mentiri)." — 2) Tertull. adv. Prax. C. 10: „Nihil Deo difficile. Quis hoc nesciat? Et impossibilia apud saeculum, possibilia apud Deum quis ignoret? — Plane nihil Deo difficile." — 3) Clem. Alex. strom. lib. 7 C. 13: „Dependent omnia ab uno Deo omnipotente ἐπει τα παντα ἑνος του παντοκρατορος Θεου ἱσταται)" — 4) Gregor. Naz. de mund. carm. 4: „Deus autem prorsus in unum — cuncta tenet sinibusque suis collecta coercet." — 5) Epiphan. ancor.: „Omnia — possibilia sunt Deo" — 6) August. de lib. arbitr. lib. 3 C. 17: „De omnipotentia et justitia Dei dubitare dementis est" cfr. de civ. Dei lib. 22 C. 25; serm. de temp. 119; serm. 147, C. 5; de fid. et symb. C. 2.

b) Concil. Nicaen. 1 in symb. fid.: „Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem (πατερα παντοκρατορα)" cfr. concil. Lateran. 4. Cap. 1.

§. 8.

VII. Deus immutabilis tum essentia tum consiliis.

Quum Deus est ens perfectissimum; nec minui nec augeri potest; si primum, non esset Deus; vel, quod idem, ens absolute perfectum; si secundum, prius idem non fuisset. Quod ratio docet, id eo magis illustrat

A) *V. T.* Num. 23, 19: „Nec (est Deus), ut filius hominis, ut mutetur (text. hebr. וְיִתְנֶחָם, ut poeniteat eum). Dixit ergo et non faciet, locutus est et non implebit?" — 1 Reg. 15, 29: „Triumphator in Israel (נֵצַח יִשְׂרָאֵל, gloria vel victoria Israelis, id est, Jehovah, in sensu alio apud 70) non parcet (text. hebr. לֹא יְשַׁקֵּר, non mentietur), et poenitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat poenitentiam" — Ps. 32, 11: „Consilium Domini in aeternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione et generationem" — Ps. 101, 28: „Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient" — Mal. 3, 6: „Ego Dominus et non mutor (לֹא שָׁנִיתִי)"; quidquod ipsa vox: יְהוָה Ex. 3, 14; C. 6, 3; denotat ens permanens, semper idem nec mutabile.

S. scriptura cum commemorat

a) Deum aut facti poenituisse et contristari Gen. 6, 6. 7; Deut. 32, 26; 1 Reg. 14, 39; Jer. 18, 11; Joel 2, 13; Am. 7, 6; Jon. 3, 9; ibi tantum mutatio rationis et modi Deum inter et hominem ostenditur;

b) aut iracundum fuisse Ex. 32, 9. 10. 11. 14; Num. 16, 46; C. 25, 3. 4; Jud. 2, 20; 2 Reg. 24, 15; Jer. 9, 9; Nah. 1, 2 et odisse Ps. 5, 5; Is. 1, 14; id anthropomorphitice esse dictum, quis est, quin intelligat?

c) aut mutasse se in crudelem Job. 30, 21; est poetica tantum descriptio mali a Deo in homines immissi; loca supra citata immutabilitatem Dei satis superque evincunt.

B) *N. T.* ad Rom. 11, 29: „Sine poenitentia (*ἀμεταμελητα*, impoenitibilia) sunt dona et vocatio Dei“ — ad Hebr. 1, 11. 12: „Ipsi peribunt, tu autem permanebis et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es (*συ δε ὁ αὐτος εἶ*) et anni tui non deficient“ — C. 6, 16. 17: Homines per majorem sui jurant et omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem est juramentum: in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis haeredibus immobilitatem consilii sui (*το ἀμεταθετον της βουλης αὐτου*), interposuit jusjurandum“ — Jac. 1, 17: „Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*παραλλαγὴ ἢ τροπης ἀποσκιασμα*).“

C) *Traditio* 1) Tertull. adv. Prax. C. 27: „Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut aeternum.“ — 2) Orig. contr. Cels. lib. 4 n. 14: „(Deum) porro esse immutabilem (*ἀτρεπτον*), ex divinis scripturis videmus; tu autem idem ipse es, inquiunt in uno loco, altero autem: non mutor“ — 3) Greg. Nyss. in Psalm. tract. 2 cap. 4: „At inscriptio pro his, qui commutabuntur, hunc mihi videtur habere sensum: solam divinam naturam omnis conversionis et mutationis expertem esse (*κρειττων ἐστι τροπης τε και ἀλλοιωτεως*).“ — 4) Hieron. comment. in Ps. 81: „Cum ipse (Deus) sit immutabilis; pro nostra varietate mutatur.“ — 5) August. confess. lib. 13 C. 16: „Tu scis solus, qui es incommutabilis, et scis incommutabiliter et vis incommutabiliter. Et essentia tua scit et vult incommutabiliter (et scientia est et scit incommutabiliter), et voluntas tua est et scit incommutabiliter“ cfr. de civ. Dei lib. 12 C. 17.

Morale. Imitare Deum immutabilem, christianam religionem ejusque praecepta ad ultimum usque vitae spiritum sequendo.

§. 9.

VIII. Deus libera voluntate praeditus.

Ratio cum homini libertatem tribuit; Deo perfectissimo et voluntatem perfectissimam et libertatem illimitatissimam non potest non tribuere; id quod magis probat

A) *V. T.* Job. 23, 13: „Nemo avertere potest cogitationem ejus (scil. Dei; text. hebr. ישיבנו, avertet eum) et anima ejus quodcunque voluit, hoc fecit." — Ps. 113, 11: „Deus noster in coelo: omnia, quaecunque voluit, fecit" — Ps. 134, 6: „Omnia, quaecunque voluit Dominus, fecit, in coelo et in terra; in mari et in omnibus abyssis" — Prov. 21, 1: „Cor regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud" — Is. 46, 10: „Consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet (text. hebr. אֶעֱשֶׂה, faciam)" ait Deus. — Zach. 8, 7: „Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis"; hinc voluntas Dei nil aliud significat, nisi amorem, approbationem, benevolentiam divinam Ps. 15, 3: „Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas (text. hebr. וְאַדִּירֵי כָּל־חֶפְצִי et fortium omnis voluntas mea) in eis."

B) *N. T.* voluntatem Dei nobis exhibet sanctissimam hominibus ad exemplar datum ad Rom. 12, 2: „Ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta" — ad Eph. 1, 11: „Qui (Deus) operatur omnia secundum consilium voluntatis suae."

Exemplum legere est ad Rom. 9, 9—16; hinc provocatio ad imitandum, quod Deo beneplacet 1 ad Thess. 4, 3: „Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra" — 1 ad Tim. 2, 4: „Qui (Deus) omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire."

Haec Dei voluntas (βουλή, βούλημα, θέλημα) est

a) antecedens, qua Deus vult aliquid sine certis conditionibus et circumstantiis; consequens, qua Deus vult aliquid sub certis conditionibus;

b) aeterna et immutabilis; et si in s. scriptura Deus mutasse voluntatem suam legitur; id more humano dictum putetur;

c) absoluta, nullis conditionibus adstricta; conditionata et haec vel efficax, si effectum sortitur consilium Dei, ubi conditio adfuit; vel inefficax, si ex errore agentis consilium non perficitur;

d) libera Matth. 11, 25; ad Rom. 9, 9—19; 1 ad Cor. 1, 20—26; quidquid enim Deus vult, absque moralitatis et virtutis detrimento vult; quomodo enim esset promotor boni moralis, vel sanctus, et consequenter Deus?

Traditio 1) Tertull. adv. Prax. C. 10: „Dei posse, velle est, et non posse, nolle; quod autem voluit, et potuit, et ostendit." — 2) s. Greg. Naz. orat. 3 de rect. doctr. sent.: „Dei autem solum velle, operis est effectio" — 3) s. Augustin. de civ. Dei lib. 22, C. 2: „Idquod ex aeternitate in ejus immutabili praeparatum est voluntate, id erit" cfr. de corrupt. et grat. C. 14 N. 43; contr. Julian. op. imperf. lib. 1.

Morale. Voluntas nostra voluntati divinae semper consentanea sit, oportet.

§. 10.

IX. Deus infinite bonus, longanimus et misericors.

Universa natura voce distinctissima Dei benignitatem praedicat; omnes quippe creaturae, praecipue homo respectu existentiae, conservationis corporis et animae etc. illustrissimum est argumentum; quam alius a Deo nostro est Deus veterum, Ζεύς, en Homerum.

A) *V. T.* abundat locis, Dei bonitatem, longanimitatem et misericordiam probantibus,

a) in genere, Exod. 34, 6. 7: „Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata" cfr. Num. 14, 18. — 2 Esdr. 9, 31: „Deus miserationum et clemens es tu (אל חנון ורחום אתה, Deus clemens et misericors tu)" — Ps. 85, 15: „Et tu Domine Deus, miserator et misericors, patiens et multae misericordiae et verax" cfr. Ps. 26, 10; Ps. 29, 5. 6; Ps. 102, 8—14; v. 8: „Miserator et misericors Dominus, longanimus et multum misericors" cfr. Ps. 103, 10—29; Ps. 104 et 105, uti 117 et 135. — Ps. 144, 8. 9: „Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Suavis (טוב, bonus) Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus" cfr. Ps. 145, 7. 8. 9; Joel 2, 13; Jon. 4, 2.

b) in specie

α) bonitas et amor Dei Ps. 30, 20: „Quam magna multitudo dulcedinis tuae (text. hebr. מה רב טובך, quam multa bonitas tua), Domine, quam abscondisti timentibus te." — Is. 49, 15: „Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui; et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui" cfr. Sap. 12, 1—10;

β) longanimitas Sap. 15, 1: „Tu autem Deus noster, suavis et verus es, patiens (μακροθυμος, longanimus), et in misericordia disponens omnia" — Nah. 1, 3: „Dominus patiens (text. hebr. ארך אפים, longanimus) et magnus fortitudine";

γ) misericordia Ps. 32, 5: „Misericordia (חסד) Domini plena est terra" cfr. Ps. 35, 8 et Is. 55, 7. — Ps. 56, 11: „Quam magnificata est usque ad coelos misericordia tua et usque ad nubes veritas tua" —

Sap. 11, 24: „Misereris omnium, quia omnia potes" — Eccles. 18, 12: „Misericordia (ἐλεος) Dei super omnem carnem"; cfr. C. 12.

In hoc triplici respectu Deus vocatur Pater, אָב et quidem κατ' ἐξοχην, Pater Israelitarum, qui filios suos non solum diligit Deut. 32, 6; 1 Paral. 29, 10; Is. 63, 16; Jer. 3, 4 et 19; Mal. 1, 6; C. 2, 10; sed et castigat et tentat Judith 8, 21—26 (aliis verbis, sed eodem sensu legit text. gr. 8, 26. 27); Prov. 3, 11. 12.

Non desunt loca, in quibus Deus describatur

a) potens, terribilis, crudelis belli Deus Deut. 7, 21; Ps. 23, 8. 10; qui arma in mortem gerit Deut. 32, 41. 42; Ps. 7, 5—15; qui devictos necari jubet v. g. regem urbis Hai Jos. 8, 2; reges Gabaonitarum Jos. 10, 24; Amalecitas 1 Reg. 15, 3;

b) zelotes et aemulator Exod. 34, 14; Deut. 32, 21. 22; Zach. 8, 2; iracundus et vindictae cupidus Ps. 6, 2; Ps. 82, 1; Ps. 93, 1; Mich. 5, 14; sed haec omnia loca anthropomorphitice sunt intelligenda; aetas tunc puerilis Deum in effigie humana sibi finxit; quid mirum, si hinc Deo affectiones humanae, id est, anthropopathiae tribuantur? Fictione hac sublata et affectiones evanescent.

B) *N. T.* Jesus et Apostoli Deum benignissimum ubique praedicant, praecipue s. Joannis effatum usitatissimum est: ὁ Θεος ἀγαπη ἐστι, Deus charitas est;

a) in genere Joan. 16, 27: „Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis, quia ego a Deo exivi"; — ad Rom. 2, 4: „An divitias bonitatis ejus (scil. Dei), et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?" — 1 ad Cor. 4, 7: „Quid habes, quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?" — Jac. 1, 17: „Omne datum optimum et omne

donum perfectum (= παν ἀγαθον) desursum est, descendens a patre luminum." cfr. Luc. 9, 55. 56;

b) in specie

α) bonitas et charitas Dei Marc. 10, 18: „Jesus dicit ei: quid me dicis bonum? Nemo bonus (ἀγαθος), nisi unus Deus" cfr. Matth. 19, 17; Luc. 18, 19; — Act. 14, 16: „Et quidem (Deus) non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens (ἀγαθοποιων) de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra" cfr. Matth. 6, 30; C. 10, 30; Luc. 12, 7. 24; Act. 17, 25; 2 ad Thess. 2, 15; 1 ad Tim. 4, 3; C. 6, 17; — 2 ad Cor. 13, 11: „Deus pacis et dilectionis erit vobiscum." — 1 Petr. 5, 10: „Deus omnis gratiae" — 1 Joan. 4, 8: „Deus charitas est" cfr. v. 10 et 11;

β) longanimitas 2 Petr. 3, 15: „Domini nostri longanimitatem (μακροθυμιαν) salutem arbitremini" cfr. v. 9;

γ) misericordia Luc. 6, 36: „Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors (οἰκτιρμων) est."

Haec bonitas et charitas Dei maxime se manifestavit,

a) quod filium suum unigenitum pro salute hominum misit Joan. 3, 16; ad Tit. 2, 14; C. 3, 4; 1 Joan. 3, 16; C. 4, 9;

b) quod Pater et vocari et haberi vult Matth. 5, 45; C. 6, 9; C. 7, 9—12; C. 18, 14; C. 23, 9; 1 ad Cor. 8, 6; 1 Joan. 3, 1, qui nos calamitatibus et malis in salutem nostram licet oppressos summopere diligit ad Rom. 5, 3—6; C. 8, 28; ad Hebr. 12, 6—12; qui, si nos emendaverimus, condonat Luc. 1, 50. 78; C. 15, 11—32;

c) haec bonitas Dei est gratuita Jac. 1, 17. innixa sapientiae, sanctitati et justitiae ejus, ita, ut omnis collisio evanescat; insuper vita praesens minime est tempus et status retributionis.

C) *Traditio* 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 23: „Misericors in omnibus et beneficus Pater viscera erga timentes eum habet et gratias suas simplici mente ad ipsum accedentibus benigne suaviterque largitur.“ — 2) Athenag. legat. pro Christian.: „Deus autem cum sit absolute bonus, etiam perpetuo beneficus est.“ — 3) Clem. Alex. paed. lib. 1 C. 8: „Praestantius — bono nihil est; prodest ergo, quod bonum est; Deum autem esse bonum, in confesso est (ἀγαϑος δε ὁ Θεος ὁμολογειται); Deus ergo prodest. Bonum autem quatenus bonum est, nihil aliud facit, quam prodest; Deus ergo prodest in omnibus — Bonus est ergo Deus (ἀγαϑος ἀρα ὁ Θεος)“ — 4) Orig. in Jerem. hom. 1: „Deus ad benefaciendum promtus (προχειρος) est.“ — 5) Cyprian. epp. lib. 3 ep. 8: „Haec fuit in concilio nostra sententia: — a gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi.“ — 6) Lactant. instit. div. lib. 6 C. 9: „Deus, quem nosse refugit, fons est ipse bonitatis.“ — 7) Basil. comment. in Isai. prooem. n. 25: „Deus vere bonus est (ἀγαϑος ἀληϑινως ὁ Θεος).“ — 8) Cyrill. Hieros. catech. 2 C. 19: „Benignus est Dominus et ad condonandum promtus, tardus autem ad ulciscendum (φιλανϑρωπος ὁ Κυριος και ταχυς εἰς συγχωρησιν, βραδυς δε εἰς τιμωριαν)“ cfr. catech. 6 C. 9. — 9) Greg. Naz. orat. 10 de pace 3: „Etenim Deus noster dilectio est“ cfr. orat. 22 ad Greg. Nyss. — 10) Ambros. in Ps. 118 Octon. 9: „Proprium Dei est, ut bonus sit“ cfr. de Isaac et anima C. 7. — 11) Augustin. de moribus eccles. cath. C. 8: „Bonorum summa Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum.“ — De decem chordis: „Quid me terres de Deo nostro? Ille misericors est et miserator et multum misericors — gaudeamus ad misericordiam Domini, sed timeamus ad judicium Domini“ cfr. retract. lib. 1 C. 9; serm. 29 de spir. et lit.; ep. 54 ad Macedon.; de trin. lib. 8 C. 3.

Morale. Dei charitas provocat nos ad gratum animum et ad charitatem in Deum et homines reciprocam.

§. 11.

X. Deus sanctissimus — unicum et verum bonum.

Ratio sic argumentatur: si Deus est Spiritus perfectissimus; et voluntas ejus non potest non esse perfectissima, cum ratio moraliter bonum diligit; e contra moraliter malum odit et abominatur. Effatum rationis magis confirmat

A) *V. T.* Vox: קָדֹשׁ apud Hebraeos non solum externam, sed et praecipue internam puritatem et integritatem et dignitatem denotat (contra Amon et Zachariae); hinc Lev. 11, 44. 45: „Sancti estote (text. hebr. וִהְיִיתֶם et eritis), quia ego sanctus sum. — Sancti eritis, quia ego sanctus sum"; — C. 19, 2: „Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester" cfr. C. 20, 7; Deut. 32, 4. — Jos. 24, 19: „Dixit Josue ad populum: — Deus sanctus (אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא)" — 1 Reg. 2, 2: „Non est sanctus, ut est Dominus." — Ps. 5, 5—8: „Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injusti ante oculos tuos: odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium: virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus." — Is. 6, 3: „Et clamabant (Seraphim) alter ad alterum et dicebant: sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum" cfr. Job. 4, 17—20; C. 15, 14. 15; Ps. 14, 1. 4; Ps. 18, 10. 11; Ps. 32, 4; Ps. 44, 8; P. 49, 16—23; Is. 1, 10—18; Hab. 1, 12. 13.

Haec sanctitas Dei patet

α) ex mandato hominibus dato, ut eandem sectentur Lev. 11, 44. 45; Ps. 15, 1—4;

β) ex effectibus, cum Deus intellectum illuminat, animum inflammat, et bona in homine excitat sensa Deut.

3, 6; Ps. 50, 12. 13; Ps. 85, 11; Ps. 118, 33—38; Jer. 31, 33; C. 32, 39. 40; Ezech. 11, 19; C. 36, 26; sed necesse est, ut et homo cooperetur Ezech. 18, 31. quin tamen libertas ejus limitetur Prov. 1, 24; Is. 5, 2; C. 65, 2, 12; C. 66, 4; Jer. 7, 13;

γ) ex dispositionibus a Deo factis in oeconomia mosaica per sacrificia et ritus leviticos etc., quae eo tendebant, ut populus ab idololatria abductus ad Deum unum, verum duceretur; hinc dicitur Ex. 19, 6: „Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta.“

Non desunt loca, quae sanctitati Dei derogare videantur; sed sensu bene intellecto res aliter se habet; nam si dicitur:

a) Deus induravit cor Pharaonis Ex. 4, 21; C. 9, 12 et cor Israelitarum Deut. 29, 2—5; Jud. 9, 23; Is. 6, 9. 10; C. 29, 9. 10. 13. 14; C. 63, 17; e parte contraria iterum legitur: Pharao cor suum ipse induravit Ex. 7, 13. 22. 23; C. 8, 15. 32; et Israelitae ipsi legi divinae non obedierunt Deut. 10, 16; 1 Reg. 5, 6; Ps. 80, 13; Jer. 5, 3; C. 7, 26; hic locus ex loco explicandus est, praecipue cum loca Isaiae etc. sunt emphatice dicta; hinc provocatio Ps. 94, 8: „Nolite obdurare corda vestra“;

b) Deus seduxit Davidem 2 Reg. 24, 1; e contrario legitur 1 Paral. 21, 1: „Satan — incitavit David, ut numeraret Israel“; in genere: dictiones ejusmodi nonnisi Hebraeorum linguae sunt tribuendae, vi cujus omne, quod sublime in genere fuit, sive bonum v. g. vigor herois aut dexteritas artificis cujusdam aut animi excessus Ex. 31, 2—6; Jud. 14, 6; 1 Reg. 16, 14. 15. 16; sive malum v. g. magna cordis durities, animi coecitas, Dei opus habebatur; inde veniunt quoque effata: montes Dei — excelsi; tenebrae Dei — densissimae;

c) Deus provocat ad furtum Ex. 3, 22; id sic est intelligendum, ut, si poscerent Israelitae vasa ab Ae-

gyptiis, hi illis libenter praeberent, unde quaeso sermo de furto?

d) aut ad mendacium et fraudem 3 Reg. 22, 19. 23; Ps. 18, 26. 27; primus locus est visio tantum prophetica; secundus exprimit retributionem ex parte Dei, si homo contra voluntatem ipsius agat;

e) aut ad adulterium et alia indecentia 2 Reg. 12, 11. 12; C. 16, 22; Os. 1, 2; C. 3, 1; Nah. 3, 5. 6; primus locus annuntiat Davidi more prophetico malum adulterii causa ipsi obveniens, quod et factum; secundus Os. est dictio symbolica; et tertium Nah. linguam poeticam esse, quis est, quin perspiciat?

B) *N. T.* sanctitatem Dei maximis depraedicat encomiis Joan. 17, 11: „Pater sancte (πατερ ἁγιε), serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos"; sic oravit Jesus. — Jac. 1, 13: „Nemo cum tentatur, dicat; quoniam a Deo tentatur (text. gr. πειραζομαι, tentor, quod idem): Deus enim intentator (ἀπειραστος; Syr. לא מתנשי) malorum est; ipse autem neminem tentat" cfr. 1 ad Cor. 10, 13. — 1 Petr. 1, 15. 16: „Et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: sancti eritis, quoniam ego sanctus sum (ὁτι ἐγω ἁγιος εἰμι)" — 1 Joan. 1, 5: „Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae" cfr. C. 3, 3; ad Eph. 4, 24; Apoc. 15, 4; hinc

a) Deus expresse ad sanctitatem provocat Matth. 5, 45; 1 ad Thess. 4, 3; 1 Petr. 1, 15. 16;

b) et in homine operatur, ut et velit et exerceat virtutem ad Phil. 2, 13; ad Hebr. 13, 20. 21.

Omnis religio christiana non tam objectiva, id est, revelatio et salutis oeconomia; sed et subjectiva, id est, agnitio et acceptatio veritatum revelatarum ex parte hominum et vita hominis nova vel regeneratio est dispositio saluberrima a Deo facta, et quidem

α) agnitio et acceptatio religionis christianae Joan. 6, 44; Act. 16, 14; ad Phil. 1, 5. 6. 29; Jac. 1, 18;

β) renovatio animi humani ex praescriptis religionis ejusdem 2 ad Tim. 2, 25;

γ) incrementum et perseverantia in bono usque ad finem 1 ad Cor. 1, 8; C. 3, 6; 2 ad Cor. 1, 21; ad Eph. 3, 16; ad Phil. 1, 9; ad Col. 1, 9—13; 1 ad Thess. 5, 23. 24; 2 ad Thess. 2, 16; C. 3, 10—14; 1 Petr. 3, 10—14; C. 5, 10; Apoc. 15, 4. unde ortus est conceptus gratiae, de qua infra.

Non equidem desunt loca, in quibus Deus ceu mali auctor esse videatur v. g. Matth. 6, 13. jubet Christus nos orare: „Et ne nos inducas in tentationem"; ad Rom. 1, 26: „Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae" coll. v. 24 et 28; dein C. 9, 18: „Ergo cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat" et C. 11, 7. 8: „Caeteri excoecati sunt, sicut scriptum est: dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem" cfr. 2 ad Thess. 2, 10—13; sed hisce in locis est sermo de permissione mali, cum libertas hominis neutiquam limitetur Matth. 11, 21; C. 23, 37; Act. 7, 51. in locis supra citatis 1 ad Cor. 10, 13 et Jac. 1, 13. Deus expresse malorum intentator dicitur; ergo malum non derogat sanctitati divinae; est enim nil aliud, nisi lolium in agro Dei usque ad messis finem reservandum Matth. 13, 24—30.

C) *Traditio* Orig. de princip. lib. 1. C. 8. n. 3: „Siqua — alia natura sancta est, ex assumtione hoc vel inspiratione Spiritus s. habet, ut sanctificetur, non ex sua natura, hoc possidens, ut Deus, sed accidens sibi, propterquod et decidere potest, quid accidit." — Cyprian. serm. de orat. dom: „A quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat?"

Morale. Cum Deus sanctus est; nos quoque sanctitatem sectari oportet Matth. 5, 48; ad Eph. 4, 24; ad Hebr. 12, 14; 1 Petr. 1, 15. 16.

§. 12.

XI. Deus justissimus.

Deus, si est sanctissimus, non potest non esse justissimus, id est, bonis praemia, poenas malis distribuens; quod rationis effatum clarius et perfectius nobis demonstrat

A) *V. T.* Gen. 2, 17: „In quocunque die comederis ex eo (scil. ligno scientiae boni et mali), morte morieris." — Exod. 20, 5. 6: „Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem (פֹּקֵד עָוֹן) patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me et custodiunt praecepta mea" cfr. Deut. 5, 9; C. 28, 62—68; additamentum „in tertiam et quartam generationem" est conditionate intelligendum, quia Deus praevidit, filios patrum exempla secutos in posterum peccaturos, sicque sequelas delictorum sensim sensimque prorogatum iri; insuper non sine causa additum est: „qui oderunt me (לְשֹׂנְאָי)" Deut. 32, 4: „Deus — justus (צַדִּיק) et rectus" — Job 34, 10. 11: „Absit a Deo impietas, et ab omnipotente iniquitas; opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis" coll. v. 12. 13. 18. 19. 24. usque ad finem; C. 35, 5—8 et Ps. 5, 7. — Ps. 9, 9: „Ipse (Deus) judicabit orbem terrae in aequitate (text. hebr. בְּצֶדֶק); judicabit populos in justitia (text. hebr. בְּמֵישָׁרִים, in rectitudinibus)" — Ps. 10, 7: „Quoniam justus Dominus et justitias (צְדָקוֹת) dilexit; aequitatem vidit vultus ejus" — Ps. 35, 7: „Justitia tua (צִדְקָתְךָ), sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa" cfr. Ps. 36. integ.; Ps. 48, 15; Ps. 73. integ. Ps. 95, 13; Ps. 118, 137: „Justus es Domine et rectum judicium tuum" — Ps. 144, 17: „Justus Dominus in omnibus viis suis et sanctus (text. hebr. וְחָסִיד et misericors) in operibus suis" Ps. 147 et 148. — Prov. 24, 12: „Reddet (Deus inspector cordis) homini juxta

opera (כְּפָעֳלוֹ)" — Eccles. 3, 17: „Justum et impium judicabit (יִשְׁפֹּט) Deus et tempus omnis rei tunc erit (text hebr. כִּי עֵת לְכָל־חֵפֶץ וְעַל כָּל־הַמַּעֲשֶׂה שָׁם, quia tempus omni voluntati et super omne opus tibi)" cfr. C. 9, 2; C. 12, 7. 14. — Sap. 12, 13: „Non injuste (Deus) judicas judicium (οὐκ ἀδικως ἐκρινας)" — Eccles. 12, 7: „Altissimus — impiis reddet vindictam" cfr. C. 16, 12. 14. 15. praesertim vers. 22: „Opera justitiae ejus (ἐργα δικαιοσυνης αὐτου) quis enuntiabit?" cfr. Zach. 8, 17. — Ex his dictis patet, quod justitia Dei sit

a) remuneratoria Tob. 12, 6—12;

b) punitiva exemplis exhibita in primis parentibus Gen. 3; in diluvio Gen. 6 et 7; in destruendis urbibus Sodoma et Gomorrha Gen. 18 et 19; et sic per totam periodum judaicam;

c) remuneratoria et punitiva simul Lev. 26; Deut. 7, 10; C. 11, 26—29; C. 27 et 28.

B) *N. T.*; en quam dilucide justitia Dei exponitur Matth. 16, 27: „Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis et tunc reddet (τοτε ἀποδωσει) unicuique secundum opera ejus" Jesum judicem universalem olim appariturum, infra sermo erit cfr. Act. 17, 31; alio loco Jesus ipse exclamat Joan. 17, 25: „Pater juste (πατερ δικαιε)"; — ad Rom. 2, 6: „(Deus) reddet unicuique secundum opera ejus" cfr. vers. 7 11; 2 ad Thess. 1, 5. 6. 7; et 1 ad Cor. 4, 5; — C. 15, 58: „Labor vester non est inanis (ἐστι κονος) in Domino" — 2 ad Cor. 5, 10: „Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum (εἰτε ἀγαθον, εἰτε κακον)" — 2 ad Tim. 4, 8: „In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex (ὁ δικαιος κριτης)"; — ad Hebr. 10, 30: „Scimus, qui dixit: mihi vindicta et ego retribuam

(ἐγω ανταποδωσω; text. gr. addit: λεγει κυριος, dicit Dominus) et iterum: quia judicabit Dominus populum suum" — Apoc. 16, 5: „Justus es (δικαιος εἶ) Domine, qui es et qui eras, sanctus, qui haec judicasti"; vers. 7: „Vera et justa judicia tua (ἀληθιναι και δικαιαι αἱ κρισεις σου)."

Ut in vet. sic et in nov. test., haec justitia Dei est

a) remuneratoria Matth. 25, 31—41; ad Hebr. 6, 10;

b) punitiva Matth. 12, 36. 37; C. 25, 41—46; ad Rom. 2, 9;

c) remuneratoria et punitiva simul; attamen haec vitae periodus est tantummodo disciplinaris, perfectaque retributio futuro saeculo est reservata Matth. 10, 42; C. 19, 29; C. 20, 1—16; C. 25, 34—46; ad Rom. 8, 18—28; 2 ad Cor. 9, 6; ad Hebr. 12, 5—12.

C) *Traditio* 1) Tertull. advers. Marc. lib. 2, C. 16: „Bona igitur et severitas, quia justa; si bonus judex, id est justus" cfr. lib. 1, C. 25 et 26; lib. 2, C. 13. — 2) Lactant. de ira Dei C. 5: „Nam si Deus non irascitur impiis et injustis; nec pios utique justosque diligit; ergo constantior est error illorum, qui et iram simul et gratiam tollunt. — Vana ergo et falsa est sententia eorum, qui cum alterum Deo tribuunt, alterum detrahunt; non minus, quam illorum, qui utrumque detrahunt." — 3) Cyrill. Hieros. catech. 4 C. 4: „Idem ipse et bonus et justus est (και ὁτι αὐτος ἐστιν ἀγαθος και δικαιος)." — 4) Greg. Nyss. orat. catech. 21 integ. — 5) Chrysost. hom. 9 in 1 ad Cor. 3: „Deus, sicut est benignus, ita etiam punit et ulciscitur." — 6) Basil. serm. 7 de peccat. C. 12: „Deus quidem bonus est, sed est quoque justus (ἀλλα και δικαιος); justi autem est renumerare pro merito."

Morale. Cum Deus est justissimus; sic nos geramus, ut eum aliquando judicem propitiatum reperiamus.

§. 13.

§. 13.

XII. Deus veracissimus.

Cum Deus est omniscius, non potest errare, nec ulla ei inest ignorantia, aut oblivio, aut praecipitantia; cum est sanctissimus, non potest mentiri, nec ulla ei inhaeret fraus aut dolus; sic ratio argumentatur, et quomodo revelatio?

A) *V. T.* Exod. 34, 6: „Dominator Domine Deus — verax (text. hebr. רַב־אֱמֶת, multus veritate)“ — Num. 23, 19: „Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur (וִיכַזֵּב)“ — 2 Reg. 7, 28: „Domine Deus, tu es Deus et verba tua erunt vera (אֱמֶת, veritas)“ — Ps. 118, 90: „In generatione et generationem veritas tua (אֱמוּנָתְךָ)“ cfr. Is. 55, 10. 11. — Jer. 10, 10: „Dominus autem Deus verus (אֱמֶת הוּא, veritas ipse) est.“

B) *N. T.* Joan. 3, 33: „Deus verax est (ὁ Θεος ἀληθης ἐστι)“ — C. 8, 26: „Qui me misit, verax est“ ait Christus cfr. C. 14, 6. ubi se ipsum veracem vocat. — C. 17, 3. alloquitur Christus Patrem dicens: „Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum (ἀληθινον) et quem misisti, Jesum Christum“; exinde vero non sequitur, quasi Deus Pater solus verus sit; en C. 14, 6. et infra. — Vers. 17: „Sermo tuus veritas (ἀληθεια) est“ — ad Rom. 3, 4: Et (text. gr. γινεσθω, esto) autem Deus verax; omnis autem homo mendax“ — 2 ad Tim. 2, 13: „Negare se ipsum non potest (Deus)“ cfr. ad Hebr. 6, 18. — ad Tit. 1, 2: „Non mentitur (ὁ ἀψευδης, expers mendacii) Deus“ — 1 Joan. 5, 20. ait Apostolus de Christo: „Hic est verus Deus et vita aeterna“ et Apoc. 3, 7: „Haec dicit sanctus et verus (ἀληθινος), qui habet clavem David.“

A Deo solo venit spiritus veritatis, το πνευμα της ἀληθειας, dicente Christo Joan. 15, 26: „Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis á Patre,

Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me."

C) *Traditio* 1) ss. Polycarp. ep. synod. eccles. Smyrn. C. 14. apud Euseb. hist. eccles. lib. 4. C. 15. orat.: „Sicut praeparasti, jam antea patefecisti et adimplesti, qui mentiri nescis, Deus verax." — 2) Greg. Nyss. hom. 7. in Cant.: „Dominus — natura sua id ipsum, quod est, est essentia veritatis (ἀληθειας — ουσια ἐστι)" — 3) Ambros. in Num.: „Impossibile — est ei (Deo) mentiri; et impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis et majestatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem." — 4) August. de civ. Dei lib. 22. C. 25: „Si volunt invenire, quod omnipotens non potest, habent prorsus: ego dicam: mentiri non potest."

Morale. Quia Deus verax est; mendacium abhorrere nos oportet.

§. 14.

XIII. Deus fidelissimus.

Cum Deus, ait ratio, omniscius est; nulla ei adhaeret ignorantia cum omnipotens est; voluntati ejus nihil valet resistere; cum sanctissimus est, voluntas ejus semper optima est et rectissima; huc accedunt loca

A) *V. T.* Deut. 7, 9: „Scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis (text. hebr. הָאֵל הַנֶּאֱמָן)" — C. 32, 4: „Deus fidelis (text. hebr. אֱמוּנָה, veritas) et absque iniquitate" — Ps. 32, 4: „Quia rectum est verbum Domini et omnia opera ejus in fide (בֶּאֱמוּנָה)" cfr. v. 11. — Is. 49, 7: „Quia fidelis (נֶאֱמָן) est (Deus)" cfr. C. 65, 16.

B) *N. T.* 1 ad Cor. 1, 9: „Fidelis Deus (πιστος ὁ Θεος), per quem vocati estis" cfr. 1 ad Thess. 5, 24. — C. 10, 13: „Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id, quod potestis" cfr. 2 ad Cor. 1, 18. —

2 ad Thess. 3, 3: „Fidelis Deus est, qui confirmabit vos et custodiet a malo" cfr. 2 ad Tim. 2, 13. — ad Hebr. 10, 23: „Fidelis est, qui repromisit (scil. Deus)" — Apoc. 3, 14. de Christo dicitur: „Et angelo Laodiceae ecclesiae scribe: haec dicit: amen, testis fidelis (ὁ μαρτυρ ὁ πιστος), et verus, qui est principium creaturae Dei."

Sit, ut promissio a Deo facta effectum non sortiatur optatum; intelligat homo, et bene animo inculcet, se ipsum, non Deum factum esse infidum.

C) *Traditio* Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 27: „Hac spe animi nostri ad eum adstringantur, qui in promissis fidelis (τῳ πιστῳ ἐν ταις ἐπαγγελιαις) et in judiciis justus" — 2 ad Cor. C. 11: „Fidelis enim est (πιστος γαρ ἐστι), qui promisit se redditurum unicuique secundum opera ejus" — Ambros. de Abel et Cain lib. 1. C. 10: „Deus et cum loquitur, fidelis est, cujus sermo sacramentum est" cfr. in 1 ad Cor. C. 10.

§. 15.

XIV. Deus beatissimus, nulli comparandus.

Ratio si concedit, Deum esse ens perfectissimum, non potest non concedere, Deum esse beatissimum; de qua veritate nos magis convincit

A) *V. T.* Job. 35, 6. 7: „Si peccaveris, quid ei nocebis (text. hebr. legit: מַה־תִּפְעָל־בּוֹ, quid operaberis contra eum), et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet" — Ps. 88, 7. 9: „Quoniam quis in nubibus aequabitur (יַעֲרֹךְ) Domino, similis erit (יִדְמֶה) Deo in filiis Dei? — Domine Deus virtutum, quis similis tibi (text. hebr. מִי־כָמוֹךָ, quis sicut tu)" cfr. Ps. 49, 7—15; Ps. 138, 6. — Is. 40, 25: „Cui assimilastis me et adaequastis (text. hebr.

ואשוה et aequabor), dicit sanctus" cfr. vers. 28. — Jer. 10, 6. 7: „Non est similis tui (כָּמוֹךָ sicut tu) Domine, magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine; — inter cunctos sapientes gentium et in universis regnis eorum nullus est similis tui (text. hebr. מֵאֵין כָּמוֹךָ, non sicut tu)." Hinc

a) majestas (כָּבוֹד, קְדֻשָּׁה) Dei et dignitas venerationis ejus Deut. 7, 21; Ps. 28, 3; Is. 6, 3; Ezech. 38, 16; C. 39, 27. 28;

b) Deus est ens incomprehensibile et ineffabile.

B) *N. T.* Act. 17, 25: „Nec manibus humanis colitur (Deus) indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia (text. gr. κατα παντα)" cfr. v. 29. — 1 ad Tim. 6, 15. 16: „Beatus (ὁ μακαριος) et solus potens —.cui honor et imperium sempiternum" cfr. C. 1, 11. — Exinde patet

a) majestas (δοξα, gloria; ἀρεται, virtutes) Dei, cum dicitur Deus gloriae Act. 7, 2. cfr. 1 Petr. 2, 9 et 2 Petr. 1, 3;

b) patet Deum esse ens incomprehensibile et ineffabile ad Rom. 11, 33.

C) *Traditio.* Clemens Alex. strom. lib. 5. C. 11: „Ad intelligentiam omnipotentis utcunque perveniemus, non ita tamen, ut, quod est, sed quod non est, cognoscamus" — August. de civ. Dei lib. 11. C. 11: „Neque enim beatae vitae vocabulum ita contrahimus ad quasdam significationis angustias, ut solum Deum dicamus beatum: qui tamen ita vere beatus est, ut major beatitudo esse non possit" cfr. de trin. lib. 5. C. 1.

Morale. Ex beatitudine Dei sequitur, nobis incumbere, ut gloriam Dei magis magisque promoveamus, id est, moribus nostris in aliis pios de Deo conceptus et sensus excitemus.

§. 16.

XV. Deus perfectissimus.

Ratio ipsa docet, Deum non posse ens esse imperfectum infirmum, ac limitatum; ergo etc. id quod magis demonstrat

A) *V. T.* 1 Reg. 2, 2: „Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te, et non est fortis (*text.* hebr. צוּר, petra) sicut Deus noster" — Ps. 8. integ. — Ps. 88, 8. 9: „Deus, qui glorificatur (text. hebr. נַעֲרָץ, formidabilis) in concilio sanctorum: magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo" — Ps. 103, 1. 2: „Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Confessionem (הוֹד, gloriam) et decorem induisti" — Ps. 144, 3: „Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis (אֵין חֵקֶר, non investigatio)" cfr. v. 5—8 et Is. 40, 12. — 2 Mach. 1, 24. 25: „Domine Deus omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus es bonus rex (text. gr. βασιλευς και χρηστος, rex et bonus), solus praestans, solus justus, et omnipotens et aeternus."

B) *N. T.* exhibet dignissimas de Dei perfectionibus descriptiones Matth. 5, 48: „Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus (τελειος) est"; similitudo hic expressa jam innuit, hominem perfectiones Dei imitari, sed minime assequi posse; alias homo, ut Deus, posset esse perfectissimus, quod est absurdissimum. — 1 ad Cor. 15, 28: „Deus omnia in omnibus (τα παντα ἐν πασι)" — ad Eph. 4, 6: „Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis (ὑμιν, vobis)" — 1 ad Tim. 6, 15. 16: „Rex regum, et Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quem

nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor et imperium sempiternum (ῳ τιμη, κρατος robur αιωνιον)."

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. dialog. cum Tryph.: „Id ipsum, quod sit (= Deum) quiddam esse dico longe supra omnem essentiam (ἐπεκεινα πασης οὐσιας), ineloquibile, ineffabile solumque pulchrum et bonum." — 2) Athenag. apol.: „Quod igitur impii non simus, qui unum eumque ingenitum, aeternum, invisibilem, nullis affectibus obnoxium, incomprehensibilem, immensum, mente tantum atque ratione intelligibilem, luce ac pulchritudine et spiritu atque potentia circumdatum — Deum esse credimus, abunde a me demonstratum est." — 3) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Sic Deus perpetuo perfectus existit, plenus potentia, intellectu, sapientia, immortalitate, et reliquis bonis omnibus" cfr. lib. 1. — 4) Iren. adv. haer. lib. 1. C. 6: „Est universorum Deus, qui simul, ut cogitavit, perficit, id quod cogitavit, et simul ac voluit, et cogitat hoc, quod voluit et tunc volens cum cogitat, cum sit totus cogitatus et totus sensus, et totus oculus, et totus auditus et totus fons omnium bonorum" cfr. lib. 2. C. 16; lib. 4. C. 28. — 5) Tertull. adv. Marc. lib. 2. C. 16: „Nec tamen perfecte ea (divina) obtinemus, quia solus Deus perfectus" cfr. apol. — 6) Clem. Alex. paedag. lib. 1. C. 8: „Unum — est Deus, et ultra unum, et supra ipsam unitatem (ἑν — ὁ Θεος, και ἐπεκεινα του ἑνος, και ὑπερ αὐτην μοναδα)" cfr. strom. lib. 5. C. 12. — 7) Minut. Felix. Octav. C. 18: „Hic (Deus) nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior; nec aestimari, sensibus major est; infinitus, immensus et soli sibi, tantus quantus est, notus." — 8) Orig. comment. in Gen. ex lib. 1: „Semper perfectus est Deus (ἀει τελειος ὁ Θεος)." — 9) Arnob. adv. gent. lib. 1: „Prima (o Deus) causa es, locus rerum ac spatium, infinitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat

circumscriptio, qualitatis expers, quantitatis, sine situ, motu et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potis est significatione verborum; qui, ut intelligaris, tacendum est, atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil omnino metiendum." — 10) Cyrill. Hieros. catech. 6. C. 8: „(Deus) perfectus (τελειος) in videndo, perfectus in potestate, perfectus in magnitudine, perfectus in praenotione, perfectus in bonitate, perfectus in justitia, perfectus in benignitate." — 11) Greg. Nyss. in Ecclesiasten hom. 7: „Deus est perfecta et plane absoluta virtus (τις παντελης ἀρετη): extra Deum ergo est vitium, cujus natura non eo, quod ipsum sit, sed in eo, quod bonum non sit, comprehenditur" cfr. orat. catech. C. 20. — 12) Ambros. de dignit. cond. hum. C. 3: „Deus — est charitas et bonus et justus, patiens atque mitis, mundus et misericors, et caetera virtutum insignia, quae de eo leguntur." — 13) Hieron. comment. in Ps. 93: „Ego autem dico, quod Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est." — 14) Augustin. de trin. lib. 15. C. 4: „Oportet, ut eum (Deum) — Spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur" cfr. de catech. rud. C. 18. — 15) Bernard. serm. 80. in cant. cant.: „Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia."

b) Concil. Lateran. 4. anno 1215. Cap. 1: „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis."

Morale. Non frustra Jesu effatum sit nobis dictum: „Estote vos perfecti."

Caput II.

Deus trinus in personis.

§. 17.

Doctrina de Deo trino in personis seu de trinitate, a Jesu religionis christianae fundatore, generi humano manifestata, in vet. test. nuspiam reperitur, quia in quavis Israelitarum periodo ad amovendam idololatriam doctrina de unitate Dei tanquam doctrina fundamentalis eminet; et quidem

a) in periodo patriarcharum Deus apparet, ut pater domesticus inter filios; en librum Job et historiam patrum hujus aevi;

b) in periodo mosaica Israelitis unitas Dei maximopere inculcata fuit; en Pentateuchum;

c) in periodo prophetica ille tantum verus propheta credebatur, qui unitatem Dei tradidit;

d) in periodo exilii babyl. et ultra nulla permissa fuit librorum sacrorum collectio; hinc omnia loca, olim pro doctrina de trinitate inventa, nullius sunt valoris; nam

1) Gen. 1, 1: „In principio creavit Deus (אֱלֹהִים) coelum et terram"; vox: אֱלֹהִים est tantum plur. majest. oppositus diis ethnicorum, qui et vocantur אלהים;

2) Vers. 29: „Faciamus (נַעֲשֶׂה) hominem ad imaginem et similitudinem nostram" est lingua poetica, ubi s. author Deum secum ipso deliberantem introducit; haec phrasis saepe occurrit v. g. Gen. 11, 7 et alibi; attamen aliqui ss. patres hunc locum ad trinitatem applicant;

3) C. 18, 2: „Apparuerunt ei (Abrahamo) tres viri stantes prope eum" refutatur ex alio loco vers. 13:

„Dixit autem Dominus (יְהוָה) ad Abraham: quare risit Sara?" ergo unus est Dominus, caeteri angeli;

4) C. 19, 24: „Igitur Dominus (יְהוָה) pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino (מֵאֵת יְהוָה) de coelo, est repetitio substantivi loco pronominis: a se; vid. C. 18, 19; Ex. 16, 28. 29;

5) Num. 6, 24. 25. 26: „Benedicat tibi Dominus (יְהוָה), — ostendat Dominus (יְהוָה) faciem tibi, — convertat Dominus (יְהוָה) vultum suum ad te, nil aliud edicit, quam benedicendi formulam; attamen mirandum, nomen יְהוָה tantummodo ter, et non pluries occurrere;

6) Ps. 2, 7: „Dominus (יְהוָה) dixit ad me: Filius meus (בְּנִי) es tu: ego hodie genui te" cfr. ad Hebr. 1, 5. est allusio ad Messiam;

7) Prov. 30, 4: „Quod nomen est ejus (שְׁמוֹ) et quod nomen filii ejus (שֶׁם־בְּנוֹ), si nosti" est dictio ironica et sensus: nullus mortalium est Deo similis;

8) Is. 6, 3: „Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus (Vulg.) exercituum" est trisagion et idem sonat ac sanctissimus;

9) C. 42, 1: „Ecce servus meus (עַבְדִּי), suscipiam eum: „electus meus (בְּחִירִי) — dedi spiritum meum (רוּחִי) super eum" cfr. Matth. 12, 18. potest esse argumentum de praecipuis docendi donis in Messia elucentibus, sed non de trinitate.

Jesus, summus, quem unquam genus humanum habuit, magister doctrinam de trinitate manifestavit rationis licet sphaeram transeuntem, quo fit, ut objectum fidei non scientiae et sit et maneat mysterium; hinc doctrina de trinitate est mysterium, enuntians, essentiam divinam tribus consistere personis (contra Socinianos),

vel substratis vere inter se distinctis (contra Sabellianos), id est, personis, Patre et Filio et Spiritu sancto, quae, cum quaevis vere sit Deus, ob naturam divinam, quae cuivis earum competit, unam Deitatem seu unum Deum constituunt. Ad hanc doctrinam probandam occurrunt argumenta tum generalia, tum specialia, quorum illa cum his conjuncta plenum constituunt argumentum: id quod in hac doctrina praecipue notandum, ne praejudicium quoddam existat.

§. 18.

I. Argumenta generalia.

A) In *N. T.*:

a) Matth. 3, 16. 17: „Ecce aperti sunt ei coeli et vidit Spiritum Dei (το πνευμα του Θεου) descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de coelis dicens: hic est filius meus (ὁ υιος μου) dilectus, in quo mihi complacui“ cfr. Marc. 1, 10; Luc. 3, 21. 22; Joan. 1, 32; ex loco isto perfecto tres personae erui possunt, quin divinitas earum eluceat; quod Critici novi desuper disserant, nil curandum;

b) C. 28, 19: „Docete omnes gentes baptizantes eos (i. e. fideles) in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (εἰς το ὀνομα του πατρος και του υἱου και του ἁγιου πνευματος)“; expresse tres nominantur personae; at si divinitas earum probanda sit, hunc locum cum aliis conjungi oportet;

c) Joan. 15, 26. ait Jesus: „Cum autem venerit Paraclitus (παρακλητος), quem ego mittam vobis a Patre (παρα του πατρος), Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me“ cfr. C. 14, 26; en tres personas distincte nominatas;

d) 1 ad Cor. 12, 4—7: „Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus (πνευμα): et divisiones mini-

strationum sunt; idem autem Dominus (κυριος): et divisiones operationum sunt, idem vero Deus (Θεος), qui operatur omnia in omnibus"; cum vers. 11. Spiritus quoque operans dicitur; tantummodo Deus est, qui operatur omnia in omnibus et effatum: ὁ αὐτος Θεος ad Spiritum et Dominum referri potest, ex quo hic sensus eruitur: Spiritus gratias diversas distribuit; Dominus diversas ministrationes; at semper Deus est, qui operatur omnia in omnibus et auctor operationum diversarum eminet; atque Spiritus et Dominus in unum Tertium, id est, Deum conveniunt et cum Deus = Pater; en perfectum Tri-unum;

e) 2 ad Cor. 13, 13: „Gratia Domini (κυριου) nostri Jesu Christi, et charitas Dei (του Θεου), et communicatio sancti Spiritus (του ἁγιου πνευματος) sit cum omnibus vobis"; en denominationem trium personarum, sed locus per se sumtus, quin cum aliis conferatur, divinitatis argumentum non constituit;

f) 1 Petr. 1, 2: „Secundum praescientiam Dei Patris (Θεου πατρος), in sanctificationem Spiritus (πνευματος), in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi (Ἰησου Χριστου): gratia vobis et pax multiplicetur"; si vox: Deus, ad duas personas sequentes referatur; perfectum apparet divinitatis argumentum;

g) 1 Joan. 5, 7: „Tres sunt, qui testimonium dant (Jesum scil. verum esse Messiam) in coelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus (ὁ πατηρ, και ὁ λογος, και το ἁγιον πνευμα) et hi tres unum (εἰς το ἑν, in unum) sunt"; huic loco semper contradictum est, quia α) non extat in omnibus graecis manuscriptis iisque vetustissimis ante saec. quint., nec in vers. syr. arab. aethiop. philoxen.; β) in versionibus latinis modo in margine, modo in textu positus post saec. quint. occurrit; γ) nullus ecclesiae doctor ad haereticos refutandos eodem usus fuit; at hunc locum minime esse praetereundum, patet ex eo, quod α) episcopi

ecclesiae Africanae anno 384 in apologia fidei catholicae hunc versum recitarint; ergo innotuit et in textum receptus fuisse creditur; β) allegetur hic locus in codd. Britann. ex quibus Erasmus Rotterd. illa verba in edit. 1522 reposuit; in Cod. Vatican., ex quo in edit. Complut. 1515 repositus apparet; γ) modo solenni receptus fuerit in concil. Nicaen. et Lateran. in opp. ss. Athan. Tertull. et Cypriani; δ) cum aliis s. Joannis in Evangelio occurrentibus locis consentiat v. g. Joan. 5, 37: „Qui misit me Pater (πατηρ), ipse testimonium perhibuit de me"; C. 8, 18: „Ego (ait Jesus) sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater"; C. 10, 30: „Ego et Pater unum sumus"; C. 15, 26. vid. supra;

h) Apoc. 1, 4: „Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est (ἀπο ὁ ων, και ὁ ἠν, και ὁ ἐρχομενος)" haud obscure tres personae erui possunt, si ὁ ὠν est = Pater; ὁ ἠν = Filius; ὁ ἐρχομενος = Spiritus s., quippe qui a Christo promissus in Apostolos effusus est Act. 2, 4 et 17. coll. Is. 44, 3; Joel 2, 28. 29.

Systemata eorum, qui a) nullum internum harum personarum discrimen, b) internum quidem, sed non personale externum c) tres hypostases admittunt, historiae dogmaticae inquirenda permittamus; nos recurramus

B) ad *Traditionem* a) ss. patres dilucidissime doctrinam de trinitate exponunt, cum partim has personas denominant, partim rationem earum ad se invicem et unitatem sicque divinitatem probant 1) Justin. apol. 1. (al. 2): „Opificem hujus universitatis colimus — Jesum Christum eundemque, quod ipsius veri et singularis Dei Filium esse edocti secundo loco ac Spiritum propheticum tertio ordine." — 2) Athenag. leg. pro Christian. C. 12: „Deum ejusque Verbum cognoscere optamus, ut, quae-

nam Filii cum Patre sit unio, quae Patris cum Filio communio, quid sit Spiritus, quae trium unio et quae discretio unitorum (τις ή των τοσουτων ένωσις και διαιρεσις ένουμενων), Spiritus scilicet, Filii et Patris intelligamus" cfr. alium ibidem locum. — 3) Theoph. ad Autol. lib. 2: „Tres dies, qui praecessere creationem duorum luminarium, Trinitatis (της τριαδος; en prima vocis: τριας mentio) mysterium repraesentant; videlicet Deum, Verbum, ejusque sapientiam" sub qua voce Theophil. Spiritum s. intelligit. — 4) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 75: „Per hanc igitur ordinationem et hujusmodi convenientiam et talis factus et plasmatus homo secundum imaginem et similitudinem constituitur Dei, Patre quidem bene sentiente, Filio vero ministrante et formante, Spiritu vero nutriente et augente" cfr. lib. 3. C. 24; lib. 4. C. 7. — 5) Tertull. adv. Prax. C. 2: „Quae (oeconomia) unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum s. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiae et unius status et unius potestatis, quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomine Patris et Filii et Spiritus s. deputantur" cfr. 4. — 6) Clem. Alex. paedag. lib. 1. C. 6: „O miraculum mysticum! Unus quidem est universorum Pater; unum est etiam Verbum (λογος) universorum et Spiritus sanctus (το πνευμα το άγιον) unus et ipse est ubique" cfr. strom. lib. 5. C. 14. — 7) Orig. in Exod. hom. 5: „Cum confitearis unum Deum, eademque confessione Patrem et Filium et Spiritum s. asseras unum Deum, quam tortuosum, quam difficile, quam inextricabile videtur hoc esse infidelibus" cfr. in Lev. hom. 5; de princip. lib. 1. C. 3. n. 7. — 8) Cyprian. ad Jubajan.: „Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus s. baptizari gentiles jubentur — ipse Christus gentes baptizare jubet in plena et adunata trinitate" vid. alium locum infra. — 9) Hilar. de trin. lib.

12: „Dona mihi hanc conscientiae meae vocem, ut, quod in regenerationis meae symbolo baptizatus: in Patre et Filio et Spiritu sancto professus, semper obtineam" cfr. comment. in Matth.; de trin. lib. 1; lib. 4. — 10) Athan. epist. ad Serap. episc.: „Spiritu veniente ad nos venient Filius et Pater et mansionem facient in nobis eo, quod individua sit Trinitas unaque hujus Deitas (μια ταυτης θεοτης) et unus Deus super omnia et in omnibus" cfr. ad Serap. spir. s. non esse creatur.: orat. contr. Sabell.; de s. trin. dial. 1; de propr. personis lib. 2. — 11) Basil. de spir. s. C. 18. n. 44: „Unus Deus et Pater, et unus unigenitus Filius et unus Spiritus s." cfr. C. 16; hom. 24. contr. Sabell. C. 5; ep. 8. (al. 141) apol. de secessu ad Caesar. vid. infra. — 12) Cyrill. Hieros. catech. 16. C. 24: „Unus Deus Pater; unus Dominus, unigenitus ejus Filius, unus Spiritus s. paracletus" cfr. C. 4. — 13) Greg. Naz. orat. 6. de spir. s.: „Sic ego sentio de his et tum me sentire velim, tum quemlibet amicum mihi: nimirum ut religiose colam Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum s., tres proprietates, Deitatem unam, gloria, honore, essentia, neque non divisam" cfr. orat. 5. de filio 2; orat. 29: orat. 33. in laudem Heron.; orat. 34. in Aegypt. episc. apuls.; orat. 35. in 150 episc.; orat. 38. in Christi nativ.; orat. 51. vel tract. de fide. — 14) Greg. Nyss. contr. Eunom. lib. 1: Hoc proprium est Trinitati, singulariter enuntiari: unus (εἱς) Pater, unus (εἱς) Filius, unus (ἑν) Spiritus sanctus" cfr. lib. 2; orat. catech. C. 3 et 4; de commun. notion. — 15) Ambros. lib. de dignit. cond. hum. C. 2: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est; non tamen tres Dii sunt, sed unus Deus, tres habens personas" cfr. de spir. s. lib. 1. C. 14; lib. 3. C. 5. integ.; de fide lib. 5. C. 3 et 4. integ.; symbol. apost. C. 5. — 16) Epiphan. ancor.: „Verus itaque Deus Pater, verus Deus Filius, verus Deus Spiritus s.; Spiritus Dei existens et Spiritus veritatis, Trinitas in uno Spiritu numerata" cfr. alia ibidem loca; haer.

57; 65; 74. — 17) Chrysost. de fid. et leg. nat. et spir. sermo.: „Agnoscito divinae trinitatis theologiam Patris et Filii et Spiritus s." cfr. de s. trin. sermo. — 18) Hieron. in Matth. C. 28: „Baptizantur in nomine Patris et Filii et Spiritus s., ut quorum una est divinitas, una sit largitio, nomenque trinitatis, unus Deus" cfr. in Ezech. C. 40; C. 42: in ep. ad Eph. C. 4. — 19) Augustin. ep. 177 ad Pascent.: „Una, ut ita dicam, Deitas et ideo unus Deus, Pater, et Filius et Spiritus s." cfr. ep. 66. ad Maxim.; ep. 174 ad Pascent.; ep. 176 et 222 ad Cosent.; de doctrin. christ. lib. 1. C. 5; de fid. et symb. C. 9; de symb. ad catech. lib. 4. C. 9; serm. de temp. 3; serm. 29; serm. de verbo Dom. serm. 26. — de civ. Dei lib. 10. C. 23; lib. 11. C. 10; C. 24; de trin. lib. 1. C. 6. integr.; lib. 4. C. 21; lib. 5. C. 8; lib. 9. C. 4. 5 et 6. — 20) Cyrill. Alex. lib. apolog.: „Quod sancta trinitas ejusdem sit substantiae, ejusdem roboris, et operationis, non per vestrum didicimus sermonem, sed sumus edocti potius ex sacris scripturis" cfr. contr. Julian. lib. 4; lib. 8; comment. in Evang. Joan. lib. 1. C. 2; thesaur. lib. 12. C. 5; dial. de trinit. lib. 2. — 21) Theodoret. in cant. cant. lib. 3: „Unitas in trinitate, et trinitas in unitate Deus est" cfr. in ep. ad Rom. C. 1; in ep. 1 ad Tim. C. 1.

Hinc doctrina ss. patrum est:

a) in Deitate sunt tres personae Pater, Filius et Spiritus sanctus, quae unum Deum in trinitate constituunt, Justin. Athen. Theophil. Iren. Tertull. Orig. Cyprian. Athan. Basil. Cyrill. Hieros. Greg. Nyss. Ambros. Epiphan. Chrysost. Hieron. August. Theodoret.;

b) quarum quaevis vere Deus est, Greg. Naz. Ambros. Epiphan.;

c) hae tres personae intime inter se conjunctae, Athenag.;

d) ejusdem substantiae, status et potestatis, Tertull. ejusdem roboris et operationis, Cyrill. Alex.; diversae gradu et forma et specie, Tertull.;

e) in nomine earum baptizantur gentes, Cyprian. Hilar.; f) occurrunt quoque sub nomine: Deus, Verbum et Sapientia, Theophil. et Pater, Verbum et Spiritus, Clem. Alex.

Huc referenda sunt ss. martyrum elogia et confessiones, quae clarissimum praebent argumentum, hanc in Trinitatem fidem universaliter innotuisse, et essentialem religionis christianae doctrinam ab origine creditam fuisse.

b) Concilia

1) Bracarens. sub Honor. P. C. 1: „Siquis Patrem et Filium et Spiritum s. non confitetur tres personas, unius substantiae et virtutis ac potestatis, sicut catholica et apostolica ecclesia docet, sed unam tantum ac solitariam dicit esse personam, ita, ut ipse sit Pater, qui Filius; ipse etiam sit Paracletus Spiritus, sicut Sabellius et Priscillianus dixerunt; anathema sit." —

2) Lateran. 4. C. 1: „Pater et Filius et Spiritus sanctus: tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino. Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta per Moysen et prophetas — juxta ordinatissimam dispositionem temporum doctrinam humano generi tribuit salutare m." — Hinc doxologia in ecclesia catholica usitatissima: Gloria Patri, et Filio et Spiritui s.; nec praetereundum symb. Athanas. in quovis breviario ad Primam legendum, quod ab Athanasio ipso confectum non esse videtur, quia α) ante saeculum quint. ignotum β) respicit ad lites Nestorianas et Eutychianas longe post Athanasium exortas; γ) nullus coaequalium illud ipsi tribuit; δ) ecclesia graeca nunquam agnovit Athanasii opus; vulgo Vigilius quidam, Tapsi episcopus, qui plura opera sub nomine ss. patrum edidit, author hujus symboli creditur; nihilominus authori-

tas

tas ejus in ecclesia occidentali symbolo Apostolico et Nicaeno aequalis permansit. Est silentio non praetereundum, quod Binius apud Mansi concil. coll. ampl. tom. 2. pag. 1350 hoc symbolum s. Athanasio assignet.

II. *Argumenta specialia.*

§. 19.

I. Pater, prima Trinitatis persona, verus Deus.

In V. T. etiamsi voces: pater, אב et filius, בן occurrant; amplissimum tamen conceptum in se continent, enuntiantes Patrem κατ' ἐξοχην Israelitarum et Deum ipsorum; gentem autem Israeliticam tanquam filium 2 Reg. 7, 14; Ps. 88, 27; Is. 63, 16; Mal. 1, 6; C. 2, 10; hinc viguit, ut ita dicam, certus quidam particularismus. In N. T. mutavit Jesus hunc Patrem particularem in universalem Matth. 5, 45. 48; ad Rom. 8, 15; ad Eph. 3, 15; 1 Joan. 3, 1. docens, hunc Patrem esse Deum, creatorem omnium Act. 14, 14. et respectu Filii unigeniti in specie Patrem Jesu Christi ad Rom. 15, 6; 2 ad Cor. 11, 31; Apoc. 1, 6; hinc verissime ait Jesus Joan. 10, 30: „Ego et Pater unum sumus" cfr. C. 14, 9. 10. 11; et invocat C. 17, 11: „Pater sancte (πατερ ἁγιε)." Hoc dixisse, sufficiet, cum de divinitate Patris nullum certe obversari possit dubium.

§. 20.

II. Filius, secunda Trinitatis persona, verus Deus.

A) In *N. T.* divinitas Filii ex variis eruitur argumentis et quidem:

I) ex locis, ubi expresse Deus vocatur

1) Joan. 1, 1—19; dignitatem et divinitatem Filii Dei, Jesu Christi, ut probaret Joannes; longe aliam,

probabiliter provocatus, de Filio Dei descriptionem, ac ceteri Evangelistae, adumbravit, quam hic enucleare placeat collatis locis parallelis — vers. 1: „In principio (= in creatione mundi Gen. 1, 1; Eccles. 24, 14; Is. 41, 4; C. 43, 13; aut = ante hujus creationem Joan. 17, 5. 24; aut melius = ab aeterno Ps. 89, 2.) erat Verbum (λογος, personale quiddam = λεγων uti Ps. 108, 4; Ps. 119, 7; Dan. 9, 23.) et Verbum erat apud Deum (προς τον Θεον; in sinu Patris vers. 18; ergo non in שאול) et Deus erat Verbum και Θεος ἠν ὁ λογος; ergo λογος quoad essentiam, non meram similitudinem = Θεος, cum haec similitudo et aliis entibus tribuitur v. g. Ex. 7, 1; Ps. 8, 6; omissio articuli ὁ nil confert ad rem, cum et loca sunt, ubi expresse praefigatur v. g. Joan. 20, 28. de quo infra, et saepe omittatur, ubi de Deo Patre sermo fit v. g. Matth. 4, 4; C. 5, 9; C. 6, 24; C. 12, 28; Joan. 1, 6. 12. 13. 18; 1 ad Thess. 1, 9. [contra Paulus]; insuper quandoque articulus ὁ diis sic dictis λεγουμενοις ϑεοις tribuitur v. g. Act. 7, 43; C. 14, 10; 2 ad Cor. 4, 4; ad Phil. 3, 19.) cfr. C. 8, 58: „Antequam Abraham fieret, ego sum (ἐγω εἰμι)"; C. 7, 5. 24. — vers. 2: „Hoc erat in principio (= ab aeterno) apud Deum (est repetitio)" cfr. C. 10, 30: „Ego et Pater unum sumus" — vers. 3: „Omnia per ipsum (= per vim productivam ejus v. 10.) facta sunt; et sine ipso factum est nihil (idem sensus, a contrario expressus), quod factum est (ergo λογος non potest esse ens creatum)" cfr. C. 5, 19: „Quaecunque ille (Pater) fecerit; haec et Filius similiter facit" — vers. 4: „In ipso vita erat (i. e. fons, origo omnis vitae physicae v. 3; aut moralis = omnis felicitatis) et vita erat lux (= origo omnis intellectus aut religionis 2 ad Cor. 6, 14; inde salus, salvator) hominum" cfr. C. 3, 15: „Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam" v. 16; C. 5, 26; C. 6, 47; C. 14, 6. — vers. 5: „Et lux in tenebris lucet (cfr. Luc. 1, 78. 79.) et tene-

brae (i. e. homines inculti, immorales) eam non comprehenderunt" cfr. C. 3, 19: „Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem"; C. 8, 12; C. 9, 5; C. 12, 35. 46. — vers. 6: „Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes" — vers. 7: „Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine (quod Jesus hoc lumen esset), ut omnes crederent per illum" — vers. 8: „Non erat ille lux (i. e. λογος ipse), sed ut testimonium perhiberet de lumine" — vers. 9: „Erat (scil. λογος) lux vera (i. e. verus hominum doctor illustrissimus), quae illuminat omnem hominem (nonnulli legunt: veniens scil. ἐρχομενον relate ad φως) in hunc mundum" — vers. 10: „In mundo (scil. inter homines) erat et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (i. e. homines eum non creatorem, non lucem, non doctorem, non redemtorem suum agnoverunt)" cfr. C. 16, 28: „Exivi a Patre et veni in mundum" coll. vers. 8 et 9; C. 3, 17; C. 15, 18. coll. v. 22—26. — vers. 11: „In propria (i. e. in terram sibi propriam, opus suum) venit et sui (i. e. homines, tanquam sui, quorum pauci erant) eum non receperunt (versus prior cum aliis verbis)" — vers. 12: „Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus" — vers. 13: „Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri (i. e. non via generationis ordinaria), se ex Deo (i. e. ex superioris Spiritus virtute scil. gratia) nati sunt" — vers. 14: „Et (i. e. scilicet) Verbum (ὁ λογος) caro factum est (non solum in corpore humano carni involutus, sed homo personalis Gen. 6, 12; Is. 40, 5; Matth. 19, 5; C. 24, 22; Act. 2, 17.) et habitavit in nobis (scil. realiter, personaliter, contra Doketismum) et vidimus gloriam ejus (i. e. non solum dignitatem ejus in terra vi doctrinarum et vitae rationis, sed potius gloriam ejus externam, per miracula C. 2, 11; C. 11, 40. per transfigurationem Matth. 17, 1—9;

Marc. 9, 1—8; Luc. 9, 28—33. per resurrectionem) gloriam quasi Unigeniti a Patre (en novum του λογου praedicatum), plenum gratiae et veritatis" — vers. 15: „Joannes testimonium perhibet de ipso et clamat dicens: hic erat, quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat (en confessionem Joannis, του λογον ante incarnationem jam extitisse)" cfr. v. 27: „Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est" et vers. 30. — vers. 16: „Et de plenitudine ejus (i. e. vita, luce et vi divina scil. thesauro donis maximis instructo ad Col. 1, 19; C. 2, 9.) nos omnes accepimus, et gratiam pro (= עַל, super) gratia (i. e. omne bonum, beneficia plane eximia, aut potius reconciliationem cum Deo per ipsum factam)" — vers. 17: „Quia lex per Moysen data est (ad Gal. 4, 1—3; ad Hebr. 7, 19; C. 9, 9. in ceremoniis et ritibus Act. 15, 10; ad Rom. 7, 6); gratia et veritas (i. e. vera spiritualis religio) per Jesum Christum (en declarationem vocis: λογος)" — vers. 18: „Deum nemo vidit (i. e. non moraliter, non physice; uti prophetae veteres eum videre, sed secundum essentiam) unquam: unigenitus (supple autem) Filius, qui est in sinu Patris (cfr. super hac voce Gen. 16, 5; Luc. 16, 22; Joan. 13, 23. i. e. Patris dilectissimus C. 21, 20. et semper apud Patrem existens C. 1, 1. 2; ergo in Filio longe aliter res se habet, ac in Moyse, qui nil nisi שכינאת יהוה videt Ex. 33, 20. 23.), ipse enarravit."

Ex his dictis apparet,

a) του λογον esse ens reale et personale; non abstractum, sed concretum; intellectu et voluntate praeditum v. 1, 11 et 14., quod b) ab initio = ab aeterno aqud Deum fuit et ipse Deus et creator est v. 1. 2. 3. 10; c) omnis vitae origo, et author lucis, sive religionis quoque spiritualis v. 5. 9; d) verus homo factus naturam humanam admittens et inter homines versans. v. 14; e) nomine insignitus illustrissimo: Jesus Christus v. 17;

f) hinc λογος iste homo factus, unigenitus Patris, ens divinum — Deus.

Nunc quaestio inquirenda, cur Joannes Jesum Christum nomine: λογος designaverit, et unde origo nominis istius? Non pauci fuere, qui originem hujus vocis ex V. T. deducerent; sed hanc hypothesin unice validam esse, mihi persuaderi neutiquam potest; nam

a) vox דבר־יהוה est = eloquium Dei Jer. 1, 4: „Factum est verbum Domini ad me" aut periphrasis de Deo Ps. 32, 6: „Verbo Domini (= per Deum) coeli firmati sunt" statimque sequitur: „Spiritu oris ejus omnis virtus eorum"; en v. 9. cfr. 2 Reg. 7, 21. cum 1 Paral. 17, 19;

b) vox: λογος in Sap. 9, 1. 2. et Eccles. 1, 1—6. est = sapientia ἐν προσωπῳ exhibita (personificirte);

c) paraphrasis chaldaica מימרא יהוה est = subjectum ipsum scil. ego, tu, ipse; aut (sic Lightfoot) idem, quod נַפְשִׁי et עַצְמִי, quorum prius saepissime occurrit; id patet ex eo, quod haec dictio non solum ad Jehovah, sed et ad alias personas applicatur v. g. 2 Paral. 16, 3: „Foedus inter me et te" vertit Targum בין מימרי ובין מימרך, inter verbum meum et verbum tuum cfr. C. 23, 16. — Job. 7, 8: „Oculi tui in me" vertit Targum: במימרי, in verbo meo" — Is. 45, 12: „Ego (Targum addit: במימרי, per verbum meum) feci; attamen (sic Schoettgen) interpretes posteriores sub verbo Dei, Messia et Schechinah unam eandemque personam cogitasse quis negabit; hinc tribuunt ei, ut Deo, attributa sublimissima,

α) omnes virtutes divinas Soh. part. 3. fol. 93 ed. Sulzb.: Quemadmodum ille (Deus) est mansuetus; sic Schechinah ejus mansueta (שכינתיה ענִיה); ille gratiosus, haec gratiosa; ille fortis, haec domina super omnes populos mundi; ille veritas, haec similiter; ille propheta, haec prophetissa; ille justus,

haec justa; ille rex, haec regina; ille sapiens, haec sapientia; ille intelligens, haec intelligentia ejus" cfr. Sap. 7, 22. 23; Soh. Gen. fol. 16. part. 3. ed. Amstel. pag. 230;

β) Haec Schechinah est imago Dei et character substantiae ejus omnibus numeris absolutus Soh. part. 3. fol. 93: „Schechinah ejus (Dei), quae est imago ejus (דיוקביה)" cfr. alium ibidem locum et fol. 91. cum Sap. 7, 25. 26.

γ) Non solum κατ' οὐσιαν, sed etiam κατ' ἀριθμον unus cum Deo idemque Soh. Ex. fol. 49: „Schechinah — licet respectu Dei ut corpus est aestimanda, nihilominus ambo sunt unum idemque etc. cfr. Gen. fol. 26.

δ) Est prima creatura Tikkune Sohar fol. 11, 1: „Schechinah inferior (λογος προφορικος) est principium rerum creatarum (ראשית לנבראים)" cfr. Soh. part. 1. fol. 126. et Eccles. 24, 8. 9; hinc cum Deo est rerum causa, causa causarum, causa suprema, per quam causae logicae (αιονες) ortae sunt Soh. Gen. fol. 22; et quae creavit hunc orbem visibilem Targ. Ork. in Deut. 33, 27: „Per verbum ejus (במימרתיה) creatus est mundus" cfr. Targ. Jon. in Is. 48, 13; Targ. Hieros. in Gen. 1, 1 et 3, 22. cum Sap. 9, 1. 9. et Eccles. 24, 3. 5. 6; Soh. chadasch fol. 13, 3: Schechinah, quae totum mundum implet (שכינה שהיא מליאה כל עולם)"; en Dr. Bertholdi Christologiam §. 23 et 24.

d) Dictio: מַלְאַךְ אֱלֹהִים מַלְאַךְ יְהוָה, angelus Domini, angelus Dei Gen. 16, 7. 9. 13; C. 31, 11; Jud. 6, 11. 20. 22 est = Jehovah, El, Elohim, quia post aliquot versus pro voce: angelus Dei, pronuntiatur: Deus, Dominus cfr. Gen. 31, 16; Exod. 3, 2. 4; Jud. 6, 14. 16. 23; attamen occurrunt loca, ubi Jehovah ab angelo satis distincte discernitur v. g. Gen. 22, 11. 15;

Ex. 14, 19; C. 32, 34; C. 33, 2; Num. 20, 16; Jud. 2, 1; hinc non mirandum, si Apostoli et ss. patres hunc angelum Dei de λογῳ interpretati sint, licet ipsi ideam haberent non plane distinctam et perspicuam.

e) Philo saepius de λογῳ loquitur, sed secum ipso dissentit; λογος enim ei est modo νους (intellectus), aut λογος in sensu etymol. scil. verbum, sermo; modo ἀγγελος aut ὑπηρετης του Θεου (ens ante creationem), aut ὀργανον (instrumentum); modo δευτερος Θεου λογος aut Θεος των ἀτελων (Deus imperfectorum), aut μονογενες του Θεου υἱος (unigenitus Dei Filius).

f) λογον Platonis hic invenire, opinio futilis est, cum Joannes Platonis philosophiae studuisse nuspiam legitur.

Sunt et alii, qui dicant, Joannem in scribendo Evangelio suo finem polemicum contra Zabios, Joannis Baptistae discipulos aut Cerinthianos aut Gnosticos habuisse, opinante Irenaeo adv. haer. lib. 3. C. 11; at α) vivo Joanne Cerinthianos aut Gnosticos eo, quo postea, modo extitisse, incertum est; β) Joannis ipse ne minimum quidem de objecto, refutandi has haereses, loquitur; γ) valeat per me licet haec hypothesis; pro primo tantum capite valet; in ceteris capitibus singulae denominationes passim modo occurrunt; δ) consilium Joannis, ut patet ex Evangelio perlegendo, longe aliud fuisse, in ipso fronte ejus conspicitur.

Thema praecipuum est Joan. 20, 31: „Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei (ὁ Χριστος ὁ υἱος του Θεου, cfr. Matth. 14, 33; Joan. 3, 27 et 32. usque ad finem) et ut credentes (cfr. Joan. 1, 12; C. 2, 23; C. 3, 18) vitam habeatis in nomine ejus (cfr. C. 3, 36.)"; en finem Evangelii *principalem et universalem*, qui cum caeteris tribus Evangeliis plane consentit. Joannes divinam Jesu dignitatem extra omnem dubii aleam collocaturus, cum vox: λογος tum tem-

poris Judaeis hellenisticis (scripsit enim Joannes Evangelium suum Ephesi in Asia) haud ignota esse posset iisque, quis sub hoc λογῳ intelligendus esset, Apostolus declarare vellet, praedicata illustrissima non tantum in Evangelio suo, sed et in epistolis suis et in apocalypsi elegit, ut λογος super omnes creaturas (ad Hebr. 1.), quam maxime emineret, et τον λογον sic insignivit, ut divinitas ejus minime dubitari possit, nisi (sic Kistemaker) dicere placeat, vocem: λογος s. Joanni in Pathmo revelatam fuisse Apoc. 19, 11—13. Equidem non negaverim, tunc temporis jam haereses quasdam extitisse v. g. Doketismum, Zabaeismum, Gnosticismi praenuntios, quos Joannes accidentaliter refutandos sibi proposuit, quod apparet ex locis Joan. 1, 1. 14; C. 4, 2. 5; C. 19, 34; sicque modo secundario adesset finis *specialis*, isque partim historicus, partim polemicus.

2) Loca alia, in quibus Jesus dicitur Deus, haec sunt: Joan. 20, 28. 29: Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus (ὁ κυριος μου και ὁ Θεος μου). Dixit ei Jesus: quia vidisti me Thoma credidisti; beati, qui non viderunt et crediderunt"; hanc non solam esse exclamationis formulam, ex eo patet, quod a) Jesus ab Apostolis in variis occasionibus saepe nomine: Dominus designetur vers. 25; C. 21, 17; Act. 1, 6 etc.; b) si esset exclamatio; rectius ω aut sine articulo pronuntiatio facta fuisset; c) Jesus verba Thomae confitentis accipit, dicendo: „quia vidisti, credidisti," quin refutaret confessionem talem ab ipso factam, quae, si falsa, a Jesu minime acceptata fuisset; d) dictio popularis, quae hic semper objicitur, non est probata, sed probanda.

3) Act. 20, 28: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere ecclesiam Dei (του Θεου), quam acquisivit sanguine suo (text. gr. δια του ἰδιου αἱματος, per proprium sanguinem)." a) Vox: του Θεου in pluribus codd. et verss. reperitur

(sic et Griesbach), Cantabr. et Alex. legit κυριου ob vers. 21 et 24; quaedam κυριου και θεου; aliae: χριστου; aliae θεου και χριστου; consequenter interpolatio conjicienda erit et dictio: του Θεου, utpote difficilior et principalior est originaria ac vera; ipsi Christiani vocantur ecclesia Dei 1 ad Cor. 10, 32; 1 ad Tim. 3, 15., quae dictio in s. scriptura valde usitata est; ergo cum hic de Jesu, qui sanguine suo (proprio) ecclesiam acquisivit, sermo fiat, ipse omni jure Deus vocatur.

4) Ad Rom. 9, 4. 5: „Qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium et promissa: quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula (ἐξ ὧν ὁ Χριστος, το κατα σαρκα, ὁ ὢν ἐπι παντον Θεος εὐλογητος εἰς τους αἰωνας)"; quidam hunc versum cum σαρκα, alii cum παντων finiunt et eruunt exinde δοξολογιαν, quia ejusmodi δοξολογιαι in s. Pauli epistolis saepissime occurrunt; at a) Israelitae hic filii Dei adoptivi dicuntur, a patriarchis oriundi, e quibus ortus est Christus; ergo s. Paulus Christum non aliter super omnes Israelitas eminentem dicere potuit, nisi eum Deum super omnia benedictum nuncuparet; b) participium ὁ ὢν cum caeteris verbis ad subjectum antecedens, quod est ὁ Χριστος, referri debet; est enim propositio continua, et si interruptio concedatur, omni sensu caret cfr. 2 ad Cor. 11, 31. ubi οἶδε (scit) et Θεος in unam conveniunt propositionem; c) verum est, vocem: κατα σαρκα idem hic significare, ac vers. 3 et Act. 2, 31; at s. Paulus non solum generationem carnalem, sed praecipue sublimiorem Christi naturam in animo habuit, quam hic hisce verbis: „Deus benedictus in saecula" exprimit; conferatur id, quod idem s. Paulus de Christo ait 1 ad Cor. 15, 27: „Omnia subjecta sunt ei, sine dubio, praeter eum, qui subjecit ei omnia" coll. Act. 10, 36. et ad Eph. 4, 8. 9. 10.

5) Huc referri potest quoad text. graec. locus 1 ad Tim. 3, 15. 16: „Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis et manifeste magnum est pietatis argumentum, quod (text. gr. Θεος) manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria"; Θεος loco ὁ legunt omnia graeca exemplaria, uti et Chrysost. et Theophylact. et alii, quo concesso hoc „assumtum (scil. assumtus Deus) est in gloria" optime explicari potest; facillime enim (sic Schnappinger) Arianus quidam aut alii loco: Θεος articulum ὁ aut ὁς adhibuerunt, ut argumentum quoddam pro divinitate Christi expungeretur; attamen hypothesi hac admissa authoritati Vulgatae nil derogetur.

6) Ad Tit. 2, 13: „Exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et salvatoris nostri Jesu Christi (του μεγαλου Θεου και σωτηρος ἡμων Ἰησου Χριστου)." Verba: magni Dei et s. n. Jesu Christi conjungenda esse, sic argumentandum: a) adest subjectum unum idemque; hinc articulus: του ante vocem σωτηρος non repetitur, quod tamen exspectandum fuisset, nisi propositio connexa adstaret; b) Luc. 9, 26. expresse Jesus de se dicit: „Hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum"; ergo et Jesus in gloria sua apparebit; en locum parallelum 2 ad Thess. 1, 7. 9. 10: „In revelatione Domini Jesu de coelo cum angelis virtutis ejus — poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt"; huic loco convenienter explicari debent loca Matth. 16, 27. et Marc. 8, 38; ergo gloria Filii aequalis est gloriae Patris. c) In s. scriptura nuspiam de adventu (ἐπιφανεια) Patris ad judicium extremum sermo est, sed semper Jesus ali-

quando judex universalis venturus dicitur ad Phil. 1, 6; 1 ad Thess. 4, 14. 16; C. 5, 23. de quibus infra.

7) Ad Hebr. 1, 6. 8. 9. 10: „Et cum (Deus) iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: et adorent eum omnes angeli Dei: — ad Filium autem (dicit): thronus tuus, Deus (Θεος) in saeculum saeculi: — propterea unxit te, Deus (Θεος), Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Et: tu in principio Domine (κυριε) terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli"; cum hic primogenitus bis Deus, semel Dominus vocetur, s. Paulus omnia v. t. loca citata in sensu sublimiori ad Christum retulit et vocem: Deus, in sensu proprio intellexit, eligens et adhibens praedicata ejusmodi, quae Deo soli convenire possunt; de hoc infra plura.

8) 1 Joan. 5, 20: „Et scimus, quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus (ἐν τῳ ἀληθινῳ, ἐν τῳ υἱῳ αὐτου; text. gr. addit: Ἰησου Χριστῳ). Hic est verus Deus et vita aeterna (οὑτος ἐστιν ὁ ἀληθινος Θεος και ζωη αιωνος)." Hic quoque locus pro divinitate Jesu frustra impugnatur; nam a) hoc in loco verus Deus et vita aeterna conjuncta sunt; jam vero (sic Ekermann) praedicatum: vita aeterna, est praedicatum Jesu Christo unice conveniens ac proprium Joan. 1, 4; C. 14, 6; 1 Joan. 1, 2. ergo; b) vera esset tautologia, si verus Deus adhucdum repetatur, cum verss. praecedd. satis et saepe Pater verus Deus dicatur.

II) Divinitas Jesu patet ex locis specialibus, in quibus ei attributa et opera divina tribuuntur et quidem

1) aequalis cum Patre natura a) Joan. 10, 30: „Ego et Pater unum sumus (ἐν ἐσμεν)"; de unitate consilii respectu felicitatis generis humani neutiquam sermo esse potest; nam α) eandem in hoc loco sibi vindicat cum Patre potestatem dicendo v. 28: „Non rapiet eas (oves)

quisquam de manu mea"; consequenter et eandem naturam; β) Judaei quoque intellexerunt de aequali cum Patre i. e. Deo natura, dicentes: vers. 33: „De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum (Θεον)." Jesus verba eorum non refutavit, sed sententiam suam antedictam eo magis confirmavit vers. 38: „Quia Pater in me est et ego in Patre (text. gr. ἐν αὐτῳ, in eo, quod idem)" cfr. C. 12, 45; C. 14, 9; C. 17, 21; ad Col. 2, 9; hinc asseitas ejus Joan. 5, 26.

2) Ad Phil. 2, 5. 6. 7: „Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem (εἰναι ἰσα [plur. neutr. pro sing., rectius Joan. 5, 18.] Θεῳ [ergo non = κατ' ἰσα, ut Paulus vult]); sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens." Interpretes novi intelligunt sub voce: μορφῃ gloriam tantummodo externam, et ἰσα esse = quasi uti Job. 5, 14; C. 10, 10; at quantopere coecutiant, quis non intelligit; nam α) in forma Dei esse = esse aequalem Deo; eaedem dictiones in aliis tantummodo verbis; β) concesso, Jesum hominem factum fuisse, uti verba „seipsum exinanivit, formam servi accipiens" probant; concedi quoque necesse est, in forma Dei esse idem significare, ac ipsum Deum esse cfr. Deut. 4, 12; γ) 2 ad Cor. 4, 4; ad Hebr. 1, 3. Jesus ens reale existens, scil. quoad naturam divinam, non quoad formam describitur; δ) s. Paulus Jesum Deum agnoscens discrimen plane denotat, dicendo, quam magni momenti sit, si Deus formam servi = naturam humanam indueret, seque humiliaret.

3) Aeternitas Joan. 1, 1; C. 8, 58. vide supra; C. 17, 5: „Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te (προ του τον κοσμον εἰναι παρα σοι)" cfr. v. 24. — ad Hebr. 1, 6. 8. 10. cfr. Apoc. 13, 8. hic non est sermo de exis-

tentia proaeonica, sed verba „priusquam mundus esset — ante constitutionem mundi" = ab aeterno denotant; cum eadem dictio ad Deum Patrem adhibetur Ps. 90, 2; ad Eph. 1, 4; 1 Petr. 1, 20. Jesus ait: clarifica me Pater claritate, quam habui, non: quam mihi dare constituisti (legatus quippe prius, quam mitteretur, existere debuit) addens saepius: de coelo se, non de terra venisse Joan. 3, 13, 31; C. 6, 51.

4) Creatio et conservatio mundi

a) Joan. 1, 3: „Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est," vide supra dictum et v. 10, ubi expresse adstat: ὁ κοσμος.

b) Ad Col. 1, 16. 17: „In ipso (Christo Jesu) condita sunt universa (ἐκτισθη τα παντα) in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso (i. e. per ipsum) constant" cfr. 1 ad Cor. 8, 6. de morali mundi restauratione hic dici, ideo negandum est, quia α) Jesus dicitur primogenitus omnis creaturae; non additur: omnis novae creaturae; β) ad quid nomina recitanda: ἀρχαι κ. τ. λ. hae creaturae invisibilis orbis nobilissimae, nisi creatio actualis indicaretur cfr. ad Eph. 1, 10. 21; ad Phil. 2, 10. quum Christo omnia subjecta sint 1 ad Cor. 15, 27; ad Eph. 1, 22. angeli, potestates et virtutes 1 Petr. 3, 22.

c) Ad Hebr. 1, 2. 3: „Per quem (Filium) fecit et saecula (δι' οὗ και τους αἰωνας ἐποιησε): qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae." Filius Dei non est ὀργανον, instrumentum, sed ipse creans et portans cfr. vers. 10; praepositio enim „per" idem in Filio significat ac in Patre ad Rom. 11, 35; ad Hebr. 2, 10. — Vox: Φερων = voci syr. אציר, complecti, aut hebr. נשא in Niphal, regere, guberrare; hinc נשיא,

princeps, gubernator; saecula = mundus cfr. ad Hebr. 11, 3.

5) Omnipotentia

a) Joan. 5, 19. 20. 21: „Quaecunque enim ille (Pater) fecerit, haec et Filius similiter facit — et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat (ὁ υἱος οὓς θελει ζωοποιει)." Non pauci hunc locum de morali vivificatione intelligunt; at haec interpretatio invalida ex his rationibus: α) v. 17. ait Jesus: „Pater meus usque modo operatur (ἐργαζεται), et ego operor (ἐργαζομαι)" scil. quovis sabbatho; quid verbum ἐργαζομαι apud 70: ἐργαζω significet, nemo non grammatice penitus noverit; β) Judaei ob opus in sabbatho peractum interficere Jesum quaerebant vers. 18; nihilo tamen minus ait Jesus: majora opera, quam sanationem languidi hujus videbitis, nempe resuscitationem mortuorum et judicium extremum: quae, quaeso, comparatio cum sanatione infirmi, si resuscitatio moralis intelligenda foret; en loca parallela, quae Jesu sensum magis confirment vers. 28. 29; C. 6, 39. 40; C. 11, 23. 25. 26; ergo Jesus non tantum in sensu morali, sed et in sensu physico recte dicitur vita et est omnipotens; γ) sic et in Apoc. 5, 12. ei omnipotentia tribuitur: „Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem (text. gr. πλουτον, divitias), et sapientiam et fortitudinem, et honorem et gloriam et benedictionem."

b) C. 10, 18: „Nemo tollet eam (animam) a me; sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo, ponendi eam, et potestatem habeo, iterum sumendi eam." Jesus hic loquitur de resurrectione sua, quae actus semper divinus et est et permanet cfr. Act. 2, 24. 32; C. 3, 13. 15. ubi resuscitatio Patri tribuitur. — Eodem Joan. evang. capite vers. 28. ait Jesus de se: „Non

rapiet eas (oves) quisquam de manu meae" id quod enti omnipotenti solum possibile.

c) Ad Phil. 3, 20. 21: „Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia (text. gr. του δυνασθαι αὐτον και ὑποταξαι ἑαυτῳ παντα, posse eum et subjicere sibimet omnia)." In utroque sensu eminet vis, ἐνεργεια, actus divinus, omnia sibi subjiciendi cfr. 1 ad Cor. 15, 24. 25. 27; ad Eph. 1, 10. 22. 23; ad Hebr. 1, 2.

6) Omniscientia

a) Matth. 9, 4: „Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum (plenius id expressum legitur Marc. 2, 8: „Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se" et Luc. 5, 22.) dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris." Cum apud Marc. additum: „spiritu suo, τῳ πνευματι αὐτου" et scientia cogitationum Deo soli attribuitur; Jesus divinitatis suae novum hic argumentum edidit.

b) Joan. 2, 25: „Opus ei (scil. Jesu) non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset de homine (ἐν τῳ ἀνθρωπῳ, in homine)." Propositio haec generaliter pronuntiata est, non in specie aut in exemplo; nam v. 24. dicitur: „quia ipse nosset omnes"; ex quo patet, ad unicum in cap. 3. de Nicodemo exemplum id referri minime posse; dilucidius enim dicitur C. 6, 65: „Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes et quis traditurus eum esset" cfr. C. 13, 11; C. 16, 30.

c) C. 21, 17. Petrus palam profitetur: „Domine, tu omnia nosti (κυριε, συ παντα οἰδας); tu scis, quia amo te"; ex quo patet, Apostolos de omniscientia Jesu, veri Dei, convictos fuisse, cum ad eum sic orent Act. 1, 24: „Tu Domine, qui corda nosti om-

nium (text. gr. καρδιογνωστα παντων, cordium cognitor omnium)."

d) Apoc. 2, 23. Filius Dei his verbis utitur: „Ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua"; super has voces: „scrutans renes et corda"; en loca parallela 1 Reg. 16, 7; Ps. 7, 10; Jer. 17, 9. 10; jam vero omniscientia est attributum divinum, et hisce verbis hoc quoque attributum Christo Deo tribuitur et in eo penitus agnoscitur; ergo.

e) Omniscientia Jesu praecipue elucet ex eo, quod aliquando judex universalis, orbem judicaturus et bonos a malis separaturus, apparebit Matth. 25, 31; Marc. 13, 26; Luc. 21. 27; Joan. 5, 22. 27. 28. 29; Act. 10, 42; 1 ad Thess. 4, 15., ad quod negotium peragendum omniscientia certissime necessaria est; hinc dicitur de ipso 1 ad Cor. 4, 5: „Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium"; 2 ad Thess. 1, 7. 8: „In revelatione Domini Jesu de coelo — dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum."

7) Sanctitas, quae variis verbis exprimitur: a) nec novit, nec fecit Jesus peccatum 2 ad Cor. 5, 21; ad Hebr. 4, 15; 1 Petr. 2, 22; 1 Joan. 3, 5; hinc palam quemvis, provocare potuit dicens: „Quis ex vobis arguet me de peccato" Joan. 8, 46; b) in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter ad Eph. 3, 16. 19; ad Col. 2, 9; c) dicitur sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus ad Hebr. 7, 26; 1 Joan. 3, 3; agnus immaculatus, incontaminatus 1 Petr. 1, 19.

III) Adoratio divina secundum literas sacras Jesu exhibenda est, quod certe argumentum divinitatis esse debet, cum nemo nisi Deus adorandus expresse dicitur Deut. 6, 13; C. 10, 20; Matth. 4, 10.

1) Hoc

1) Hoc est effatum Jesu Joan. 5, 23: „Ut omnes honorificent (τιμωσι) Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat (μη τιμων) Filium, non honorificat Patrem, qui misit Filium"; cum antea sermo fuit de resuscitatione mortuorum, quae est actus vere divinus; cum Jesus, se unum cum Patre esse Joan. 10, 30. satis distincte effatur et hic de insigni quadam Filium inter et Patrem relatione praedicatur, hicce honor, haecce veneratio non potest non esse divina; praeterea particula: καθως, in hoc casu (sic Eckermann) non interpretanda est per „aeque, sicut"; sed per „aeque tam, quam." Huc quoque referri potest provocatio a Jesu facta, qua in nomine ejus aeque, ac in nomine Patris et Spiritus s. baptizetur.

2) Apostoli ipsi venerationem Jesu divinam agnoscunt et partim exhibent exemplo, partim urgent mandato et quidem

a) exemplo; orant ad eum Act. 1, 24; commendant animam suam et curas suas Act. 7, 58. 59; 2 ad Cor. 12, 7. 8. 9; jurant per eum ad Rom. 9, 1; 1 ad Tim. 5, 21; confidunt ei, ejusque tutelae ac voluntati omnia tradentes Act. 14, 22; 1 ad Cor. 16, 7; 1 ad Thess. 3, 11. 12; 2 ad Tim. 4, 17. 18; ei placere unice student 2 ad Cor. 5, 8. 9; flagitant ab eo, sicut a Patre pacem et benedictionem ad Rom. 1, 7; 1 ad Cor. 1, 3; 2 ad Cor. 1, 2; ad Gal. 1, 3; ad Eph. 1, 2; ad Phil. 1, 2 etc., quae omnia, si in nomine ejus petant, impetrabunt Joan. 15, 7. 16; C. 16, 23; invocant nomen ejus in miraculis patrandis Act. 3, 6. 7; C. 4, 10., quid „invocare, nomen" significet vid. 3 Reg. 18, 24. 25. 26; 4 Reg. 5, 11; Ps. 78, 6; Ps. 79, 19; Ps. 98, 6; Ps. 114, 4; Is. 64, 7; C. 65, 1; Thren. 3, 55; Joel 2, 32; Soph. 3, 9; ad Rom. 10, 13. 14; 1 ad Cor. 1, 2;

b) mandato; ad Phil. 2, 9. 10. 11: „Propterea quod et Deus exaltavit illum et donavit ei nomen, quod est

super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria (εἰς δόξαν, in gloriam) est Dei Patris" cfr. Is. 45, 23; ad Rom. 14, 11; ad Hebr. 1, 6. Haec veneratio non solum praemium consummati per Jesum redemtionis operis habenda, sed potius quidquam personae ejus conveniens, cum Joan. 17, 5 et 24. eam claritatem jam ante mundi constitutionem habuit, et, antequam Abraham fieret, fuit Joan. 8, 58; praeterea genuflectere esse adorationis et venerationis signum, quis tam ignarus scripturarum sacrarum existet?

Divinitati Jesu non derogare possunt loca sequentia:

a) Matth. 20, 23: „Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est, meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo"; idquod indicat, quod Jesus, qui cum Patre unum est, contra ejus consilia neutiquam agere possit cfr. Joan. 5, 19; Deitas enim sibi ipsi contraria esse nequit.

b) C. 28, 18: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra"; cum hic Christus spectari debet ut mediator Deum inter et homines, ceteroquin non data est ei potestas in sensu proprio, sed eam jam ante mundi constitutionem habuit.

c) Marc. 10, 18: „Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus" cfr. Matth. 19, 17; Luc. 18, 19; omissis variis in Matthaeo lectionibus breviter hic admonendum, Filium non aliter loqui potuisse; nam Filius Dei, licet unum cum Patre, non est, quatenus Filius in sensu proprio spectatur, Bonum originarium; consequenter Jesus discipulo interroganti rectissime respondit.

d) C. 13, 32: „De die autem vel hora (extremi judicii) nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater." Nonnulli ss. patres hunc versum ab Arianis

corruptum contendunt v. g. Ambros. de fide lib. 5. C. 7; Hieron. in C. 24. Matth.; Augustin etc.; at nulla adest probatio, cum haec verba in verss. arab. syr. et lat. et in omnibus exemplaribus graecis reperitur Iren. adv. haer. lib. 2. C. 48, 49; Basil. ad Amphiloch.; non negandum, in hoc loco versari intelligendi difficultatem, cum ratio Filii ad angelos longe alia est; quidquod concesso, hic de Jesu ceu legato sermonem esse, difficultas non evanescit, cum Jesus in aliis locis omniscius demonstretur; fatendum igitur potius est, nos latere et latere oportere, in quantum influxus naturae divinae inhumanam et in omnes et singulas Jesu vires humanas se extendat.

e) Joan. 14, 28; „Pater (text. gr. ὁ πατηρ μου, Pater meus) major me est"; vox: μειζων est de humanitate Christi sumenda cfr. C. 13, 16. et edicit eum, quem Pater in coelo habet, statum; hinc antea effatur Jesus: „Si diligeretis me, gauderetis utique, quia (text. gr. addit: εἰπον, dixi) vado ad Patrem," ubi in eodem, quo hic, statu reponeretur.

f) C. 17, 3: „Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum"; particula „solum" Filium non excludit a Deitate, sed tantum creaturas, idola, uti ex v. 2. patet, ubi omnis caro Filio subjicitur.

g) Eod. cap. vers. 21, 22. 23. orat Christus: „Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint — ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me"; versus hi unitatem discipulorum Jesu inter se aequalem illi Filii cum Patre enuntiare videntur; at re bene intellecta dubium evanescit; in primo casu unitatem tantum moralem intelligi, nemo non videt; in secundo vero casu respectu unitatis Filii cum Patre unitas sublimior quoad naturam et essentiam intelligitur;

en Matth. 5, 48., ubi perfectio hominum in sensu morali, non in physico uti in Deo, accipi debet.

h) 1 ad Cor. 15, 28: „Cum subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit, Deus omnia in omnibus"; est hic sermo de externa relatione Messiae et Filii ad Patrem, quia finito judicio extremo omne peccatum cessat et functione mediatoris Deum inter et homines non amplius est opus.

i) Ad Eph. 4, 6: „Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis" cfr. ad Rom. 16, 27; 1 ad Cor. 8, 6. idipsum docetur, quod supra docebatur, unum esse Deum, sed trinum in personis, num hic Filius et Spiritus s. sunt exclusi? Caetera, quae objici possunt, facile sunt solvenda.

Ex his dictis oritur relatio quaedam Filii ad Patrem, quin ex eadem dependentia sequatur.

1) Filius semper cum Patre fuit Joan. 17, 5. 24; hinc generatio illius est aeterna.

2) Is tantum, et non alius, vidit Patrem Joan. 1, 18; C. 6, 46.

3) Est unus idemque cum Patre Joan. 10, 25. 30. 31. 37. 38; C. 14, 7—12; C. 17, 19—24; hinc generatio Filii ex essentia Patris.

4) Omnia ei subjecta et tradita sunt a Patre Matth. 11, 27; C. 28, 18; Joan. 3, 35; C. 5, 20. 21. 22. 26. 27; C. 13, 3; C. 16, 15; C. 17, 10; 1 ad Cor. 15, 27.

5) Distinctus est a Patre et Spiritu s. Matth. 28, 19.

B) Ex *traditione* divinitas Christi solidis probari potest argumentis

a) ss. patres ante — et postnicaeni 1) Clem. Rom. 2 ad Cor. (quae epistola a pluribus scriptoribus authentica habetur) C. 1: „Fratres, ita sentire nos oportet de Jesu Christo, tanquam de Deo (ὡς περι Θεου), tanquam de judice vivorum et mortuorum" cfr. C. 9. et ep. 1 ad

Cor. commentatur in ep. ad Hebr. 1. — 2) Ignat. ad Smyrn. C. 1: „Glorifico Jesum Christum Deum (Ἰησουν Χριστον τον Θεον) nostrum, qui per se ipsum nos tantum illuminavit" cfr. C. 10; ad Rom. C. 1; ad Eph. C. 1 et 15; ad Magnes. C. 6; ad Polycarp. C. 3 et 8. — 3) Polycarp. ad Phil. C. 6: „Ante conspectum oculorum Domini et Dei sumus et omnes oportet nos adstare ante tribunal Christi" cfr. ep. encycl. eccl. Smyrn. — 4) Justin. apol. 1. (al. 2.): „Prima autem virtus secundum Patrem et Dominum Deum et Filius, Verbum est (και υἱος, ὁ λογος ἐστι) — qui cum Verbum, Primogenitus Deì sit, Deus etiam est (λογος πρωτοτοκος ὢν του Θεου και Θεος ὑπαρχει)" — apol. 2. (al. 1.): „Ineffabilis Dei Verbum secundum Deum et adoramus et complectimur" cfr. dial. c. Tryph. — 5) Tatian. orat. ad Graec. C. 7: „Nunc manifestius (religionis) nostrae arcana pandam. Deus erat in principio, principium autem Verbi potentiam esse accepimus — Et Verbum non inaniter prolatum primogenitum opus fit Spiritus (του πνευματος; editio melior: του πατρος); hoc scimus esse principium mundi (του κοσμου την ἀρχην)" cfr. C. 8. — 6) Athenag. legat. pro Christian.: „Agnoscimus autem et Filium Dei — Nec est, quod aliquis ridiculum putet, Filium esse Deum. — Filius Dei est Verbum Patris in idea et efficacia (ἐν ἰδεᾳ και ἐνεργειᾳ); ab ipso enim et per ipsum facta sunt omnia, quum Pater et Filius unum sunt (ἑνος ὀντος), ita, ut Filius sit in Patre et Pater in Filio per unionem et potentiam Spiritus" cfr. alium ibidem locum. — 7) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Hoc Verbo usus est (Deus) in mundi creatione et omnia per ipsum fecit. Hic principium dicitur (οὑτος λεγεται ἀρχη), qui omnium est principium, dominaturque omnium, quae per ipsum facta sunt" — alio loco: „Deus itaque existens Verbum et ex Deo progenitus (Θεος οὐν ὢν ὁ λογος και ἐκ Θεου πεφυκως), quando vult Pater universorum, mittit id (Verbum) ad aliquem locum." — 8) Iren. adv.

haer. lib. 3. C. 21: „Nemo in totum ex filiis Adae Deus appellatur secundum eum, ut Dominus nominatur, ex scripturis demonstravimus, quoniam ipse proprie praeter omnes — Deus et Dominus, et rex aeternus, et unigenitus et verbum incarnatum, praedicatum et a prophetis et Apostolis et ab ipso Spiritu adest videre omnibus" cfr. C. 6 et 18; lib. 4. C. 37. — 9) Tertull. apol. C. 21: „Hunc (scil. λογον) a Deo prolatum didicimus — et idcirco Filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiae; nam et Deus Spiritus — ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius et unus ambo; ita de spiritu spiritus et de Deo Deus" cfr. de anima C. 41; adv. Prax. C. 8 et 13; C. 15—22. commentatur in Joan. 1, 1. — 10) Clem. Alex. cohort. ad gent. C. 10: „Nec enim tam exiguo temporis spatio opus absque divina providentia perfecit Dominus, qui specie tenus despectus, reipsa, adoratus est (προσκυνουμενος), expiator, servator, mansuetus, divinum Verbum (ὁ θειος λογος), verus sine controversia Deus (ὁ φανερωτατος ὀντως Θεος), cum Domino totius universitatis adaequatur, quoniam ejus Filius erat et Verbum erat in Deo (ὁ λογος ἠν τῳ Θεῳ)" cfr, C. 1; — Strom. lib. 5. C. 1: „Logos Patris universorum — etiam omnipotens potestas et vere divina (δυναμις τε παντοκρατης και τῳ ὀντι θεια), — voluntas omnia continens sua omnipotentia" cfr. lib. 6. C. 7; lib. 7. C. 2; paedag. lib. 1. C. 2., ubi commentatur in Is. 9, 6; C. 7; lib. 3. C. 12. — 11) Orig. contr. Cels. lib. 2. n. 68: „Jesus — natura Deus erat (ὡς ἐν τῃ θεωτερᾳ φυσει)" — de princip. lib. 1. C. 2. n. 10: „Ut autem unam et eandem omnipotentiam Patris ac Filii esse cognoscas, sicut unus atque idem est cum Patre Deus et Dominus, audi hoc modo Joannem. — Et sicut nemo debet offendi, cum Deus sit Pater, quod etiam salvator est Deus; ita et cum omnipotens dicitur Pater, etiam nullus debet offendi, quod etiam Filius Dei omnipotens dicitur" cfr. Jer. hom. 19; contr. Cels. lib. 2. n. 26. 31 et 76; lib. 3. n. 41 et 62;

lib. 4. n. 99; lib. 5. n. 4 et 51; lib. 6. n. 68. 69 et 71; lib. 7. n. 49 et 57; lib. 8. n. 39 et 75. — 12) Cyprian. de idol. vanit.: „Deus semper cum homine miscetur; hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum hominem induit" adv. Jud. lib. 2. C. 1. usque ad 11. — 13) Arnob. contr. gent. lib. 1: „Deus ille sublimis erat, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis et ab omnium principe Deus sospitator est missus" cfr. lib. 2. — 14) Lactant. instit. div. lib. 4. C. 29: „Cum dicimus Deum Patrum et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni." — 15) Euseb. demonstr. evang. lib. 4. C. 3: „Quae ad propositam a nobis theologiam pertinent, — docent esse Filium, qui genitus sit, — qui sit ante tempora aeterna (*προ χρονων αἰωνιων ὀντα*), atque anteeat, et tanquam Filius unacum Patre semper degat, neque vero qui non sit genitus, sed ex Patre non genito genitus, qui unicus sit, qui Verbum, qui Deus de Deo (*λογον και Θεον ἐκ Θεου*)" cfr. lib. 3. C. 6; — lib. 4. C. 15; de theol. eccles. lib. 1. C. 10. — 16) Hilar. de trin. lib. 4: „Adorandus ergo a Dei filiis Deus est, sed Deus, qui et Filius Dei est; honorificandus autem a Dei angelis Deus est, sed Deus, qui Dei angelus est, qui de rubo apparuit Dei angelus Deus" — lib. 5: „Non est itaque Dei Filius Deus falsus, nec Deus adoptivus, nec Deus nuncupativus, sed Deus verus — Deus enim est, per quem facta sunt omnia" — ibidem: „Adime Filio, quod judex est, ut auferas, quod Deus verus est" cfr. lib. 3; lib. 6; lib. 7. lib. 11. — 17) Athan. de divin. Christ.: „Filius — inalteribilis est, et immutabilis ut Pater." — 18) Basil. hom. 15. de fide C. 2: „Filius ex Patre genitus, vivens Verbum, Deus existens (*ὁ ζων λογος, ὁ Θεος ὠν*) et existens apud Deum: existens, non adventitius; existens ante saecula, non postea acquisitus; Filius, non possessio; opifex, non opificium; creator, non creatura; omnis ex-

istens, quaecunque est Pater, Filius, inquam et Pater, observa mihi has proprietates" cfr. hom. 16. integram in illud: in principio erat verbum et hom. 24. integr. contr. Sabellian.; de spir. s. C. 8. n. 17. — 19) Cyrill. Hieros. catech. 11. C. 17: „Deus igitur verus est Filius (Θεος τοινυν ἀληθινος υἱος), habens in se ipse Patrem, non in Patrem mutatus. — Unus Pater per unum Filium adoretur, neque dividatur adoratio" cfr. catech. 4. C. 7 et 8; catech. 11. C. 4; C. 9; C. 14. usque ad 17; C. 20. — 20) Greg. Naz. orat. 51. vel tract. de fide: „Est ergo Deus Pater immensus, aeternus, incomprehensibilis, inaestimabilis; est et Filius Dei et Dominus noster, tantus, quantus et Pater" cfr. orat. 15. ad patrem et Basil. — 21) Greg. Nyss. contr. Eunom. orat. 2: „Operationis est sigillum ille, qui est in principio Verbum Deus (λογος Θεος), et qui in aeternitate principii eorum, quae sunt, inspicitur, unigenitus Deus (ὁ μονογενης Θεος), qui est in sinibus Patris, qui fert universa verbo suae virtutis, qui factus est saeculorum, ex quo omnia et per quem omnia" cfr. orat. 5 et 11; orat. catech. C. 12. — 22) Ambros. in Ps. 43: „Qui negant Christum coaeternum Patri, videant, qui Deum negant, cujus est semper esse ac aliquando non fuisse" cfr. in Ps. 39; de fide lib. 1. C. 5; lib. 2. C. 1. 2 et 3; prooem. in Evang. Luc.; lib. 7. in Luc.; de incarnat. C. 3 et 5. — 23) Chrysost. in Marc. hom. 1: „Fuit Joannes in deserto baptizans et praedicans. Joannes fuit, Deus noster erat; quod fuit, esse desinit: quod fuit, antequam esset, non fuit; caeterum, qui erat, ante erat, et semper erat et erit, non habet aliquando principium; ergo de Joanne Baptista dicitur: fuit, de Domino autem salvatore: erat, ubi dicitur erat, nullum habet initium" cfr. in Psalmos; in Joan. hom. 2. in C. 1. — 24) Hieron. in Jerem. C. 20: „Jesus sciens cogitationes hominum non ex profectu, ut quidam putant, sed natura Deus est" cfr. comment. in 1 ad Cor. C. 10; ad Marcell. ep. 148. — 25) Augustin.

de symb. ad catech. lib. 2. C. 4: „Deus est Pater, Deus est, et Filius" cfr. tract. in Evang. Joan. C. 1. — confess. lib. 7. C. 18. — 26) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 11. C. 10: „(Christus) Deus verus est, ineffabili virtute omnia replens" cfr. lib. 1. C. 15; lib. 2. C. 51; de rect. fide ad regin.; contr. Julian. lib. 10; thesaur. lib. 12. integr., ubi ostendit ex epistolis Pauli, Petri et Joannis ejusque Evangelio, Deum esse Christum. — 27) Theodoret. in Jerem. C. 10: „Dei proprium est creare; non ab alio creari; ideoque si Filius est creatus, non est Deus; sin universorum est opifex et conditor, revera Deus est" cfr. in Ps. 2; de cur. graec. affect. lib. 6. de provid. — 28) Dionys. Rom. ap. Athan. ep. de decret. Nic. syn. n. 26. (Mansi tom. 1. pag. 1013. n. 26.): „Si Christus Verbum, sapientia et virtus est (haec [ταυτα] enim Christum esse divinae docent literae, ut ipsi nostis); haec sane virtutes Dei sunt (ταυτα δε δυναμεις οὐσαι του Θεου τυγχανουσιν). Quocirca si factus est Filius; fuit tempus, quando haec non erant; adeoque fuit tempus, quo sine his erat Deus: quod perabsurdum est." — 29) Gregor. M. in Ezech. lib. 1. hom. 8. n. 3: „Christus Deus est super omnia, qui naturaliter Deus" cfr. lib. 2. hom. 3. n. 7; in Evang. lib. 1. hom. 16. n. 4; epp. lib. 11. ep. 67. ad Quiricium episc.

Summa omnium horum locorum est:

a) ss. patres Jesum Christum Dei Filium vocant Verbum, Deum verum, Clem. Rom. Ignat. Polycarp. Justin. Athenag. Theophil. Iren. Tertull. Clem. Alex. Orig. Cyprian. Arnob. Lactant. Euseb. Hilar. Basil. Cyril. Hieros. Greg. Nyss. Chrysost. Hieron. Augustin. Cyrill. Alex. Theodoret. Dionys. Rom. Greg. M.;

b) qui genitus a Patre, Tatian. Tertull. Euseb. Basil., cum eo unum est Athenag. Cyrill. Hieros. et intime

connexus, Greg. Nyss.; hinc neuter secernendus, Lactant. Euseb.;

c) tribuunt Filio divina attributa: α) aeternitatem, Iren. Euseb. Basil. Greg. Naz. Ambros. Chrysost. Dionys. Rom. et immutabilitatem Athan.; et immensitatem Greg. Naz.; β) omnipotentiam Clem. Alex. Orig. Greg. Nyss. Cyrill. Alex. et creationem universi Tatian. Theophil. Athenag. Hilar. Basil. Greg. Nyss. Theodoret.; γ) omniscientiam Hieron. vi cujus judex universalis apparebit Clem. Rom. Hilar.;

d) eum adorandum praedicant Polycarp. Justin. Clem. Alem. Hilar. Cyrill. Hieros.

Sunt aliqui ss. patres, qui in emanationis theoriam inciderint: at hoc explicandi genere ad id tantum consilii usi sunt, ut generationem et procreationem Filii a Patre modo facili et captui humano apto, licet sensuali, explicare et interpretari possent; hinc non verbis singulis, sed rei ipsi inhaerendum.

b) Concilia 1) Nicaen. 1. in symb.: „Credimus — in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, ex Patre natum, unigenitum, id est, ex substantia (ἐκ της οὐσιας) Patris, Deum ex Deo (Θεον ἐκ Θεου), lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero (Θεον ἀληθινον ἐκ του Θεου ἀληθινου), natum non factum, consubstantialem (ὁμοουσιον) Patri, per quem omnia facta sunt et quae in coelo et quae in terra.“ In hoc symbolo primum occurrunt voces: οὐσια, essentia, substantia, ὑποστασις, apud Latinos persona, subsistentia; et ὁμοουσιος, consubstantialis, distinctum, ab ὁμοιουσιος, consimilis, coaequalis, de quibus in historia dogmatum erit tractandum. — 2) Constantinop. 1. in symb. fidei idem dicit et addit: „Ante omnia saecula“ et „qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis“; econtra omittit: „Ex essentia Patris.“ —

§. 21.

III. Spiritus sanctus, tertia Trinitatis persona, verus Deus.

Vox: רוּחַ, spiritus in V. T. varias habet significationes, et quidem significatur sub hac voce

a) ventus Gen. 3, 8; C. 8, 1; Ex. 10, 13. 19; Job. 1, 19; Jer. 49, 36; inde vanitas quasi ventus:

b) spiratio, spiraculum Gen. 2, 7; Job. 7, 7; C. 17, 1; C. 19, 17; C. 33, 4; C. 34, 14; Ps. 32, 6; Ps. 103, 29. 30. Is. 11, 4;

c) anima נֶפֶשׁ Jud. 15, 19; 1 Reg. 30, 12; Job. 10, 12;

d) animus, anima sensitiva Gen. 41, 8. secundum text. orig. Prov. 17, 22; C. 18, 14;

e) occurrit quoque רוּחַ אֱלֹהִים, יְהוָה, spiritus Dei, Domini, quin hac voce hypostasis quaedam singularis denotetur; nam est α) vel vis Dei singularis, extraordinaria Is. 40, 13., aut idem ac Jehovah Ps. 138, 7; Agg. 2, 6; β) vel praecipuae animi dotes v. g. perspicacia et dexteritas eximia Gen. 41, 38; Ex. 31, 3; Jud. 3. 10; Is. 11, 2; ἐνεργεια, vigor et vis extraordinaria Jud. 3, 10; C. 6, 34; C. 14, 6. 19; C. 15, 14; ecstasis aut divinationis donum in prophetis Num. 24, 2; 1 Reg. 10, 6. 10; C. 19, 20; Is. 48. 16; C. 61, 1;

f) sic et occurrit רוּחַ קֹדֶשׁ, spiritus sanctus i. e. sensus cordis sincerus et pius, moralitas, pietas, aut subsidium divinum Num. 14, 24; Ps. 50, 13; praesertim Sap. 9, 17.

In N. T. saepissime vox: πνευμα, spiritus variis gaudet declarationibus et quidem indicatur

a) ventus, aër Joan. 3, 8;

b) spiratio 2 ad Thess. 2, 8;

c) vita Matth. 27, 50; Luc. 8, 55; C. 23, 46; Joan. 19, 30; Apoc. 13, 15;

d) animus, anima, id, quod in nobis cogitat (intellectus = νους), sentit, vult et petit Matth. 26, 41; Luc. 1, 80; Act. 7, 58; C. 18, 25; ad Rom. 1, 9; Jac. 2, 26; contrarium est spectrum, phantasma Luc. 24, 37. 39.

e) pietas, sensus pius ac rectus Luc. 9, 55; 1 ad Cor. 4, 21; ad Gal. 6, 1; ad Eph. 4, 3; 2 ad Tim. 1, 14; oppositus carni ad Rom. 8, 1; ad Gal. 3, 3; C. 5, 16; C. 6, 8; hinc religio christiana vocatur religio spiritualis et libera ad Rom. 7, 6; 2 ad Cor. 3, 8;

f) eximiae animi dotes, dona miraculorum sic dicta Act. 8, 17; ad Gal. 3, 5;

g) spiritualis Dei natura Joan. 4, 24;

h) Spiritus sanctus, Spiritus Dei πνευμα αγιον, πνευμα του Θεου α) eximium quiddam et insigne Deo dignum, sive donum propheticum sive gratia et subsidium supernum Luc. 1, 15; Act. 10, 38; β) ecstasis sancta Luc. 1, 41. 47; Act. 7, 55; γ) ἐνεργεια, vis efficacia Dei spiritualis Matth. 12, 28; Luc. 1, 35; δ) singularis et specialis quaedam hypostasis, tertia Trinitatis persona, quae vocatur Spiritus sanctus, το πνευμα το αγιον; de quo hic sermo.

A) In *N. T.* haec doctrina sic explicatur:

I) Spiritus sanctus non est attributum, sed ens intellectu et voluntate praeditum, id est, persona a Patre et Filio distincta

1) Matth. 28, 19. juxta Patrem et Filium de Spiritu s. mentio fit: „Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti"; jam vero Pater et Filius vere sunt personae, inter se distinctae; ergo et Spiritus s. est persona a Patre et Filio distincta; nam quod in nomine alicujus fieri di-

citur Marc. 16, 17; Luc. 24, 47; Joan. 5, 43; Act. 3, 6; non ad attributum, sed ad personam respicit; hinc omni fundamento caret, si de Spiritu s., quin persona sit, mentio fiat, conferatur id, quod Act. 19, 2. 3. de Spiritu s. dicitur.

2) In Evangelio Joannis Jesu de Spiritu s. idem praedicat et edicit, quod de se in aliis locis parallelis a) Joan. 14, 16. 17: „Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum (παρακλητον) dabit vobis, ut manet vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis (το πνευμα της ἀληθειας), quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum" cfr. id, quod Jesus de se ait C. 18, 37: „Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati" et C. 1, 10: „Mundus eum non cognovit" — b) C. 14, 26: „Paraclitus autem Spiritus sanctus (το πνευμα το ἁγιον) quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia" cfr. quod Jesus de se effatur C. 6, 46: „Qui est a Deo, hic vidit Patrem." — c) C. 15, 26: „Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me" cfr. Jesu de se effatum C. 8, 42: „Ego enim ex Deo processi et veni, neque enim a me ipso veni, sed ille me misit." — d) C. 16, 7: „Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos"; idem Jesus de se ait C. 18, 37. — e) C. 16, 13. 14: „Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquitur a semetipso, sed, quaecunque audiet, loquetur: — ille me clarificabit, quia de meo accipiet (ὁτι ἐκ του ἐμου ληψεται) et annuntiabit vobis"; sic et Jesus dicit C. 12, 49: „Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater" et C. 15, 15: „Quia

omnia, quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis"; jam vero Jesus huic Spiritui ea, quae personae tantum conveniunt, praedicata tribuit, eumque ens sibi analogum, alium paraclitum et doctorem describit; ergo Spiritus s. non potest non esse persona.

3) 1 ad Cor. 12, 4. 5. 6. 11: „Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus. — Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus (το ἑν και αὐτο πνευμα), dividens singulis, prout vult; jam vero Spiritus, Dominus, Deus in una serie parallela concurrunt et sunt tria subjecta inter se distincta, quae operantur, et distribuunt; ergo Spiritus s. non est attributum.

4) Idem dici potest de locis sequentibus: a) 2 ad Cor. 13, 13: „Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio s. Spiritus (του ἁγιου πνευματος) sit cum omnibus vobis." — b) 2 ad Thess. 2, 12. 13: „Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis — quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificationem Spiritus (πνευματος), — in qua et vos vocavit per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriae Domini nostri Jesu Christi." — c) 1 Petr. 1, 2: „Secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi"; ad quid haec graduum series et denominatio trium Subjectorum, nisi realiter existant; hinc etiam Spiritus s. contristari (λυπεισθαι) dicitur ad Eph. 4, 30: „Nolite contristari Spiritum sanctum Dei (μη λυπειτε το πνευμα το ἁγιον του Θεου)."

5) Ex visionibus Spiritus externis et symbolicis concludi et potest, et debet, hunc spiritum esse ens

quoddam reale, vim et efficaciam singularem in iis, quos afficit, producens; sic legitur a) Matth. 3, 16: „Et vidit Spiritum Dei (το πνευμα του Θεου) descendentem sicut columbam et venientem super se" cfr. Marc. 1, 10; Luc. 3, 22; Joan. 1, 32. 33; exinde apparet; non fuisse visionem internam, sed factum reale, in figura visibili, ὡσει περιστερα, sicut columba; hinc omnibus hypothesibus prolatis demum fatendum erit, ens reale et efficiens, sub tegumento omnibus praesentibus apparens, hoc in loco intelligi; b) alia visio est in Act. 2, 3. 4: „Et apparuerunt illis dispertitae linguae, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu sancto (πνευματος ἁγιου)" cfr. C. 19, 1—8. Spiritus in forma ignea Apostolis apparens (ὠφθησαν αὐτοις — ὡσει πυρος) efficaciam suam visibili modo ostendit, sicque Apostoli de reali et vero spiritu s., quem magister eorum promiserat, certissime convicti fuerunt.

Vocem: spiritus non ubique hypostasin quandam et personam innuere, supra jam dictum prostat.

II) Spiritus s. est Spiritus Patris et Filii et verus Deus

1) Spiritus Patris dicitur, quia a Patre procedit Joan. 15, 26. cfr. Matth. 10, 20.

2) Spiritus Filii, quia a Filio simul mittitur Joan. 16, 7. cfr. ad Gal. 4, 6.

3) Spiritus s. verus est Deus, quia hoc nomine insignitur eique attributa et opera divina tribuuntur

a) Spiritus s. expresse Deus vocatur Act. 5, 3. 4: „Dixit Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto (το πνευμα το ἁγιον) et fraudare de pretio agri? — Non es mentitus hominibus, sed Deo (τῳ Θεῳ)"; hic mentiri Spiritui sancto = mentiri Deo; ergo Petrus non tam Spiri-

tum in se habitantem, quam Spiritum sanctum a Filio promissum et credentium coetui invigilantem intellexit. — 1 ad Cor. 3, 16: „Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei (το πνευμα του Θεου) habitat in vobis!"; Spiritus Dei habitans in vobis = Spiritus operans haec omnia 1 ad Cor. 12, 11; ergo Spiritus Dei cum Deo unum idemque.

b) Tribuitur Spiritui s. omniscientia Joan. 16, 13: „Et quae ventura sunt (τα ἐρχομενα), annuntiabit vobis" cfr. 1 Petr. 1, 12 et 2 Petr. 1, 21. — 1 ad Cor. 2, 10, 11: „Spiritus (το πνευμα) — omnia scrutatur, etiam profunda Dei (τα βαθη του Θεου) — et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei (το πνευμα του Θεου)"; hinc revelationes per prophetas V. T. factae ei jam adscribuntur 2 Petr. 1, 21: „Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines" cfr. Act. 1, 16; C. 2, 17. cum Joel 2, 28. 29;

c) omnipotentia, quae modo extraordinario et efficaci sese exserit 1 ad Cor. 12, 4—7. vid. supra; verss. 7—12: „Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum (δια του πνευματος) datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae (cfr. C. 13, 2.) secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum (donum miraculorum), alii prophetia (donum prophetandi aut scripta prophetarum interpretandi), alii discretio spirituum (quinam scil. sint vere πνευματικοι, an non), alii genera linguarum (donum variis loquendi linguis), alii interpretatio sermonum (donum, in lingua incognita prolatum interpretandi). Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult" cfr. ad Hebr. 2, 4;

d) sancti-

d) sanctificatio hominum ad Rom. 8, 9. 10: „Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. — Spiritus vero vivit (text. gr. ζωη, vita) propter justificationem" cfr. vers. 26. — Cap. 15, 13: „Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti (ἐν δυναμει πνευματος ἁγιου)" cfr. ad Eph. 2, 22; C. 3, 16; 2 ad Thess. 2, 12. 13. — 2 ad Tim. 1, 14: „Bonum depositum custodi per Spiritum s., qui habitat in nobis (δια του πνευματος ἁγιου του ἐνοικουντος ἐν ἡμιν)";

e) adoratio eadem, quae Patri et Filio, uti jam ex baptismi formula Matth. 28, 19. elucet, ubi nomen Spiritus. s. aeque ac nomen Patris et Filii pronuntiatur, ad quod agnoscendum et colendum baptizandus obligatur; quid quod Paulus Apost. jurat per eum ad Rom. 9, 1.

Ex his dictis apparet, Spiritum s. Patri et Filio aequalem, unum eundemque esse, consequenter Patrem, Filium et Spiritum s. unum Deum constituere.

Relatio Spiritus ad Patrem et Filium ea est, ut

a) Spiritus a Patre et Filio distinctus sit,

b) a Patre per Filium mittatur;

c) a Patre Filioque procedat; sic adest aequalitas cum Deo et aeternum existentiae fundamentum, quod aeternae Filii a Patre generationi correspondeat.

B) *Traditio* a) ss. patres in verbis distinctissimis de Spiritu sancto tanquam Deo loquuntur 1) Justin. apol. 1. (al. 2.): „Jesum Christum eundemque, quod ipsius veri et singularis Dei Filium esse edocti simus, secundo loco ac Spiritum propheticum tertio ordine

(πνευμα δε προφητικον ἐν τριτῃ ταξει) nos cum Verbo venerari demonstrabimus." — 2) Tatian. orat. ad Graec. C. 10: „Verbum — illud coeleste, Spiritus a Patre genitus (πνευμα γεγονως ἀπο του πατρος) et Verbum ex rationali potentia hominem immortalitatis imaginem fecit ad imitationem sui genitoris." — 3) Athenag. legat. pro Christ.: „Quis igitur non miretur, nos praedicantes Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum s. ac demonstrantes eorum et in unitate potentiam et in ordine distributionem (δεικνυντας αὐτων και ἐν τῃ ἑνωσει δυναμιν και την ἐν τῃ ταξει διαιρεσιν), vocari impios." — 4) Iren. adv. haer. l. 4. C. 37: „Adest — ei semper Verbum et sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit." — 5) Tertull. adv. Prax. C. 13: „Duo — Deos et duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus; non quasi non et Pater Deus et Filius Deus et Spiritus s. Deus et Deus unusquisque" allegans quoque baptizandi formulam. — 6) Clem. Alex. paedag. lib. 3. C. 12: „Laudemus unum Patrem et Filium, Filium et Patrem, paedagogum et magistrum Filium, una cum sancto Spiritu, qui unus est omnia (συν και τῳ ἁγιῳ πνευματι, παντα τῳ ἑνι)" cfr. lib. 1. C. 6. — 7) Origen. de princip. lib. 1. C. 31: „Spiritus s. qui solus scrutatur etiam alta Dei, revelat Deum, cui vult" cfr. praefat. n. 4; comment. in Gen. lib. 1. — 8) Hilar. de trin. lib. 8: „Deus igitur Christus est unus cum Deo Spiritus" citans 1 ad Cor. 12. cfr. lib. 2 et 12. — 9) Basil. ep. 8. (al. 141.) apolog. de secess. ad Caesariens. C. 2: „Confiteri oportet Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum (Θεον το πνευμα το ἁγιον), uti eloquia divina et qui ea sublimius intellexere, docuerunt" cfr. C. 3 et 11; ep. 78; adv. Eunom. lib. 5; de spir. s. C. 9. n. 22; C. 19. n. 48. — 10) Cyrill. Hieros. catech. 4.

C. 16: „Crede et in Spiritum sanctum, deque eo idem sentito, quod de Patre et Filio accepisti, — qui cum Patre et Filio divinitatis gloria decoratur (τῃ της θεοτητος δοξῃ τετιμηται). — Unus est enim Deus, Christi Pater, et unus Dominus Jesus Christus — et unus Spiritus sanctus, qui omnia sanctificat et deificat (του παντων ἁγιαστικου και θεοποιου)“ cfr. catech. 6. C. 6; catech. 16. C. 3; catech. 17. C. 2. 5. 33 et 34. — 11) Gregor. Naz. orat. 6. de spir.: „Spiritus ille sanctus — Deus est — omnipotens est, inspicit omnia, obit omnes spiritus intelligentia praeditos, puros, subtilissimos, angelicas (ut arbitror equidem) potestates, (sicut et vatum et Apostolorum spiritus“ cfr. orat. 34. in Aegypt. episc. apuls.; orat. 44. in s. Pentec.; orat. 50. aut tract. ad Cledon. — 12) Greg. Nyss. contr. Eunom. orat. 1: „Spiritus s. communionem habet (την κοινωνιαν ἐχον) cum Patre et Filio, in hoc, quod est in creata natura, praeditum esse nihilominus a Patre et Filio propriis suis notionibus distinguitur.“ — 13) Ambros. de spir. s. lib. 3. C. 19: „Ergo si peccatum non habet Spiritus, Deus est; ergo qui adoratur, Deus, qui manet et qui loquitur in prophetis; manet autem et loquitur Spiritus ergo et Spiritus adoratur“ cfr. lib. 2. C. 1—7; lib. 3. C. 12. 20 et 23; de symb. C. 3. — 14) Epiphan. haer. 74: „Cooperatur — Patri Filius et Spiritus s. — Adorandus autem est Spiritus s. — Spiritus enim Deus et Deitas, donorum doctor est verissimus, illuminator, consolator et paracletus, consiliorum animator. — Spiritus s. Spiritus veritatis est, lux tertia a Patre et Filio“ cfr. haer. 48; haer. 62; haer. 69. et plura loca in Ancorat. — 15) Chrysost. in symb. apost. expos. hom.: „Iste est procedens a Patre et Filio Spiritus, qui dividit dona propria, prout vult.“ — 16) Augustin. tract. in Evang.

Joan. tr. 6: „Spiritus sanctus Deus, sicut Dei Filius Deus et Pater Deus. Ter dixi Deus, sed non dixi tres Deos: magis enim Deus ter, quam Dii tres, quia Pater et Filius et Spiritus s. unus Deus“ cfr. de symb. ad catech. lib. 3. C. 9; lib. 4. C. 9; sermm. de temp. serm. 3; quaest. lib. 2. quaest. 59; de trinit. lib. 4. C. 20; lib. 5. C. 14; lib. 15. C. 17 et 26; de agon. christian. C. 28. — 17) Cyrill. Alex. dial. de trinit. lib. 7: „Non mentitus est (Ananias) hominibus, sed Deo. Etiam Deo enim mentitus, inquit, licet velit quis in Spiritum sanctum hoc facere. Quomodo autem, nisi Deus Spiritus sanctus esset?“ cfr. comment. in Joan. lib. 1. C. 14; quod Spir. s. sit Deus, non creatura; thesaur. lib. 13 et 14. integr. — 18) Greg. M. in Ezech. lib. 1. hom. 5. n. 9: „Spiritus s. Deus ante saecula Patri est et Filio coaeternus.“

Summa locorum est:

a) Spiritus sanctus est tertia Trinitatis persona Justin. Clem. Alex. Cyrill. Hieros., a Patre Tatian., et Filio procedens Epiphan. Chrysost., intime cum his connexus Greg. Nyss.;

b) Verus Deus Tertull. Hilar. Basil. Cyrill. Hieros. Greg. Naz. Ambros. Epiph. Augustin. Cyrill. Alex. Greg. M.; hinc

c) Patri et Filio coaeternus Greg. M.

d) omniscius Orig.

e) omnipotens Athenag. Iren. Clem. Alex. Greg. Naz. Chrysost.

f) sanctificator hominum Cyrill. Hieros.

g) et adorandus Justin. Ambros. Epiphan.

Negandum non est, nonnullos ss. patres, ut relationem Spiritus s. ad Patrem et Filium declararent, per

allegorias suas v. g. vim, energiam, emanationem etc., ad devia subinde venisse et nimis sensualiter tradidisse; attamen omnes in eo conveniunt, ut Spiritum s. Deum et personam Trinitatis agnoscant; sicque salva est doctrina de Spiritu sancto.

b) Concilia 1) Nicaen. 1. in symb. ait brevissime: „Credimus — in Spiritum sanctum (εἰς το πνευμα το ἁγιον).“ — 2) Constantinopol. 1. oec. 2. in symb. fidei contra Macedonianos statuto: „Credimus in Spiritum sanctum Dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.“ Longo post tempore, probabiliter in concil. Toletan. 3. sub Pelag. P. anno 589. C. 2. additum: Filioque, quod ab ecclesia occidentali, refragante licet orientali, receptum fuit. — 3) Florentin. defin. s. syn.: „Definimus — quia Spiritus s. ex Patre et Filio aeternaliter est et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit, declarantes, quod id, quod sancti doctores et patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam (αἰτιαν), secundum Latinos vero principium (ἀρχην) subsistentiae Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus s. procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est; definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate,

licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.“ — Omnes, ait Assemannius de Nestorianis, quoquot vidi de Spiritu s. tractantes, in id solum incumbunt, ut divinitatem ejus consubstantialitatemque cum Patre et Filio adstruant. In officio expresse legitur: Pater est aeternus — Filius ex eo — Spiritus sanctus procedit ex utroque.

Sectio II.

Cosmologica biblica

seu

doctrina de Deo mundi auctore.

CAPUT I.

Creatio mundi.

§. 22.

A) *V. T.* 1) In primis Geneseos jam verbis Deus omnipotentia et majestate praeditus exhibetur: dicitur enim Cap. 1, 1: „In principio creavit Deus coelum et terram (בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ)“; legatur caput integrum vers. 1—26. et cap. 2, 1—7. Historiam mundi creati veram, non mythum quendam poeticum aut philosophicum esse, patet ex eo:

a) Signa characteristica fictionis fabulosae aut mythi omnino desunt.

b) Est regula hermeneutica, a sensu literali non prius esse recedendum, nisi necessitas urgeat; modus creationis utique non definitur, nec definiri potest; hinc patet, sacrum auctorem κατ' ἄνθρωπον et secundum aetatis genium rem et historiam exhibuisse et argumentatum fuisse.

c) Omnis Geneseos summa et historica; jam vero nisi capite primo historia incipiat, demonstrandum erit historiae initium, aut forsan tota Genesis est mythus, vel philosophema quoddam, ipsis nominibus propriis non exceptis, ut doctus nuper quidam dixit!

d) Ex. 20, 11. idem repetitur: „sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei sabbathi et sanctificavit eum“; sic et C. 31, 17: „sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram et in septimo ab opere cessavit“;

num Moyses mente coecutit aut stupiditate laborat, cum verba Geneseos hic historice repetat?

In enumerandis sex periodis recordetur mortalis, sex dies operi et labori esse impendendos, quia Deus creator sex diebus, ut ita dicam, operatus sit; septimo autem die ab omni opere cessandum esse, quia hac die creatio finita fuit; quaevis sabbathi dies annuntiat nobis veritatem, Deum esse eumque omnipotentem, benignissimum et sapientissimum, qui Universum hoc creaverit. Hypothesibus omnibus omissis manet veritas sublimis: Deus creavit orbem universum cum incolis suis. Nonne haec est historia? Quivis primo momento, in hac historia non philosophum aut physicum quendam aetatis nostrae, sed adumbratorem imaginis secundum aetatem, ut tunc erat, puerilem loqui et agere intelliget; quidquod apparet, non de sola agi mundi jam existentis metamorphosi, non de restauratione terrae antea per revolutionem violentam destructae, sed de originaria creatione et constitutione hujus mundi visibilis, id est, de vera Geogonia et Cosmologia. Re bene intellecta dubia, quae in singulis cap. 1 et 2. versibus occurrunt, per se evanescent; sic v. g. in cap. 1. vers. 4, ne versibus 16 et 18. contradiceret, interpretatio esset: terra cum circa axem suam moveretur, claritas quaedam orta est, uti post tempestatem sequitur serenitas Job. 17, 12; quod in hac historia de Deo modo nimis humano dicatur, nil novi est, sed in toto v. test. occurrit; quod s. author firmamentum tanquam tegumentum aut massam solidam, terram tanquam omnis creationis centrum sibi fingeret, nil refert; num sane Josue cap. 10, 13. et David Ps. 103, 3. 13. aliter cogitarunt? Fictio aut potius idea haec num veritati nocere potest?

Historiae creationis mundi duo varia subesse documenta, ex comparatione apparet, nam

a) cap. 1. אֱלֹהִים; caput 2, 4. יְהוָה אֱלֹהִים pronuntiatur;

b) cap. 1. creatio fit sex diebus; cap. 2, 4. in uno die, בְּיוֹם;

c) cap. 1. terra apparet aquis perfusa; cap. 2, 5. torrida et exusta „non enim pluerat Dominus Deus super terram“;

d) cap. 1. fit enumeratio creaturarum perfectior; cap. 2, 5. virgulti tantum et hominis fit mentio;

e) cap. 1. id unice tendit, ut Dei omnipotentiam visibilem exhibeat; cap. 2. agit jam de pluvia et agricultura.

Quaestionem de aetate mundi transmittamus ad philosophiam; s. scriptura ait tantum: „In principio creavit Deus“ cfr. Prov. 8, 22; Eccles. 24, 14.

2) In scriptis propheticis eadem inveniuntur eloquia ac in oeconomia mosaica 2 Esdr. 9, 6: „Tu ipse Domine, solus (לְבַדֶּךָ solus tu) tu fecisti coelum et coelum coelorum et omnem exercitum eorum: terram et universa, quae in ea sunt; maria et omnia, quae in eis sunt“; Job. 33, 4 et 6: „Spiritus Dei fecit me et spiraculum omnipotentis vivificavit me. — Ecce et me sicut et te fecit Deus (text. hebr. הֶן־אֲנִי כְפִיךָ לָאֵל ecce ego secundum os tuum = similis tibi coram Deo), et de eodem luto ego quoque formatus sum“ cfr. C. 38, 4—12; Ps. 8, 4: „Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum: lunam et stellas, quae tu fundasti“; Ps. 32, 6: „Verbo Domini coeli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum“ cfr. Ps. 88, 12; Ps. 102, 26; Ps. 103, 5—10; Ps. 113, 23; Ps. 145, 6; Prov. 8, 23—29: „Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret (text. hebr. מֵרֹאשׁ מִקַּדְמֵי־אָרֶץ a capite ab initiis terrae = principio ante terram). Nondum erant abyssi et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant. Necdum montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat (Dominus) et flumina (text. hebr. וְחוּצוֹת et

loca deserta) et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando aethera firmabat sursum et librabat fontes aquarum (תְּהוֹם, abyssos)"; Eccles. 18, 1: „Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul (κοινῇ)" cfr. C. 43, 37; Is. 40, 28: „Deus sempiternus (עוֹלָם) Dominus, qui creavit terminos terrae"; C. 44, 24: „Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram" cfr. C. 45, 12 et 18; C. 48, 13; C. 66, 2; Jer. 10, 12: „Qui (Deus) facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua et prudentia sua extendit coelos" cfr. C. 32, 17; Am. 5, 6. 8: „Quaerite Dominum — facientem Arcturum et Orionem et convertentem in mane tenebras et diem in noctem mutantem: qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terrae."

Hunc mundum ex nihilo creatum esse, enuntiant aperte loca Ps. 32, 9: „Quoniam ipse dixit et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt (text. hebr. וַיַּעֲמֹד et stetit)" cfr. Ps. 148, 5; 2 Macch. 7, 28: „Peto te nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt et intelligas, quia ex nihilo (οὐκ ἐξ ὀντων) fecit illa Deus et hominum genus." Si legitur Sap. 11, 18: „Omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa (ἐξ ἀμορφου ὑλης, ex informi materia)"; id tantum de efformando chao intelligendum est, quin authorem libri Universum hoc a Deo non creatum cogitasse concludi possit.

Finis creationis non alius est, nisi ut majestas et existentia Dei omnipotentis manifestetur Ps. 18, 2: „Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum" cfr. Prov. 16, 4; Eccles. 12, 13. 14.

B) *N. T.* Mundus, ὁ κοσμος, denotat

a) coelum et terram Act. 14, 14; Universum hoc; quidquid omnium rerum continetur Matth. 24, 21; C. 25, 34; Joan. 17, 24; ad Eph. 1, 4;

b) per synecdochen terram, orbem terrarum Marc. 16, 15; ad Rom. 1, 8;

c) in specie intelligitur sub mundo certa telluris pars v. g. Canaan Matth. 4, 8; ad Rom. 4, 13;

d) per metonymiam continens pro contento, incolae terrarum tam boni quam mali, totum genus humanum sine respectu religionis, status, aetatis Matth. 13, 38; Joan. 1, 10; C. 6, 33; C. 14, 31; C. 15, 18. 19; ad Rom. 11, 12; 1 ad Cor. 1, 20. 21.

Argumenta creationis mundi a Deo factae haec sunt Act. 4, 24: „Domine, tu es (text gr. σὺ ὁ Θεος), qui fecisti coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt" cfr. C. 14, 14; C. 17, 14—28; ad Eph. 3, 9: „Deus, qui omnia creavit"; ad Hebr. 3, 4: „Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est" cfr. 11, 3; Apoc. 10, 6: „(Angelus) juravit per viventem in saecula saeculorum, qui creavit coelum et ea, quae in eo sunt; et terram, et ea, quae in ea sunt; et mare, et ea, quae in eo sunt" cfr. C. 14, 7.

Creatio ex nihilo facta patet ex ep. ad Rom. 4, 17: „Et vocat (Deus) ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt (μη οντα ὡς οντα, non existentia ut existentia)" cfr. C. 11, 35. aut 36; ad Col. 1, 16. 17; ad Hebr. 11, 3: „Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent (εἰς το μη ἐκ φαινομενων τα βλεπομενα γεγονεναι)"; hinc admissa licet materia jam existente quaestio ulterior erit, quomodo ex materia ortus sit mundus.

Creatio mundi volente Deo peracta fuit Apoc. 4, 11: „Tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant (δια το θελημα σου εἰσι sunt), et creata sunt"; hinc mundus non potest esse aeternus, nec Deus et mundus idem.

De fine creationis nos edocet s. Paulus dicens ad Rom. 1, 19. 20: „Deus enim illis manifestavit. Invisi-

bilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas"; hinc homo Deum glorificet et beata vita dignum se reddat ad Phil. 3, 21; 1 ad Tim. 6, 17. 19., quia mundus locus est, in quo praeparatio ad statum sublimiorem et aeternum fiat ad Hebr. 13, 14; ergo Deus mundum in honorem sui hominum causa et quidem ad consilia nobis tum cognita, tum plane incognita creavit.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Hermas mand. 1: „Primo omnium crede, quia unus est Deus, qui omnia creavit atque composuit, qui cum nihil esset prius, esse fecit omnia: qui est omnia capiens, ipse vero a nemine capitur." — 2) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 19: „Figamus oculos in Patrem et creatorem totius mundi (*εἰς τον πατερα και κτιστην του συμπαντος κοσμου*)" cfr. C. 20 et 33. — 3) Justin. apol. 1. (al. 2.): „Et cum bonus sit Deus, omnia eum in principio — hominum causa condidisse edocti sumus." — 4) Tatian. orat. ad Graec. C. 7: „Opus ab eo nostra causa conditum adorare nolo. Sol et luna propter nos creata sunt" — C. 18: „Universam mundi machinam et quidquid in ea conditum extat, e materia constitutum esse patet, ipsam vero materiam a Deo productam (*την ὑλην — αυτην ὑπο του Θεου προβεβλημενην*)." — 5) Athenagor. legat. pro Christ.: „Mundus non ideo factus est, quasi eo indigeret Deus; Deus enim ipse sibi omnia est, lux inaccessibilis, mundus absolutus. — Neque vero rationi consentaneum est, materiam Deo esse antiquiorem; necesse enim est, ut causa efficiens ea, quae fiunt, antecedat." — 6) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Dei potentia in hoc ostenditur, ut ex nihilo faciat, quaecunque voluerit" cfr. id, quod de explicandis sex dierum operibus dicit. — 7) Tertull. adv. Marc. lib. 1. C. 12: „(Deus) mundum homini, non sibi fecit" cfr. apolog. adv. gent. C. 17; adv. Judaeos. C. 2. — 8) Clem. Alex. strom. lib. C. 16. commentatur in Gen.

2, 4. eo modo: „Illud, quando facta sunt, enuntiationem significat, inde finitam et expertem temporis (ἀόριστον ἐκφορὰν καὶ ἄχρονον μένυει). Hoc autem; quo die fecit Deus, hoc est, in quo et per quem fecit omnia" cfr. lib. 7. — 9) Minut. Felix Octav. C. 17: „Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohaerentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere." — 10) Orig. contr. Cels. lib. 4. n. 99: „Supra probatum arbitror, omnia propter hominem et propter omnes naturas rationis participes esse facta (πῶς ἀνθρώπῳ καὶ παντὶ λογικῷ τὰ πάντα πεποίηται)" cfr. n. 74; lib. 6. n. 60. (coll. de princip. lib. 4. n. 16), ubi narrationem Gen. 1 et 2. inter se comparat.; in Gen. hom. 1. n. 12; de princip. lib. 1. praef. n. 7; lib. 2. C. 1. n. 4. declarat, materiam admittere aeternam esse opinionem aeque periculosam, ac omnino negare providentiam aut existentiam mundi conditoris; lib. 3. C. 5. n. 3. — 11) Lactant. instit. div. lib. 7. C. 4: „Apparet ergo, animantium causa mundum esse constructum" cfr. lib. 2. C. 8 et 9; lib. 7. C. 5; de ira Dei C. 10 et 13. — 12) Basil. hexaem. hom. 1. C. 1: „Coeli terraeque tradenda creatio est, quae casu, ut quidam opinati sunt, producta non est, sed a Deo originem traxit" cfr. C. 6. et hom. 2. — 13) Cyrill. Hieros. catech. 12. C. 5: „Mundus propter hominem (διὰ τὸν ἄνθρωπον) est." — 14) Greg. Naz. orat. 2. de theol.: „Esse Deum et esse causam quandam, quae et crearit universa et contineat etiamnum, tum ipse nos adspectus, tum naturae lex docent." — 15) Greg. Nyss. in hexaem.: „Quare per summam ostendit, omnia simul (συλληβδὴν) fuisse procreata et per principium cuncta momento et sine ullo temporis spatio (διὰ δὲ τῆς ἀρχῆς δελοῦται τὸ — ἀκαρὲς τε καὶ ἀδιάστατον) facta fuisse significat" cfr. de hom. opif. C. 23. — 16) Ambros. in hexaem. lib. 1. C. 4: „Auctorem angelorum et dominantium et potestatum facile

intelligimus eum, qui momento imperii sui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse" cfr. C. 2. et 6. integ.; C. 9. — 17) Augustin. serm. de temp. 3: Siquis ergo dixerit, atque crediderit, a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque ejus omnia instrumenta: anathema sit." — lib. de rud. catech. C. 17: „Poterat enim omnipotens et uno momento temporis omnia facere" cfr. de civ. Dei lib. 11. C. 23. lib. 12. C. 12. — 18) Theodoret. de cur. graec. affect. lib. 4. de mat. et mund.: „Opifex universorum Deus, quae vult omnia, eadem simul potest. —

Summa locorum omnium est:

a) Deus est creator mundi totius et universitatis Hermas, Clem. Rom. Tertull. Clem. Alex. Basil. Greg. Naz. Augustin. Theodoret.;

b) ex nihilo, quin adesset materia, Hermas, Theophil. Ambros. et si adfuisset materia, ipsa quoque a Deo producta fuisset, Tatian.; sic et explicari debent opiniones eorum ss. patrum, qui materiam informem ac rudem admittunt Justin. apol. 1. (al. 2.); Athenag. leg. pro Christ.; Clem. Alex. strom. lib. 6. C. 16; Augustin. de gen. contr. Manich. lib. 1. C. 5.;

c) mundus conditus est simul et momento Greg. Nyss. Ambros. Augustin.;

d) non ex fortuito ortus, Minut. Felix, Basil.;

e) hominum, Justin. Tatian. Tertull. Orig. Cyrill. Hieros. animantium Lactant., naturarum rationalium Orig.; non Dei causa Athan.; hinc

f) Deus antiquior materia Athenag. et mundus est finitus et temporis expers. Clem. Alex.

b) Concil. 1) Nicaen. 1: „Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem (παντων ὁρατων τε και αορατων ποιητην)." — 2) Lateran. 4. C. 1. doctrinam hanc sic approbat: „Deus — unum universorum principium, creator omnium,

omnium, visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem: angelicam videlicet et mundanam."

Caput II.

Conservatio et gubernatio mundi seu providentia Dei.

§. 23.

Conservatorem et gubernatorem mundi magnum, immo maximum existere, ipsa ratio ordinem orbis hujus considerans confiteri cogitur; hinc jam Sophocles, Danieli coaevus, ait: „*εἱς εστι Θεος, ὁς ουρανον τετευξε και γην μικραν*"; et longo post tempore Cicero nat. Deor. 2, 35." — cogunt nos confiteri, esse aliquem rectorem et moderatorem" et orat. pro Rosc. Amer. C. 45: „Lucem, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus," quam veritatem in lucem clarissimam edit revelatio.

A) *V. T.* conservationem et gubernationem mundi Deo tribuit, et de providentia Dei verbis sat claris praedicat.

1) Universum naturae regnum in ordine et activitate continua conservatur Gen. 8, 22: „Cunctis diebus terrae, sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hyems, nox et dies non requiescent (לֹא יִשְׁבֹּתוּ)"; Ps. 64, 10: „Visitasti terram et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est praeparatio ejus (text. hebr. תְּכִינֶהָ, parabis eam)" cfr. Ps. 29; Ps. 103, 10—16. et 27—31; Ps. 118, 91; Ps. 144, 15. 16; Ps. 146, 8. 9. 16—19; Ps. 148, 6: „Statuit ea in aeternum et in

saeculum saeculi: praeceptum posuit et non praeteribit"; Sap. 11, 26: „Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut, quod a te vocatum non esset, conservaretur (διετηρηθη)"; Eccles. 16, 26: „In judicio Dei opera ejus ab initio, et ab institutione ipsorum distinxit partes illorum (quod sequitur, in text. gr. deest) et initia eorum in gentibus suis"; Jer. 5, 24: „Et non dixerunt in corde suo: metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo: plenitudinem annuae messis custodientem nobis (text. hebr. aliis verbis: שְׁבֻעוֹת חֻקּוֹת קָצִיר יִשְׁמָר לָנוּ, septimanas statutorum [id est: statutas] messis custodiet nobis)" cfr. C. 14, 22. — Dan. 2, 21: „Ipse mutat tempora et aetates" cfr. C. 4, 22. — Os. 2, 21. (text. hebr. v. 22): „Et terra exaudiet (תַּעֲנֶה, id est, praestabit) triticum et vinum, et oleum; et haec exaudient Jezrahel."

2) Quidquid in mundo accidit sive bonum sive malum, Deo auctore accidit Ps. 45, 9. 10: „Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad finem terrae. Arcum conteret, et confringet arma: „et scuta (text. hebr. חֲנִית עֲגָלוֹת hastam: plaustra) comburet igni"; Prov. 21, 31: „Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit (text. hebr. הַתְּשׁוּעָה salus scil. est)"; Sap. 12, 13: „Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus (ῳ μελει περι παντων), ut ostendas, quoniam non injuste judicas (Vulg. addit:) judicium" cfr. v. 14—18; Eccles. 11, 14: „Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas (text. gr. πλουτος, divitiae) a Deo sunt"; Is. 45, 6. 7: „Ego Dominus et non est alter: formans lucem et creans tenebras: faciens pacem et creans malum: ego Dominus faciens omnia haec (עֹשֶׂה כָל־אֵלֶּה)"; Jer. 11, 11: „Ecce ego inducam super eos mala, de quibus (text. hebr. vero רָעָה אֲשֶׁר־מִמֶּנָּה, malum, quo — ab ipso = ex quo) exire non poterunt"

cfr. C. 14, 22; Dan. 4, 31. 32: „Potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generatione et generationem. Et omnes habitatores terrae apud eum in nihilum reputati sunt“; Am. 3, 6: „Si (אִם = num) erit malum in civitate, quod Deus (text. hebr. וַיהוָה et Dominus) non fecerit.“

3) Fata hominum eorumque vitae tempora a Deo definiuntur Gen. 45, 5: „Pro salute vestra (text. hebr. לְמִחְיָה, ad vitae conservationem) misit me Deus ante vos (Vulg. addit:) in Aegyptum“ cfr. C. 50, 19. 20. — Ex. 4, 11: „Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et coecum? Nonne ego? (text. hebr. vero הֲלֹא אָנֹכִי יְהוָה)“ — 1 Paral. 29, 12: „Tu dominaris omnium: in manu tua virtus et potentia, in manu tua magnitudo et imperium omnium (text. hebr. לְגַדֵּל וּלְחַזֵּק לַכֹּל, magnificare et confortare omnia)“ — Job. 14, 5: „Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est“ — Ps. 30, 16: „In manibus tuis sortes meae (text. hebr. בְּיָדְךָ עִתּוֹתָי, in manu tua tempora mea)“ cfr. Ps. 36, 5; Ps. 90; Ps. 103, 29. 30; Ps. 112, 7. 8; Ps. 138, 16; — Prov. 16, 33: „Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur (text. hebr. כָּל־מִשְׁפָּטוֹ, omne judicium ejus)“ cfr. v. 1—4; C. 20, 24; Sap. 7, 16: „In manu illius (ἐν χειρὶ αὐτοῦ) et nos et sermones nostri“ — Jerem. 18, 6: „Ecce sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea (בְּיָדִי), domus Israel“ cfr. v. 7—10.

Inde venit, ut salus et felicitas hominis habeatur merces; malum contra et infelicitas — poena; attamen non desunt loca, in quibus de piorum infortunio et impiorum felicitate et de singularibus Dei dispositionibus sermo fiat, quin deceat mortalem, Deum idcirco accusare et contendere cum eo Job. 39, 35. (text. hebr. 32): „Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescet

(text. hebr. יִסּוֹר, vituperator, 70 εκκλινει effugiet). Utique qui arguit Deum, debet respondere ei" Ps. 73, 12—18; Eccles. 11, 4—10; Is. 10, 5—12; C. 45, 9. 10; Jer. 10, 23.

4) Actiones et consilia hominum per Deum diriguntur Tob. 3, 22. secundum Vulg.: „Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis et post lacrymationem et fletum exultationem infundis" — Job. 5, 11. 12. 13: „Qui ponit humiles in sublime, et moerentes erigit sospitate. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod coeperant (text hebr. תּוּשִׁיָּה, consistentiam = quicquam). Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat" = Ps. 32, 10: „Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum (Vulg. addit:) et reprobat consilia principum (70; και αϑετει βουλας αρχοντων)" — Prov. 21, 1: „Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini (לֶב־מֶלֶךְ בְּיַד־יְהוָה)" — Is. 8, 10: „Inite consilium et dissipabitur: loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus (עִמָּנוּ אֵל)" cfr. C. 40, 7; C. 54, 16.

5) Minima quaeque hominum dirigit Deus 1 Reg. 14, 45: „Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus (text. hebr. רֹאשׁוֹ capitis ejus) in terram, quia cum Deo operatus est hodie." cfr. 2 Reg. 14, 11.

6) Nemo animantium a cura Dei secluditur Ps. 144, 15. 16: „Oculi omnium in te sperant: et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam et imples omne animal (כָּל־חַי) benedictione (text. hebr. רָצוֹן, voluntate)."

B) *N. T.* Huc referri potest argumentum physicoteleologicum, quod s. scriptura magis confirmat; nam conservatio et gubernatio mundi uti et operatio seu concursus Dei respicit

1) ad universum mundum

a) cum omnia per Deum fiunt et in ipso constant Act. 17, 28: „In ipso (ἐν αὐτῷ = per ipsum) vivimus et movemur et sumus“; ad Hebr. 1, 3: „Portans omnia (φερων τα παντα) verbo virtutis suae“;

b) cum Deus ipse Dominus coeli et terrae vocatur Matth. 11, 25: „Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae (κυριε του οὐρανου και της γης).“

2) ad ordinem naturae ejusque mutationes

a) cum semper operetur Deus Joan. 5, 17: „Pater meus usque modo operatur (ἐργαζεται)“ — 1 ad Cor. 12, 6: „Idem Deus, qui operatur (ὁ ἐνεργων) omnia in omnibus“; inde ἐνεργεια, vis, effectus, operatio;“

b) dans pluviam et tempora fructifera Act. 14, 16: „Benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera (ὑετους διδους και καιρους καρποφορους), implens cibo et laetitia corda nostra“;

c) et incrementum promovens 1 ad Cor. 3, 6: „Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit (ηὔξανε)“;

3) ad creaturas universas tam animatas, quam inanimatas

a) cum vestit Deus agri flores Matth. 6, 28: „Considerate lilia agri (τα κρινα του ἀγρου), quomodo crescunt: non laborant, neque nent“;

b) nutriens coeli aves Matth. 6, 26: „Respicite volatilia coeli (εἰς τα πετεινα του οὐρανου), quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa“;

c) et ne animal quidem interire sinens sine voluntate Matth. 10, 29: „Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro (ἀνευ του πατρος ὑμων)?“;

4) ad homines in specie

a) cum Deus iis vestes, alimenta et omne bonum procurat Matth. 6, 26: „Nonne vos magis pluris estis

διαφερετε excellitis) illis (scil. volatilibus coeli)?" — 1 ad Tim. 6, 17: Qui (Deus) praestat nobis omnia abunde ad fruendum (πλουσιως — εἰς ἀπολαυσιν, abunde — ad refocillationem)" — Jac. 1, 17: „Omne datum optimum et omne donum perfectum (πασα δοσις ἀγαθη και παν δωρημα τελειον) desursum est, descendens a Patre luminum";

b) actiones et consilia eorum dirigens ad Rom. 1, 10: „Obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei (ἐν τῳ θεληματι του Θεου) veniendi ad vos" cfr. C. 15, 32; 1 ad Cor. 16, 7. — Jac. 4, 15: „Si Dominus voluerit (ἐαν ὁ κυριος θεληση)": et si vixerimus, faciemus hoc aut illud";

c) definiens vitae tempora Act. 17, 26: „Definiens statuta tempora (ὁρισας προστεταγμενους καιρους) et terminos habitationis eorum" cfr. Matth. 6, 27;

d) conservans et custodiens tam bonos, quam malos Matth. 5, 45: „Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est: qui solem suum oriri facit super bonos et malos (ἐπι πονηρους και ἀγαθους): et pluit super justos et injustos (ἐπι δικαιους και ἀδικαιους)";

e) κατ' ἐξοχην fideles 1 ad Tim. 4, 10: „Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium (πιστων)";

f) minima quaeque hominum curam ejus non effugiunt Matth. 10, 30: „Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt";

g) fata hominum constituit Deus ad Phil. 2, 27: „Deus misertus est ejus (scil. Epaphroditi); non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem"; 1 ad Thess. 3, 11: „Ipse autem Deus et Pater noster et Dominus noster Jesus Christus, dirigat (κατευθυναι) viam nostram ad vos"; 1 Petr. 5, 7: „Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis (αὐτῳ μελει περι ὑμων)." —

His omnibus comparatis et probatis oritur conceptus providentiae, ut s. scriptura expresse ait Sap. 14, 3: „Tua, Pater, providentia (πρόνοια) gubernat"; et facillime cum hac mundi gubernatione et providentia Dei uniri possunt

1) libertas hominis, qui non obstante providentia cogitationes, actiones et consilia huc et illuc dirigere valet; accedat providentia, num libertas hominis excludenda Jacob. 4, 13. 14. cfr. Prov. 16, 1—4?

2) existentia mali a) physici, cum omnes leges physicae necessitati absolutae adstrictae i. e. per se necessariae sunt; cum malum relativum, non absolutum datur ab usu vel ab abusu libertatis omnino dependens; cum physica mala in totidem physica bona, quidquod saepe majora evadunt; cum vita praesens est modo status praeparatorius et haec mala optima sunt educandi remedia pro periodo futura; cum virtus nostra his malis, ut aurum igne, probetur necesse est ad Rom. 8, 18 19; ad Heb. 12, 4—11; idem valet de malis socialibus; b) moralis, cum mala moralia sunt actiones liberae legi morali contrariae et ad hominem emendandum quam plurimum aptissimae;

3) oratio; cum hac licet peracta in consilio divino nil mutatur, immo potius ad moralitatem promovendam mortalibus perquam necessarium, Deum precari, non ejus causa: „Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis Matth. 6, 32"; sed nostra causa;

4) fortuna impiorum et calamitates piorum; cum judicia hominum desuper valde erronea et falsa esse possunt; cum libertas hominis his licet obvenientibus semper stat erecta 2 Petr. 3, 9; cum post consummationem saeculi judex justus perfectam restaurabit harmoniam Matth. 13, 30 et 39—44.

C) *Traditio*; ss. patres unanimi consensu Dei providentiam confitentur; respectu malorum s. scripturae

conformiter docentes: 1) Tatian. orat. ad Graec. C. 34: „Quod in rerum natura venenatum est, id ex peccatis nostris supervenit.“ — 2) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Nihil — mali a Deo factum, sed bona omnia et valde bona, sed peccatum hominis eas in vitium adduxit. Hoc enim de via deflectente, ipsae (ferae) quoque deflexerunt.“ — 3) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 41: „Providentiam — habet Deus omnium; propter hoc et consilium dat: consilium autem dans adest his, qui morum providentiam habent“ cfr. lib. 2. C. 45. — 4) Tertull. de poenit. C. 1: „Deus omnium conditor nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit, nihil non ratione tractari intelligique voluit.“ — 5) Clem. Alex. strom. lib. 1. C. 11: „Quae — secundum traditionem divinam philosophia constituit et confirmat providentiam (προνοιαν); qua sublata videtur fabula servatoris oeconomia. — Quae est enim Christo consentanea doctrina, et opificem Deum esse asserit, et deducit providentiam usque ad singularia (την προνοιαν μεχρι τε κατα μερος)“ cfr. lib. 4, C. 6 et 12. — 6) Minut. Felix Octav. C. 20: „Providentia mundus regitur et unius Dei nutu gubernatur“ cfr. C. 17 et 18. — 7) Orig. in Gen. hom. 3. n. 2: „Providentia namque est, quae procurat et dispensat et providet, quae geruntur“ cfr. contra Cels. lib. 6. n. 55. — 8) Cyprian. epp. lib. 1. ep. 3: „Dicere nec minima fieri sine voluntate Dei — hoc est Deo honorem non dare, cujus nutu et arbitrio regi et gubernari omnia scimus et credimus“ cfr. tract. 1 ad Demetrian. — 9) Lactant. de ira Dei C. 13: „Proposuit tamen (Deus) ei bona et mala, quia sapientiam dedit, cujus omnis ratio in discernendis malis ac bonis posita est“ cfr. in opif. mund. C. 4. — 10) Athan. de incarnat. verb. Dei: „Caeterum istiusmodi ordo documento est, non sponte res creatas prodiisse,

sed causam effectricem praecessisse, ex qua dispositorem authoremque Deum (τον διαταξαμενον και παντα ποιησαντα Θεον) intelligas." -- 11) Basil. ep. 6. (al. 159.) ad Nectarii uxor. C. 2: „Nostra non fiunt citra providentiam (ου γαρ απρονοητα τα ἡμετερα), quemadmodum in Evangelio didicimus, ne passerem quidem cadere sine voluntate Patris nostri. Quare siquid contigit, voluntate contigit conditoris nostri (θεληματι γεγονε του κτισαντος ἡμας)" cfr. ep. 313. (al. 353.) ad Censit.; serm. 22. de providentia integr.; in hexaem. hom. 2. C. 5; hom. 5. C. 8; hom. 7. C. 5; hom. in Ps. 48, n. 10. — 12) Cyrill. Hieros. catech. 8. C. 14: „At divina scriptura et veritatis dogmata unum Deum norunt, qui omnia quidem potestatis imperio subjecta tenet, multa vero perfert, quia vult (πολλων δε ανεχομενον, δια το θελειν)." — 13) Greg. Naz. orat. 27. de paup. amore: „Quin potius et Deum rerum omnium parentem et effectorem credamus (quonam enim modo universum hoc extitisset, nisi ab aliquo procreatum atque concinnatum fuisset), et providentiam, quae universam hanc rerum machinam contineat, veluti vinculis astringat, simul inducamus" cfr. orat. 2. theol. — 14) Ambros. de vocat. gent. lib. 2. C. 8: „Cum justa et omnipotens providentia Dei inaccessabiliter universa dijudicat et nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat, nisi eo ortu atque decessu, quem rerum arbiter secundum altissimam scientiam suam sapientiamque decernit, sicut scriptum est in libro Job. C. 12. et 14." cfr. lib. 7. in Luc. C. 12. — 15) Chrysost. hom. 5. ad Coloss. C. 2: „Quod omnia sunt hujusmodi, ut de iis sit Dei cura et providentia, ex iis quoque, quae apud nos fiunt, potest conjici; nullum enim manet eorum, cujus non geratur cura et providentia" cfr. in Ps. 45 et 148; hom. 8. in ep. 2 ad Tim. — 16)

Hieron. in Ezech. C. 1; „Providentia Dei omnia gubernantur et quae putatur poena, medicina est,“ cfr. in Eccles. C. 9; in Is. C. 20. C. 28 et 41; in Jer. C. 12; in Ezech. C. 10. in Thren. C. 3; in Sophon. C. 1; in Matth. C. 10. — 17) Augustin. de civ. Dei lib. 5. C. 11: „Qui (Deus) non solum coelum et terram, nec solum angelum et hominem, sed nec exigui et contemtibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbae flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia et quadam veluti pace derelinquit; nullo modo est credendus, règna hominum eorumque dominationes et servitutes a suae providentiae legibus alienas esse voluisse“ cfr. 83 quaestst. quaest. 24; enchir. ad Laurent. C. 95; sermm. de divers. serm. 110. C. 5; de gen. ad lit. op. imperf. C. 5; de gen. ad lit. lib. 5. C. 21 et 22. integr.; lib. 8. C. 26; de agon. christ. C. 8; de ord. lib. 1. C. 1 et 5. — 18) Clem. Alex. contr. Julian. lib. 2: „Providentiam — Deus omnino gerit terrenorum etiam eorum, quae secundum Platonis ludum aliis concredita sunt; nam quod providus est et usque ad minima pertingat ejus cura et mititas, docebit ipse qui suum spiritum novit Deus“ cfr. lib. 5. — 19) Theodoret. scripsit sermones decem de providentia et probavit eam serm. 1. ex coelo, sole, luna et stellis; serm. 2. ex aere, terra, mari, fluviis et fontibus; serm. 3. ex humani corporis fabrica; serm. 4. ex manibus humanis et inventis artibus; serm. 5. ex imperio hominis in bruta. — 20) Greg. M. lib. 27. (in C. 37. Job.) C. 18. n. 35: „Qui summa regit, etiam extrema non deserit, quia sic impenditur maximis, ut tamen haec eadem cura regiminis non praepediatur a parvis; qui enim ubique praesens, et ubique aequalis est, etiam in dissimilibus sibi ipsi dissimilis non est; aeque ergo omnia respicit, aeque cuncta disponit,

qui in omnibus locis praesens, nec localiter tenetur, nec varia curando variatur.“ Conf. lib. 25. (in C. 34. Job.) C. 15. n. 33.

Summa omnium locorum est:

a) datur providentia, Iren. Clem. Alex. Minut. Felix, Orig. Greg. Naz. Hieron. Cyrill. Alex. Theodoret.;

b) sese extendens ad mundum universum, Minut. Felix, Greg. Naz.;

c) ad dispositionem omnium rerum, Tertull. Cyprian. Athan. Chrysost. Hieron. Greg. M.;

d) ad introitum et exitum vitae, Ambros.;

e) ad regna, ad dominationes et servitutes, Augustin.;

f) ad animalia, Basil.;

g) ad minima quaeque, Cyprian. Augustin. Cyrill. Alex. Greg. M. ac singularia Clem. Alex.;

h) quidquod consilium dando, Iren.; hinc

i) omnia voluntate Dei accidunt, Basil. Cyrill. Hieros.;

k) mala sunt ad correctionem hominum, Lactant. et saepissime ab his gignuntur, Tatian. Theophil.

Caput III.

Finis mundi et consummatio saeculi.

§. 24.

Quum, quidquid sub orbe terrarum existit, destructioni subjaceat; ipsam hanc terram nostram aliquando destructum iri, ratio ratiocinatur; vid. Senec. quaest. nat. 3. 29; Cic. de nat. Deor. 2, 46; id quod magis confirmat revelatio

A) *V. T.* In locis quibusdam, lingua licet poetica, haud obscure de fine mundi sermo est Job. 14, 12: „Sic homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur coelum (text. hebr. עַד־בִּלְתִּי שָׁמַיִם; donec non coelum, subintell. infinit. hebr. הֱיוֹת, esse i. e. erit vel fuerit), non evigilabit, nec consurget de somno suo"; Ps. 101, 26. 27: „Opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt (יֹאבֵדוּ), tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent"; Is. 34, 4: „Et tabescet (נָמַקּוּ, liquescent) omnis militia coelorum, et complicabuntur (נָגֹלּוּ), sicut liber coeli: et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu"; C. 51, 6: „Coeli sicut fumus liquescent (נִמְלָחוּ, deficient), et terra sicut vestimentum atteretur (תִּבְלֶה, veterascet) et habitatores ejus sicut haec interibunt (יְמוּתוּן morientur)" cfr. C. 50, 9; C. 54, 10; C. 64, 1—3; quidquod ex loco Is. 65, 17: „Ecce ego creo coelos et terram novam et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor" cfr. C. 66, 22., nisi allegorice intelligatur, nova terrae restauratio concludi potest; econtra adsunt loca, quae nil aliud innuant, nisi descriptionem allegoricam de immutatione terrae, de destructione coeli et creatione novi v. g. Ps. 45, 2—6; Is. 5, 30; C. 13, 10; Ezech. 32, 7; Joel 2, 10; C. 3, 20. 21; Hab. 3; attamen ex his quoque locis videre licet, opinionem de mundo destruendo non fuisse Hebraeis inusitatam ac novam; sic ait Talmud Sanhedrin fol. 97. col. 1: „ששה אלפים שנה הוי עלמא, sex mille annos durabit mundus" cfr. Jalkut Rubeni fol. 32. 2.

Eodem plane modo illa loca allegorice sunt intelligenda, in quibus coelum et terram in aeternum duratura mentio fit Ps. 77, 69: „Et aedificavit sicut unicor-

nium (text. hebr. רָמִים, excelsa) sanctificium suum in terra, quam fundavit in saecula"; Ps. 103, 5: „Qui fundasti (text. hebr. יָסַד, fundavit; 70: ὁ θεμελιων, fundans) terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi (עוֹלָם וָעֶד, saeculum et perpetuo)."

Mundum sex mille annos perduraturum, Judaeus quidam nomine Elias conjecturavit, id quod in Talmud et apud Rabbinos invenire licet, qui modo mystico ex sex creationis diebus, ex sex א (nam אלף denotat mille) in primo Genesis versu legendis, ex praecepto Ex. 23, 10. sex annos terram colendi finem mundi interpretari conantur.

B) *N. T.* dilucidissime hujus mundi destructionem et quidem per ignem, non solam immutationem aut reformationem, docet Matth. 5, 18: „Amen quippe dico vobis, donec transeat (παρελθη, praetereat, intereat, evanescat; in hoc sensu occurrit C. 24, 35. et Jac. 1, 10.) coelum et terra, jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant"; C. 13, 39: „Messis vero consummatio saeculi (συντελεια του αιωνος)"; haec consummatio saeculi hic in eodem sensu accipienda est, ac C. 28, 20. ubi finem mundi designat (contra Ammon); C. 24, 35: „Coelum et terra transibunt (παρελευσονται), verba autem mea non praeteribunt"; C. 28, 20: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (ἑως της συντελειας του αἰωνος); ad Rom. 8, 19: „Exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat"; hic alludi ad 2 Petr. 3, 13. et Apoc. 21, 1. 2. per se patet; — 1 ad Cor. 7, 31: „Praeterit enim figura hujus mundi (παραγει γαρ το σχημα του κοσμου τουτου)"; videtur quidem hic locus de externa metamorphosi hu-

jus $\kappa o\sigma\mu o\upsilon$ visibilis intelligendus; attamen cum aliis s. scripturae locis est comparandus. — 2 Petr. 3, 10—14: „Adveniet dies Domini, ut fur (cfr. 1 ad Thess. 5, 2; Apoc. 3, 3; C. 16, 15.), in quo coeli magno impetu transibunt, elementa ($\sigma\tau o\iota\chi\epsilon\iota\alpha$ = materiae originariae) vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur ($\kappa\alpha\tau\alpha\kappa\alpha\eta\sigma\epsilon\tau\alpha\iota$). Cum igitur haec omnia dissolvenda sunt ($\tau o\upsilon\tau\omega\nu$ — $\pi\alpha\nu\tau\omega\nu$ $\lambda\upsilon o\mu\epsilon\nu\omega\nu$), quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini (text. gr. $\tau o\upsilon$ $\Theta\epsilon o\upsilon$, Dei), per quem coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus"; Apoc. 21, 1: „Et vidi coelum novum et terram novam. Primum enim coelum et prima terra abiit ($\pi\alpha\rho\eta\lambda\vartheta\epsilon$ = praeteriit, interiit, en supra Matth. 5, 18.) et mare jam non est" cfr. C. 20, 11. Hic locus, ait Berthold in christolog. Judaeor. pag. 213. respicit prophetiam Is. 65, 17; C. 66, 22., cui male (in dubium voco, an tam male) intellectae Judaeos doctrinam de creatione mundi novi superstruxisse constat Emek Hammelech fol. 1, 21. col. 3: „Post aetatem Messianam renovabit Deus S. B. mundum, atque adeo locus gehennae purificetur et sanctificetur.

Finis generis humani ita se habet, ut finis singulorum hominum; tempus illic, ut hic, latet Matth. 24, 36; hinc monet Jesus dicendo v. 42: „Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus esset"; attamen signa quaedam quasi praenuntia docent Jesus et Apostoli; sic praeibit

a) adventus Antichristi 2 ad Thess. 2, 3: „Nequis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio

(scil. a religione christiana) primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis (ὁ ἀνθρωπος της ἁμαρτιας, ὁ υἱος της ἀπωλειας)"; hic non est subintelligendus Simon ben Gorion, Joannes, Eleazer, aut Barchochebas, aut natio universa judaica, sed persona characteristica et specialis v. 4—11; et 1 Joan. 2, 18; C. 4, 3;

b) conversio Ethnicorum et Judaeorum Joan. 10, 16: „Fiet unum ovile, et unus pastor" α) Ethnicorum Matth. 24, 14: „Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus et tunc veniet consummatio (τελος, finis)"; β) Judaeorum ad Rom. 11, 25. 26: „Coecitas (πώρωσις, obduratio) ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret (σωθησεται, salvabitur, scil. transeundo ad religionem christianam)";

c) revelatio quaedam tum in orbita solis et stellarum, tum in terra Matth. 24, 29. usque ad finem.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 2. (al. 1.): „Nos exustionem (την ἐκπυρωσιν scil. mundi) futuram esse, dicimus." — 2) Tatian. orat. adv. Graec. C. 41: „Et — alius, mundum indissolubilem: ego solvendum (λυομενον) reor; alius per temporum vices incendium exspectat: ego semel duntaxat" cfr. C. 35. — 3) Athenag. leg. pro Christ.: „Hac ratione etiam Stoici conflagratura esse omnia et denuo nascitura dicunt." — 4) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Quod pertinet ad conflagrationem mundi (περι ἐκπυρωσεως κοσμου), volentes nolentes consentanea prophetis dixerunt (poetae et philosophi)." — 5) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 6: „Malignantes — et praeteritionem coeli et terrae ignorant; Paulus autem non

ignoravit dicens: praeterit enim figura hujus mundi." — 6) Tertull. contr. Marc. lib. 3. C. 24: „Tunc et mundi destructione et judicii conflagratione commissa — transferemur in coeleste regnum." — 7) Clem. Alex. strom. lib. 5. C. 14: „Nec mihi praetereundus Empedocles; physice enim sic rerum omnium instaurationis meminit, ut ignis in naturam cuncta olim mutatum iri pronuntiet. Qua in opinione Heraclitus Ephesius manifeste versatur. — Affinia docentur a Stoicorum eruditissimis, cum ab iis de conflagratione — mundi — disputatur." — 8) Minut. Felix Octav. C. 34: „Quis enim sapientum dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt occidere? Quae facta sunt, interire? Coelum quoque cum omnibus, quae coelo continentur, ita ut coepisse, desinere? — 9) Orig. de princip. lib. 1. C. 6. n. 1: „Finis mundi et consummatio dabitur — quod tempus Deus solus agnoscit, quando unusquisque, quod meretur, expendit" cfr. n. 4; in Gen. hom. 5. n. 4; in Matth. comment. tom. 13; in Matth. comment. series tract. 30. — 10) Cyprian. lib. ad Demetrian.: „Nemo mirari debeat, singula in mundo coepisse deficere, quando totus ipse mundus in defectione sit et in fine." — 11) Basil. ep. 139. (al. 71.) ad Alexandrin. C. 2: „Creatura omnis dissolvetur, et transmutabitur mundi hujus figura (μεταποιηθησεται το σχημα του κοσμου)" cfr. ep. 6. (al. 189.) ad Nectar. uxorem; in hexaem. hom. 1. C. 3. — 12) Cyrill. Hieros. catech. 15. C. 3: „Fiet mundi hujus consummatio." — 13) Ambros. comment. in Apoc. C. 21: „Coelum et terra et caetera, quae modo videmus, ab igne consumentur, non ut penitus deleantur, sed ut in meliorem statum per ignem reparentur." — 14) Epiphan. haer. 64: „Totus mundus igne diluitur" cfr. haer. 66. — 15) Hieron. in Is. C. 13: „In sex diebus mundum istum factum legimus, qui juxta tradi-

traditiones ecclesiasticas postea consummabitur" cfr. in C. 65; in Jerem. C. 52; in Dan. C. 2. — 16) Augustin. de civ. Dei lib. 20. C. 16: „Tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt." —

Ex his locis patet, ss. patres docere

a) dari mundi finem et consummationem, Orig. Cyrill. Hieros. Hieron. et defectionem Cyprian. ejusque figuram mutari, Basil.;

b) mundum destrui Tertull.; et solvi Tatian., atque exuri Justin. conflagratione Athenag. Theophil. et igne deleri Epiph. aut consumi ab igne Ambros.;

c) coelum et terram praeterire Iren. et desinere Minut. Felix.

Sunt nonnulli ss. patres, qui α) aetatem mundi ad sex tantum annorum millia redigant v. g. Justin. vel auctor quaest. et respons. ad Orthodox. quaest. 71; Iren. adv. haer. lib. 5; Lactant. institut. div. lib. 7. C. 14 et 26; Hilar. comment. in Matth. C. 17; Hieron. ad Cyprian. ep. 139; August. de civ. Dei lib. 20. C. 7; β) aut finem ejusdem sua jam aetate adesse opinentur v. g. Basil. ep. 71; Ambros. comment. lib. 10. in Luc. C. 20; Hieron. ad Algas.; Greg. M. lib. 4. ep. 34 et 38; hom. 1. in Evang.; id vero locis s. scripturae ab iis perperam intellectis attribuendum quis est, quin intelligat?

b) Concil. Lateran. 4. C. 1. ait de secundo salvatoris nostri Jesu Christi adventu: „Venturus (Christus)

in fine saeculi" simulque praedicatoribus interdicit, ne de tempore certi quid pronuntient C. Supern. majest.: „Sacro approbante concilio statuimus et ordinamus — tempus praefixum futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut certum diem judicii praedicare vel asserere nequaquam praesumant, cum Veritas dicit, non esse nostrum, nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate."

Sectio III.

Pneumatologia biblica

sive

doctrina de angelis bonis et malis.

Caput I.

Angeli boni.

§. 25.

I. Existentia angelorum.

Ipsa ratio spiritus hominibus sublimiores existere, argumentatur; nam

a) Deum, qui omnipotens est, et cujus creandi vis in infinitum progreditur, entia tantummodo sensualia et corporalia nec entia spiritualia et invisibilia creasse, cogitari neutiquam potest.

b) Analogia et infinitus omnium rerum in Universo existentium progressus de minimo ad maximum ascendens nos penitus convincunt, esse entia sublimiora, hominem longe praecedentia; et quod ratio suspicatur, id revelatio extra omnem dubii aleam collocat.

A) *V. T.* Vox: מַלְאָךְ, angelus varias habet significationes; est

a) in genere nuntius, legatus Gen. 24, 7; Num. 20, 14. 16; Jos. 6, 17; 1 Reg. 11, 3; Job. 1, 14;

b) in specie

α) angelus; inde מַלְאַךְ יְהוָה Gen. 16, 7. 9; C. 21, 17; C. 22, 11. 15; C. 28, 12; C. 31, 11; C. 32, 1; Jud. 6, 11. 12. 20. 22; quae vox nonnunquam Deum ipsum significare videtur; sed occurrunt quoque loca, ubi Jehovah ab angelo distincte secernitur Ex. 14, 19; Num. 20, 16; Jud. 2, 1;

β) prophetae, presbyteri Eccl. 5, 5; Agg. 1, 13; Mal. 2, 7; C. 3, 1; aut doctores Is. 33, 7;

γ) gens ipsa judaica Is. 42, 19;

c) quodvis objectum vita carens, ceu symbolum voluntatis Dei manifestatae Ps. 34, 5. 6; Ps. 77, 49;

d) quaevis poena, clades, calamitas, uti et fortuna aut salus a Jehovah in homines immissa Ex. 23, 20. 23; C. 32, 34; C. 33, 2; 2 Reg. 24, 16. 17; 4 Reg. 19, 35; (cfr. Ex. 12, 23; Tob. 1, 21; Eccles. 48, 24; Is. 37, 36; 1 Macch. 7, 41; 2 Macch. 8, 19.) 1 Paral. 21, 12. 15. 16. 18. 20. 27. 30; 2 Paral. 32, 21; Ps. 34, 5. 6; Prov. 17, 11;

e) vox quaedam interna et occulta, cum additamento: הַמַּלְאָךְ הַדֹּבֵר בִּי, angelus loquens in me Zach. 1, 9. 13. 14. 19; C. 2, 3; C. 4, 1. 4. 5; C. 5, 10; C. 6, 4.

Angeli sunt creaturarum genus hominibus longe sublimius, quos invisibiles, insignibus dotibus praeditos, omni materia carentes vocamus, quorum ministerio Deus utitur in regno oeconomiae moralis aut theocraticae. Fides in angelos in V. T. distincte exprimitur; gubernium quippe Dei more gubernii regis Israelitici consideratum fuit, cujus imperio et nutu multae creaturae, licet invisibiles, ad ministerium ejus paratae adstant, regnum judaicum custodientes, talisque conceptus spirituum invisibilium ex regnis terrenis formatus aetati, ut tunc erat, puerili maxime accommodatus et regno, ut erat Israeliticum, theocratico plane consentaneus videtur; quidquid igitur accidit vel bonum vel malum in rebus et causis gravissimis; factum quodvis extraordinarium viresque humanas excedens angelis imperante Deo apparentibus tribuebatur; sic fuit in quavis periodo.

1) In periodo mosaica Gen. 28, 12. 13: „(Jacob) vidit in somnis (text. hebr. וַיַּחֲלֹם וְהִנֵּה et somniavit et ecce) scalam stantem super terram et cacumen illius tangens coelum: (text. hebr. וְהִנֵּה et ecce) angelos quoque Dei (מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים) ascendentes et descendentes

per eam: (text. hebr. וְהִנֵּה et ecce) et Dominum innixum scalae dicentem sibi: ego sum Dominus Deus Abraham"; hic angeli a Jehovah distincte secernuntur, in somnio quidem, sed absque existentiae suae detrimento en loca parallela C. 16, 7—14. et C. 18; C. 32, 1. 2. — Ex. 14, 19: „Tollensque se angelus Domini (מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים), qui praecedebat castra Israel ante eos" cfr. C. 23, 20—23; C. 33, 2—6; Num. 20, 16; Jud. 2, 1; hic occurrit angelus Domini, distinctus a Deo ipso coll. Ex. 3, 2; C. 13, 21., ubi pro angelo יְהוָה ponitur.

2) In periodo sequenti eadem fides apud Hebraeos invenitur Jud. 6, 11: „Apparuit ei (Gideoni) angelus Domini (מַלְאַךְ יְהוָה) et ait: Dominus tecum virorum fortissime" et v. 21. 22: „Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus, vidensque Gedeon, quod esset angelus Domini, ait (text. hebr. addit: גִּדְעוֹן Gideon): heu mi Domine Deus: quia vidi angelum Domini facie ad faciem"; hic locus aperte ostendit, fidem in angelos non fuisse ex cerebro productum aut quoddam commentum aut effectum phantasiae hominis melancholici cfr. C. 13, 3. 6. 9. 20. 21. 22; 4 Reg. 1, 3: „Angelus autem Domini (מַלְאַךְ יְהוָה) locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: surge et ascende"; sic et v. 15. cfr. 3 Reg. 13, 18; hic angelus a propheta, qui vi muneris Dei nuntius esse potest, probe secernitur mandata Dei Eliae referens. Job. 4, 17. 18. 19: „Nunquid homo, Dei comparatione (מֵאֱלוֹהַּ prae Deo) justificabitur, aut factore suo purior erit (יִטְהַר mundabitur) vir. Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles (text. hebr. בַּעֲבָדָיו לֹא יַאֲמִין, in servis suis non credet) et in angelis suis (בְּמַלְאָכָיו) reperit pravitatem (תָּהֳלָה, vitium, defectus; 70: σκολιον τι; Syr. stupor; Chald. iniquitas). Quanto magis (אַף etiam) hi, qui habitant domos luteas?" cfr. C. 15, 15; hic an-

geli a Deo et hominibus distinguuntur et hominibus natura subliniores praeferuntur; quidquod בְּנֵי אֱלֹהִים, filii Dei Cap. 1, 6. C. 2, 1. ibi occurrentes et C. 38, 7. ante creationem mundi existentes nil aliud esse possunt, quam angeli.

3) In Psalmis apparent angeli

a) modo symbola providentiae = Jehovah Ps. 33, 8: „Immittet (חֹנֶה castrametans) angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos“; Ps. 90, 11. 12;

b) modo entia realia Ps. 88, 7. 8: „Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei (= angelis)? Deus, qui glorificatur (נַעֲרָץ, terribilis) in concilio sanctorum (= angelorum cfr. v. 6.)“ Ps. 102, 20: „Benedicite Domino omnes angeli ejus (text. hebr. מַלְאָכָיו sine כֹּל), potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus“; Ps. 103, 4: „Qui facis angelos tuos (text. hebr. עֹשֶׂה מַלְאָכָיו faciens angelos suos) spiritus et ministros tuos מְשָׁרְתָיו ministros suos) ignem urentem“; hic locus omnino conformis est illi ad Hebr. 1, 7.

Ex hactenus dictis apparet, hanc doctrinam longe ante exilium viguisse nec a Chaldaismo ad Judaismum transiisse.

4) In periodo prophetica et post exilium doctrina de angelis magis magisque ampliata objectum fidei judaicae est, et his entibus supernaturalibus nomina propria, virtutis et effectus eorum designantia, attribuuntur; hinc descriptio iis plane digna. Tob. 12, 15. secundum Vulg.: „Ego sum Raphael angelus unus ex septem, qui astamus ante Deum (text. gr. ἐγω εἰμι Ῥαφαηλ εἱς ἐκ των ἑπτα ἀγγελων των ἁγιων οἱ προσαναφερουσι τας προσευχας των ἁγιων, και ἐκπορευονται ἐνωπιον της δοξης του ἁγιου, ego sum Raphael unus ex septem angelis sanctis,

qui offerunt, orationes sanctorum et ambulant ante gloriam sancti)" cfr. C. 3, 25; C. 5, 27; C. 7, 5; C. 8, 3; C. 9, 1; C. 10, 11; C. 11, 2; Judith 13, 20. secundum Vulg.: „Vivit autem Dominus, quoniam custodivit me angelus ejus et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem"; hic angelus Dei a Jehovah distinguitur, et licet hic locus est orandi formula; inde tamen patebit, existentiam angelorum creditam fuisse. Dan. 10, 5. 6: „Et ecce vir unus vestitus lineis et renes ejus accincti auro obrizo: et corpus ejus quasi chrysolithus et facies velut species fulguris et oculi ejus ut lampas ardens (text. hebr. כְּלַפִּידֵי אֵשׁ ut lampades ignis) et brachia ejus et quae deorsum sunt usque ad pedes (text. hebr. tantum: וּמַרְגְּלֹתָיו et pedes ejus), quasi species aeris candentis: et vox sermonum ejus ut vox multitudinis"; quis sub hoc viro intelligatur, patet ex praecedenti C. 3, 49: C. 6, 22. scil. angelus Domini; Zach. 3, 1: „Et ostendit mihi Dominus Jesum (יְהוֹשֻׁעַ Jehosuah) sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini (לִפְנֵי מַלְאַךְ יְהוָה) et Satan stabat a dextris ejus, ut adverseretur ei"; hanc quoque visionem existentiae angelorum nil derogare, quis negabit?

Inde nomina eorum propria et gradus

a) Michael (מִיכָאֵל, quis ut Deus), angelus tutelaris Persarum Dan. 10, 13; Graeciae v. 20; terrae judaicae v. 21; κατ' ἐξοχὴν Israelitarum C. 12. 1.

b) Gabriel (גַּבְרִיאֵל, fortitudo Dei) Dan. 8, 16; C. 9, 21.

c) Raphael (רְפָאֵל, 70: Ῥαφαήλ, sanatio Dei) Tob. 3, 25; C. 5, 17; C. 6, 16; C. 12, 15.

d) Uriel (אוּרִיאֵל; 70; ουριηλ, lumen, ignis Dei) in libro apocrypho 4 Esdr. 4, 1., ubi eodem capite vers. 36. archangelus Jeremiel (i. e. celsitudo Dei) et C. 5, 16. Salathiel (h. e. potentia Dei = Gabriel) occurrunt.

e) Cherubim (כְּרוּבִים, magni, potentes, fortes) apparent ceu custodes paradisi Gen. 3, 24; adstant arcae sacrae Ex. 25, 18—21; 2 Paral. 3, 10. 14; solium Dei custodientes et portantes 1 Reg. 4, 4; 2 Reg. 6, 2; C. 22, 11; 3 Reg. 6, 23—36; 1 Paral. 28, 18; Ps. 17, 11; Ps. 79, 2; Ps. 98, 1; Eccles. 49, 10; Ezech. 1, 5—15; C. 10. integr.; regibus hoc nomen tribuitur Ezech. 28, 14. Omnibus hypothesibus comparatis patebit, sub hac voce angelos Dei, ergo entia, non imaginaria, sed realia, Deo astantia intelligi, et licet e locis Ezechielis visio promanet; symbolum tamen a re distinguendum est; hinc (sic Gabler et Herder) 4 periodos distinguere licet; a) sunt custodes paradisi, b) opera artificialia in sanctuario, c) thronum Dei portant, d) in visione prophetica apparent.

f) Seraphim שְׂרָפִים; vox haec distinguenda erit a שָׂרָף, coluber, regulus, 70: βασιλικος uti Num. 21, 8; Deut. 8, 15, Is. 14, 29; C. 30, 6. occurrit: rectius hic denotant nobiles, principes magnates nobilitate claros), genus quoddam angelorum sublimiorum docente R. Kimchi: מַלְאֲכֵי־אֵשׁ, angeli ignis i. e. ignei, in forma ignis et lucis Is. 6, 2—7.

g) Militia coeli (צְבָא הַשָּׁמַיִם) designat

α) astra coeli Deut. 4, 19. Vulg. astra coeli: C. 17, 3; 4 Reg. 17, 16; C. 21, 3. 5; C. 23, 4. 5; Is. 40, 26; Jer. 19, 13; C. 33, 12., Vulg. stellae coeli; Dan. 8, 10., Vulg. fortitudo coeli;

β) angelos 3 Reg. 22, 19; 2 Paral. 18, 18; 2 Esdr. 9, 6; Ps. 102, 21. et Ps. 148, 2., Vulg. virtutes coeli; Dan. 4, 32., Vulg. virtutes coeli

B) *N. T.* Vox: ἀγγελος, angelus denotat

a) nuntium, legatum in specie prophetam Matth. 11, 10; Marc. 1, 2; Luc. 7, 27; ad Gal. 4, 14;

b) doctorem ecclesiae, verbi divini interpretem Apoc. 1, 20; C. 2, 1; C. 3, 1 etc.;

c) designatur sub hac voce poena quaevis extraordinaria a Deo in homines immissa; quodvis factum extraordinarium, quo Deus tanquam symbolum utitur Act. 12, 23.

d) ens reale, intellectu et voluntate praeditum, inferius Deo, sublimius homine, de quo hic sermo.

1) Jesus Christus loquitur de angelis ita, ut fidem in angelos realiter existentes satis superque confirmet eamque fidem in coaevis suis supponat; si igitur haec entia symbolice tantum intelligenda forent; discipulos suos Jesus certe de errore edocuisset, uti in aliis objectis gravissimis egit; jam vero tam distincte, tam vere, tam certe sine omni accommodatione effatur, ut symbola hic intelligi opinio esset absurdissima; ergo Matth. 13, 37—40: „Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. — Messores autem angeli (ἄγγελοι) sunt"; jam vero Filius hominis, filii regni sunt entia realia; ergo et angeli non possunt non esse entia realiter existentia cfr. v. 41 et 49; C. 18, 10: „Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum (οἱ ἄγγελοι αὐτων) in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est"; hoc argumentum nisi fundamento careat, angeli denominati debent existere; alias vana esset argumentatio et nil nisi tavtologia mere inutilis. C. 22, 30: „In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt, sicut angeli Dei (ἄγγελοι του Θεου) in coelo" cfr. Marc. 12, 25; Luc. 20, 36; Jesus hic vers. 20. cum Sadducaeis rem habet, angelorum existentiam negantibus Act. 23, 8; nihilo tamen minus existentiam eorum palam defendit, quibus homines aliquando immortalitate aequales erunt; quomodo angeli proponi possunt, si haec Jesu allocutio nil nisi accommodatio sit? Quidquod v. 33. 34. omnes con-

tenti abierunt, quin Jesum refutare valerent; C. 25, 31; „Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli (text. gr. παντες οἱ ἁγιοι ἀγγελοι) cum eo; tunc sedebit super sedem majestatis suae" cfr. C. 16, 27; C. 24, 31; Marc. 8, 38; C. 13, 27; Luc. 9, 26; 1 ad Thess. 4, 15; 2 ad Thess. 1, 7; hic angeli cum Filio hominis in gradu parallelo at diverso occurrunt; ergo sunt entia realiter existentia. — C. 26, 53: „An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus, quam duodecim legiones angelorum (ἀγγελων)"; vox: angelus significationem nuntii habere neutiquam potest, quia Jesus legiones angelorum Petro infirmo, licet se defendenti opponit, consequenter entia realia intellexit. — Marc. 13, 32: „De die autem illo, vel (text. gr. και) hora nemo scit, neque angeli (οἱ ἀγγελοι) in coelo, neque Filius, nisi Pater" cfr. Matth. 24, 36; angeli cum Filio et Patre in una serie occurrentes sunt intelligentiae reales; alias Christus eorum certe non meminisset. — Luc. 12, 8. 9: „Dico autem vobis: omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei (ἐμπροσθεν των ἀγγελων του Θεου); qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei (ἐνωπιον των ἀγγελων του Θεου)"; angeli habentur hoc in loco cives coelorum, uti homines cives terrae; ergo angeli ceu entia realia in gradu ab hominibus longe diverso existunt cfr. C. 15, 10; C. 16. 22. Joan. 1, 51: „Amen, amen dico vobis: videbitis coelum apertum et angelos Dei (τους ἀγγελους του Θεου) ascendentes et descendentes supra Filium hominis"; hic locus etsi nil aliud dicere videtur, quam effatum: amodo magnas et extraordinarias res a me gerendas videbitis; est tamen argumentum, Jesum fidem in angelos realiter existentes confirmasse.

2) Apostoli eandem, quam Jesus tradidit, fidem in angelos dilucide produnt et tradunt ad Rom. 8, 38. 39:

„Certus — sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli (ἄγγελοι), neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei"; cum angeli cum objectis realiter existentibus comparantur et conjunguntur et creaturae vocantur; sub his s. Paulus certe entia realia intellexit, nisi sibi ipsi desipere vellet; — 1 ad Cor. 4. 9: „Spectaculum facti sumus mundo et angelis (ἀγγέλοις) et hominibus"; ad quid inanis, immo perniciosa tavtologia, nisi realitas ipsi subesset? Insuper angeli distinguuntur ab hominibus. — C. 11, 10: „Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos (διὰ τους ἀγγελους)"; alii sub angelis intelligunt legatos coetuum gentium alienarum aut prophetas, alii angelos in sensu stricto, quod et verisimile est, quippe qui exemplar cultus divini proponuntur et quibus mulieres modestia et pietate et pudore similes fieri oportet. cfr. C. 13, 1. — Ad Gal. 1, 8: „Licet nos aut angelus (ἄγγελος) de coelo evangelizet vobis: praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit"; certe s. Paulus angelos realiter existentes supposuit, quia se sociosque suos illis opponit; 1 ad Timoth. 5, 21: „Testor coram Deo et (text. gr. addit: κυριου) Christo Jesu et electis angelis (τῶν ἐκλεκτων ἀγγελῶν), ut haec custodias, sine praejudicio"; si angeli aeque ac Deus et Jesus Christus in testimonium vocantur; vera supponitur illorum realitas, nec ecclesiae praesules hic intelligi possunt, quippe qui absentes testimonium perhibere nequeunt. — Ad Hebr. 1, 4. 5. 6. 7. 13. 14: „(Christus) tanto melior angelis (τῶν ἀγγελων) effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu. — Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae; dicit: et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flam-

mam ignis. — Ad quem autem angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii spiritus (λειτουργικα πνευματα), in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis"; omnis s. Pauli argumentatio et comparatio fundamento careret, nisi realitas illi subesset; nonne Paulo, Jesu dignitatem prae angelis extollenti, congruentius et facilius fuisset, aliis uti argumentis iisque melioribus, nisi credidisset, hanc comparationem omnino quadrare; in qualem errorem legentes hanc epistolam deducti fuissent? At Paulus ulterius dicit, angelorum ministerium in N. T. tolli et omnia Filio soli rerum omnium Domino subjici C. 2, 2. 5. 7. 9. 16. sicque Christum angelis longe sublimiorem et potentiorem describit. — C. 12, 22: Accessistis ad — Jerusalem coelestem et multorum millium angelorum (ἀγγελων) frequentiam"; cfr. v. 23. 24. 25; quis angelos in hac serie collocatos non esse entia realia negare audebit? — 1 Petr. 1, 12: „Quibus (prophetis) revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nunciata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de coelo, in quem desiderant prospicere" cfr. ad Gal. 3, 19. hoc in loco angeli manifeste distinguuntur a caeteris Dei nuntiis, prophetis et Apostolis; ergo sunt entia realia. C. 3, 22. cfr. 1 ad Cor. 15, 28; ad Hebr. 1, 4.

His argumentis accedit, quod Evangelistae de angelorum visionibus enarrent, queis fidem in eos penitus profitentur

a) Angelus apparet Zachariae Luc. 1, 11. 18, 19;
b) beatae virgini Mariae v. 28—34;
c) s. Josepho Matth. 1, 20. 24; C. 2, 13. 19;
d) pastoribus prope Bethlehem Luc. 2, 9. 10. 13. 15;
e) Jesu α) ad ministerium Matth. 4, 11; Marc. 1, 13;
β) ad confortandum in agone Luc. 22, 43;

f) ad nuntiandum α) resurrectionem Jesu Matth. 28, 2—8; Marc. 16, 5—8; Luc. 24, 4—8; Joan. 20, 12; β) ascensionem ejus Act. 1, 10;
g) angelus educit Apostolos e carcere Act. 5, 19;
h) Philippum in desertum Act. 8, 26;
i) angelus apparet Cornelio Act. 10, 3. 7. 22. cfr. C. 11, 13;
k) s. Petro in carcere Act. 12, 7—12;
l) s. Paulo Act. 27, 23;
m) s. Joanni in visione Apoc. 1, 1; C. 22, 6. 16.

Sunt et nomina propria et classes angelorum
α) Michael (μιχαηλ) Jud. 9; Apoc. 12, 7.
β) Gabriel (γαβριηλ) Luc. 1, 19. 26.
γ) Septem spiritus Dei (ἑπτα πνευματα του Θεου) ante thronum Apoc. 4, 5.
δ) Militia coelestis (στρατια οὐρανιος) Luc. 2, 13.
ε) Archangeli (ἀρχαγγελοι) 1 ad Thess. 4, 15.
ζ) Principatus (ἀρχαι), potestates (ἐξουσιαι), virtutes (δυναμεις), dominationes (κυριοτητες), throni (θρονοι), ad Eph. 1, 21; C. 3, 10; ad Col. 1, 16; C. 2, 15; 1 Petr. 3, 22.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. dial. 1. Tryph.: „Caeterum angelos esse (ὅτι μεν οὐν εἰσιν ἀγγελοι) et semper manere et in id per dissolutionem non redire demonstratum est.“ — 2) Athenag. legat. pro Christ.: „Et angelorum copiam esse dicimus ministrorum, quos conditor et opifex mundi Deus per verbum suum (δια του παρ' αὐτου λογου) — distribuit atque disposuit.“ — 3) Tertull. apol. adv. gent. C. 22: „Dicimus esse substantias quasdam spirituales; nec nomen novum est.“ — 4) Orig. de princip. praef. n. 10: „Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione, esse angelos quosdam Dei et virtutes bonas.“ — 5) Lactant. instit. div. lib. 4. C. 8: „Sanctae literae docent, in quibus cautum est, illum Dei Filium, Dei esse sermonem itemque caeteros ange-

los Dei spiritus esse, — magna inter hunc Dei Filium caeterosque angelos differentia est." — 6) Augustin. de civ. Dei lib. 11. C. 9: „Etiam hic apertissime a Deo factos esse angelos divinitus dictum est" cfr. lib. 5. C. 19; in Ps. 103; de Gen. ad lit. — 7) Theodoret. div. decret. epit. C. 5. de angel.: „Ab universorum Deo angelos factos esse credimus." — 8) Greg. M. epp. lib. 5. ep. 54. ad univ. regni Childeb. episc.: „Dum sunt angeli et sunt archangeli, liquet, quod non sunt aequales, sed in potestate et ordine, sicut nostris; differt alter ab altero" cfr. moral. lib. 17. (in C. 25. Job.) C. 13. n. 18.

Ex his dictis patet, a) angelos esse, Justin. Orig. Lactant. seu substantias spirituales, Tertull. a Deo creatas Athenag. Augustin. Theodoret. tum inter se Greg. M. tum a Dei Filio longe differentes Lactant.

Classis angelorum a ss. patribus constituta est haec: angeli, archangeli, dominationes, throni, virtutes, principatus, potestates; inde orta est hierarchia coelestis, quae Dionysio Areopagitae (Act. 17, 34.) adscribitur, tres classes totidemque gradus enumeranti: α) Seraphim, dominationes, principatus, β) Cherubim, virtutes, archangelos, γ) thronos, potestates, angelos; quae classes ab authore vocantur διακοσμοι et διακοσμησεις. —

b) Concil. Lateran. 4. C. 1. sic docet: „Unum (est) principium, creator omnium, visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem et spiritu et corpore constitutam."

§. 26.

II. Natura et proprietates angelorum.

A) *V. T.* angelorum naturam varie describit; nam vocantur

1) sancti

1) sancti Tob. 3, 25: „Missus est (secundum Vulg.) angelus Domini sanctus Raphael" cfr. C. 10, 11;

2) Deum in aeternum laudantes et adorantes 2 Esdr. 9, 6: „Exercitus coeli (= angelorum chorus) te adorat (לְךָ מִשְׁתַּחֲוִים, tibi se incurvantes) cfr. Ps. 102, 20; Is. 6, 3; Dan. 3, 58;

3) potentes Ps. 102, 20: „Angeli ejus potentes virtute (גִּבֹּרֵי כֹחַ)";

4) innumerabiles Dan. 7, 10: „Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei";

5) homine sublimiores Ps. 8, 6: „Minuisti eum (hominem) paulo minus, ab angelis (text. hebr. מֵאֱלֹהִים)"; inde venit, ut praedicato angelorum insigniantur a) homines moraliter boni 1 Reg. 29, 9; b) reges et terrae magnates more orientali 2 Reg. 14, 17. 20; C. 19, 27; Esth. 15, 16; c) homines pacifici Is. 33, 7.

B) *N. T.* sublimiora, quam V. T., angelis tribuit praedicata; nam sunt

1) spirituales Matth. 22, 30: „Neque nubent, neque nubentur" cfr. ad Hebr. 1, 14;

2) coelestes Matth. 18, 10: „Angeli — in coelis (*ἐν οὐρανοις*)" cfr. Marc. 13, 32;

3) immortales Luc. 20, 36: „Neque enim ultra mori poterunt (*οὐτε — ἀποθανειν ἐτι δυνανται*); aequales enim angelis sunt";

4) dilecti a Deo, quia vident eum Matth. 18, 10: „Angeli eorum (pusillorum) in coelis semper vident faciem (*δια παντος βλεπουσι το προσωπον*) Patris mei, qui in coelis est"; hinc vocantur angeli Dei Matth. 22, 30; Luc. 12, 8. 9; C. 15, 10; Joan. 1, 51;

5) sancti Marc. 8, 38: „Cum venerit (Filius hominis) in gloria Patris sui cum angelis sanctis (*μετα των ἀγγελων των ἁγιων*)" cfr. Luc. 9, 26; inde vocantur a) electi 1 ad Tim. 5, 21; b) de bono laetantes Luc.

15, 7—10; 1 Petr. 1, 12; c) dispositiones ad salutem hominum a Deo factas admirantes ad Eph. 3, 10; 1 Petr. 1, 12; d) cupiditatibus omnibus liberi Matth. 22, 30., libertate tamen morali praediti 2 Petr. 2, 4; Jud. v. 6;

6) hominibus longe sublimiores Matth. 22, 30; Luc. 20, 36; ad Hebr. 1;

7) scientia majori, quam illi, praediti, dicente Jesu, angelos diem judicii (Marc. 13, 32.) latere; ergo respectu hominum scientiae gradu eminent;

8) potentes 2 ad Thess. 1, 7: „Angeli virtutis ejus (δυναμεως αὐτου)" cfr. Matth. 25, 41; ad Rom. 8, 38. 39; 2 Petr. 2, 11: „Angeli fortitudine et virtute — majores (ισχυι και δυναμει μειζονες)";

9) numero plures et innumerabiles Matth. 26, 53: „Duodecim legiones angelorum"; Luc. 2, 13: „Multitudo militiae coelestis"; ad Hebr. 12, 22: „Multa millium angelorum frequentia"; Apoc. 5, 11: „Erat numerus eorum millia millium (text. gr. μυριαδες μυριαδων και χιλιαδες χιλιαδων)";

10) beati sine fine Matth. 18, 10; Luc. 20, 36.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 34: „Attendamus ad universam angelorum ejus multitudinem, quomodo adstantes voluntati ejus famulentur (πως τῳ θεληματι αὐτου λειτουργουσιν παρεστωτες)." — 2) Lactant. institut. div. lib. 4. C. 8: „Illi (angeli) enim ex Deo taciti spiritus exierunt." — 3) Hilar. comment. in Matth. can. 18: „Nonaginta novem non errantes, multitudo angelorum coelestium opinanda est, quibus in coelo est laetitia et cura salutis humanae." — 4) Basil. de spir. s. C. 16. n. 38: „Angelorum perfectio est sanctificatio et in hac perseverantia (τελειωσις ἀγγελων, ἁγιασμος και ἡ ἐν τουτῳ διαμονη)." — 5) Augustin. in Ps. 103: „Spiritus — angeli sunt, et cum spiritus sunt, non sunt angeli? — quaeris nomen hujus naturae? Spiritus

est.“ cfr. de civ. Dei lib. 11. C. 5. — 6) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 4. C. 10: „Angeli — natura incorporei sunt“; ergo angeli sunt incorporei, Cyrill. Alex.; seu spiritus Lactant. Augustin.; sancti Basil.; voluntatem Dei explentes Clem. Rom. et de salute hominum gaudentes Hilar.; si Tertull. in lib. de carne Christi et adv. Marc. lib. 2. C. 8. angelis corpus attribuat; quid de his duobus libris sentiendum sit, nemo non ignorat.

b) Concil. Nicaen. 2. oecum. 7. anno 781. declarat: „Veneramur imagines sanctorum et incorporeorum angelorum“; ergo approbavit tantum sententiam de pingendis angelis, quia limitati (περιγραπτοι) sunt et multis in figura humana apparuerunt, neutiquam vero probavit totam doctrinam Joannis Thessalon. angelos corporeos declarantis.

§. 27.

III. Angelorum munus eorumque habitus ad hominem.

A) *V. T.* angelorum munus sic constituit

1) voluntatem Dei hominibus manifestando Gen. 16, 7. 9. 10. praecipue v. 11: „Ecce, ait (angelus Domini, מַלְאַךְ יְהוָה), concepisti et paries filium; vocabisque nomen ejus Ismael cfr. C. 21, 17. 18; C. 22, 11. 15. 16; Jud. 5, 23; 3 Reg. 19, 5: „Ecce angelus Domini (text. hebr. tantum: מַלְאָךְ) tetigit eum et dixit illi: surge et comede“ cfr. v. 7; 4 Reg. 1, 3. 15; Job. 33, 23; Ps. 102, 20: „Facientes verbum illius (עֹשֵׂי דְבָרוֹ)“ cfr. Dan. 7, 21. 22;

2) hominibus assistendo a) ad subsidium et auxilium in periculis Gen. 48, 16: „Angelus, qui eruit me (הַגֹּאֵל אֹתִי) de cunctis malis, benedicat pueris istis.“ — Judith 13, 20. secundum Vulg.: „Custodivit me angelus ejus et hinc euntem et ibi commorantem, et inde huc revertentem.“ — Ps. 90, 11: „Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te (לִשְׁמָרְךָ,

ad custodiendum te) in omnibus viis tuis." — Bar. 6, 6: „Angelus meus vobiscum est ἀγγελος μου μεϑ' ὑμων εστι)." — Dan. 3, 49: „Angelus Domini descendit (ἀγγελος κυριου συγκατεβη) cum Azaria et sociis ejus in fornacem" cfr. v. 95; C. 6, 22; C. 10, 13; b) ad salutem et solatium in infirmitatibus et calamitatibus Tob. 3, 25: „Missus est angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos (ἰάσασϑει τους δυο)" cfr. Dan. 14, 32—41; — 2 Macch. 11, 6: „Rogabat (Macchabaeus) Dominum et omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel (προς σωτηριαν τῳ Ἰσραηλ)"; c) ad comitatum in via Ex. 14, 19: „Tollensque se angelus Domini, qui praecedebat castra Israel, abiit post eos (וַיֵּלֶךְ מֵאַחֲרֵיהֶם et abiit a tergo ipsorum)."

Ex his locis non obscure videre licet, ideam de angelis custodibus in periodis antiquioribus jam viguisse eamque post exilium solummodo magis ampliatam apparere Zach. 3, 7: „Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt (text. hebr. מַהְלְכִים בֵּין הָעֹמְדִים הָאֵלֶּה, itinera inter stantes ipsos)."

B) *N. T.* Nomen angeli indicat, hos spiritus existere in tutelam et custodiam hominum; hinc

1) voluntatem Dei exequuntur eumque adorant Matth. 6, 10: „Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra"; Apoc. 7, 11: „Et omnes angeli — ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt Deum (προσεκυνησαν τῳ Θεῳ)";

2) assistunt hominibus pro salute consequenda Matth. 18, 10: „Dico enim vobis, quia angeli eorum (scil. pusillorum, οἱ ἀγγελοι αὐτων) in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est"; hic expresse sermo est de activitate continua per angelos pusillis praestanda, sicque functio eorum satis superque elucet. — Act. 27, 23: „Astitit mihi (παρεστι μοι) hac

nocte angelus Domini, cujus sum ego et cui deservio." — Ad Hebr. 1, 14: „Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi (εἰς διακονιαν ἀποστελλομενα) propter eos, qui haereditatem capiunt salutis"; hoc auxilium praestandum non ad tempus limitatum, sed semper duraturum enuntiatur, conferantur visiones angelorum supra citatae, queis apparet, angelos in tutelam et custodiam hominum mitti, indeque omni jure vocari angelos tutelares;
3) testes et executores erunt in extremo judicio a Christo ad hominum facta et sortes dirimenda constituendo Matth. 13, 41: „Mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem"; apertius vers. 49: „Sic erit in consummatione saeculi; exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum (ἀφοριουσι τους πονηρους ἐκ μεσου των δικαιων), et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium" cfr. C. 16, 27; C. 24, 31.

Ad cultum angelorum, spirituum tam sublimium et benignorum, quod attinet; hic aeque naturalis est, ac ille amici aut benefactoris cujusdam, non obstante loco ad Col. 2, 18: „Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum (θρησκεια ἀγγελων)"; quo non cultus, quem ipsi angeli in coelis exhibent, sed veneratio tantum nimia, ut Apoc. 19, 10; C. 22, 9. legere est, exterminatur et proscribitur Jesu expresse dicente Matth. 4, 10: „Dominum Deum tuum adorabis" cfr. ad Hebr. 1, 11. 13. 14; nec imitatione dignum est exemplum Justiniani, qui per Michaelem et Gabrielem juravit, opinatus, angelos ideo sic colendos esse, quia Deus major est, quam ut immediate invocetur.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Orig. de princip. praef. n. 10: „(Angeli) ministrant ad salutem hominum consummandam" — in Num. hom. 20: „Adest unicuique

nostrum, etiam minimis, — angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet" cfr. hom. 11; in Levit. hom. 9; in Jesu Nave hom. 23; select. in Psalm. hom. 1. — 2) Hilar. enarrat. in Ps. 134: „Hi igitur spiritus ad salutem humani generis emissi sunt; neque enim infirmitas nostra nisi datis ad custodiam angelis tot tantisque spiritualium coelestium nequitiis obsisteret" cfr. in Ps. 129. — 3) Athan. contr. Arian. orat. 4: „Angeli — administratorii sunt spiritus, qui ad negotia obeunda emittuntur, et Patris donationes per Filium elargitas renuntiant illis, qui accipiunt" cfr. orat. 2. — 4) Basil. hom. in Ps. 48. n. 9: „Cuilibet fidelium est angelus adjunctus (ἑκαστῳ των πιστων ἐστιν ἀγγελος παραζευγμενος), qui dignus est, qui diversantem in coelis Patrem videat" — comment. in Is. C. 8. n. 207: „Direptio est spoliorum distributio; quam curam angelis ceu humani generis providis tutoribus concredidit Deus ad custodiam hominum et salutem (ὡσπερ τοις ἐπιμεληταις του των ἀνθρωπων γενους ἀγγελοις διεδωκεν ὁ Θεος εἰς φυλακην και σωτηριαν)" cfr. C. 5. n. 145; contr. Eunom. lib. 3. C. 1. — 5) Greg. Naz. orat. 40. in s. bapt.: „Illuminas tu mirabiliter a montibus aeternis, hoc est, ut opinione assequar, ab angelicis spiritibus, qui nobis ad optima quaeque sunt adjumento." — 6) Chrysost. hom. 14. in ep. ad Hebr. C. 8: „Habemus nos quoque fautores, si velis: unicuique nostrum assidet angelus." — 7) Hieron. in Eccl. C. 7: „Angeli — auxiliantur humano generi" — in Matth. C. 18: „Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum" cfr. in Is. C. 66; in Zach. C. 14. — 8) Augustin in Ps. 103: „Cum mittuntur (spiritus), fiunt angeli; angelus enim officii nomen est, non naturae. — Quaeris officium? Angelus est." — 9) Cyrill. Alex. contr. Julian. lib. 4: „Hi (angeli) noxias a nobis abigunt feras et captos ab illarum crudelitate liberant et docent id omne, quod laudabile iter facere et non im-

peditum, dum nobis glorificant summum Deum.“ — 10) Theodoret. in Dan. orat. 10: „Ex his itaque docemur, singulis angelis uniuscujusque nostrum creditam esse curam, ut custodiant, tueantur et a pravi daemonis nos liberent insidiis; archangelis vero illud munus impositum, ut gentium sint praefecti“; hinc angeli sunt

a) in auxilium nostrum Hieron. et ad optima quaeque nobis adjumento Gregor. Naz.;

b) in salutem nostram Orig. Hilar. Basil. et ad negotia Athan. atque officia obeunda emissi Augustin.;

c) in custodiam nostram Orig. Hilar. Basil. Hieron. Cyrill. Alex. Theodoret. nobisque adjuncti Basil. et assidentes Chrysost.

b) Concil. Laodicen. Can. 35: „Non oportet, Christianos relicta Dei ecclesia abire et angelos nominare (ὀνομαζειν) et coetus instituere, quod est prohibitum; siquis ergo inventus fuerit, huic occultae idololatriae vacare, (ταυτῃ τῃ κεκρυμμενῃ εἰδωλολατρειᾳ σχολαζων), sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum et accessit ad idololatriam“; at in hoc loco de nimia angelorum veneratione et invocatione sermo est, non de cultu rationi et s. scripturae innixo, aut verius, ut Baronius ait, hoc canone pia et religiosa veneratio falsorum Deorum gentilium Christianis prohibetur, prout cann. 34. et 36. innuunt.

Angeli a Deo in sanctitate creati in hoc statu non omnes permanserunt, sed pars eorum Deo creatori suo inobediens facta statum primum amisit, de quibus s. scriptura sic ait:

1) 2 Petr. 2, 4: „Si enim Deus angelis peccantibus (ἀγγελων ἁμαρτησαντων) non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari, et originali mundo non pepercit.“ —

Jud. v. 6: „Angelos, qui non servaverunt suum principatum (ἀγγελους — τους μη τηρησαντας την ἑαυτην ἀρχην, non servantes suum principium = non in eo, quo antea, statu et dignitate permanentes), sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit"; sub angelis istis non intelligi filios Dei Gen. 6, 2. aut fabulam quandam, patet ex eo:

a) angeli peccantes et mundus originalis distinguuntur; ergo illi cum hoc non sunt unum idemque;

b) exempla historica proponuntur, non fabulae Judaeorum;

c) Matth. 25, 41. Jesus de igne loquitur, diabolo et angelis ejus praeparato; nonne alludit ad loca prolata?

d) cum daemones existant, ut mox demonstrabitur; origo eorum non aliter probari potest, nisi ut concedatur, angelos initio bonos omnes fuisse, sed partem eorum peccasse, sicque malam factam fuisse;

e) ss. patres idem docent v. g. Chrysost. in Gen. hom. 22. et Augustin. de civ. Dei lib. 15. C. 23. refutantes opinionem, sub angelis malis intelligi filios Dei (Gen. 6, 2.), quia entia incorporea corporeis misceri nunquam possunt.

2) 1 ad Cor. 6, 2. et 3: „An nescitis, quoniam sancti (= Christiani) de hoc mundo (text. gr. τον κοσμον, mundum = Non — Christianos, Non — sanctos) judicabunt? — Nescitis, quoniam angelos judicabimus?" Sub his angelis, qui a mundo distinguuntur, secundum saniorem interpretum partem intelliguntur angeli mali, potestates tenebrarum, uti ad Eph. 6, 12; ad Col. 2, 15. et Origenes, Chrysost. Theodoret. ex Matth. 12, 41. et C. 19, 28. declarant, in fine mundi impios a piis = Christianis, dignis, quippe regni coelestis membris, judicatum iri; insuper notandum, cum Christus judex et executor universalis assurgat, judicium sanctorum in hoc loco expres-

sum nil aliud significare, quam perfectam judicii poenalis cum sententia a Christo promulgata aequalitatem; inde ex locis citatis exorta est daemonologia sive doctrina de angelis malis, diabolo scilicet et daemonibus, de queis nunc sermo.

Caput II.

Angeli mali I. Diabolus.

§. 28.

I. Existentia diaboli.

A) In *V. T.* occurrunt hae voces:

1) שָׂטָן a) adversarius, inimicus causae, contradictor, calumniator, in genere, quicunque bono adversatur, eique impedimenta opponit sive coram judicio, sive in alio quovis objecto 1 Reg. 29, 4; 2 Reg. 19, 2; 3 Reg. 5, 4; C. 11, 14. 23. 25; Ps. 108, 6; Hab. 3, 5. Sic legitur 1 Macch. 1, 38: diabolus malus, διαβολος πονηρος, — calumniator malus; b) cum articulo ה adversarius, κατ' ἐξοχην satan, angelus malus, homines ad malum incitans et apud Deum accusans sive calumnians 1 Paral. 21, 1. (cfr. 2 Reg. 24, 1.); Job. 1, 6; C. 2, 2; Zach. 3, 1;

2) בְּלִיַּעַל, Belial denotat a) in genere vel hominem absque jugo (בְּלִי, absque, עוֹל, jugum) = qui jugum legis et timoris Dei excussit et proinde nil boni amplius agit Jud. 19, 22; inde 70 filios Belial quandoque vertunt παρανομους, iniquos, qui sine lege sunt, et Aquila vertit ἀποστατας testante Beza (sic Glass. 5. philol.); b) vel hominum nullius frugis et utilitatis (בַּל, non, יָעַל in Hiphil הוֹעִיל, profuit), quem Graeci ἀσωτον, perditum, ἀχρειον, nullius frugis, κακοτροπον, male agentem, ἀκολαστον, depravatum, μαρον,

scelestum vocant (sic Kimchi) Deut. 13, 13; 1 Reg. 1, 16; C. 2, 12; C. 10, 27; C. 25, 17; 2 Reg. 16, 7; C. 20, 1; 3 Reg. 21, 10; 2 Paral. 13, 7; c) κατ' ἐξοχὴν usurpatur haec vox de diabolo, de spiritu nequitiae, tanquam corruptore, devastatore Nah. 1, 15;

3) בַּעַל־זְבוּב (Baal-sebub) Beelzebub 4 Reg. 1, 2. 3. 6. 16. ubi additur: Deus Accaron (אֱלֹהֵי עֶקְרוֹן, Deus Ekron) denotat idolum Canaanitarum, aut in lingua syriaca Deum inferni, cujus sedes gehenna est, aut Deum criminationis.

Aetate jam antiquissima hominum opinio erat vulgatissima, in facto quovis ominoso et extraordinario eoque pessimo ad causam recurrendi externam, et ens quoddam reale, invisibile, infestum, influxu in terram gaudens cogitandi v. g. in lapsu hominum primorum; quin adeo finito exilio haec opinio transit in fidem et magis magisque ampliata apparet, quin tamen exinde Dualismum ortum esse erui possit.

1) Job. 1, 6: „Quadam die, cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam satan (הַשָּׂטָן)“ cfr. v. 7—13; C. 2, 1—8; quisquis aetatem libri Jobaei perpenderit, ideam de ente quodam, in terra versante, hominibus fiduciam in Deo adimente, eosque ab hac avertere conante, antiquissimam fuisse non negabit; nam a) hoc ens ibi הַשָּׂטָן, satan cum articulo hebr. ה = graec. ὁ vocatur; b) vox: Satan, hic occurrit sine omni explicatione, ex quo vocem hanc ubique cognitam fuisse, et quid sub satan intelligendum sit, concludi potest; c) satan omnino diversus et alius est, quam filii Dei iisque opponitur; si hi entia sunt realia, et ille non potest non esse ens reale.

2) Sap. 2, 24: „Invidia diaboli (διαβόλου) mors introivit in orbem terrarum“; hoc in loco alluditur ad Gen. 3, 19; quod enim in Gen. serpenti adscribitur;

id in hoc loco diabolo imputatur, tanquam causae efficienti, consequenter sub diabolo ens reale debet intelligi.

3) Zach. 3, 1. 2: „Et ostendit mihi Dominus Jesum (יְהוֹשֻׁעַ Jehosua) sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini (מַלְאַךְ יְהוָה) et satan (הַשָּׂטָן) stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad satan: increpet Dominus in te satan et increpet Dominus in te, qui eligit Jerusalem"; sub voce: satan hominem non intelligi, sed ens quoddam sublimius idque infestum, patet ex eo, quod alia adhuc entia sublimiora realia, scil. יְהוָה et מַלְאַךְ יְהוָה in hac visione prophetica occurrant.

B) In *N. T.* hae occurrunt voces:

1) ὁ διαβολος, diabolus denotat a) in genere adversarium, causae inimicum, qui se bono cuique opponit Luc. 8, 12; Joan. 6, 71; b) calumniatorem; inde vox: calumniosus 1 ad Tim. 3, 11: „Mulieres similiter pudicas, non detrahentes (μη διαβολους, non calumniosas)" cfr. 2 ad Tim. 3, 3; c) in specie ens reale, infestum generi humano, bono cuicunque hostile ad Eph. 4, 27; 1 ad Tim. 2, 26;

2) ὁ σατανας, satan significat a) in genere adversarium, calumniatorem, bonis consiliis et actibus moralibus se opponentem, licet ipse bonus esse potest Matth. 16, 23: Marc. 8, 33; b) in specie ens quoddam reale infestum, omni bono inimicum Marc. 4, 15; 2 ad Cor. 11, 14; C. 12, 7; 1 ad Thess. 2, 18;

3) ὁ πειραζων, tentator Matth. 4, 3., qui v. 1. diabolus vocatur, cfr. 1 ad Thess. 3, 5;

4) ὁ κατηγωρ accusator Apoc. 12, 10. = diabolus vers. 12;

5) ὁ πονηρος, malus, malignus κατ' ἐξοχην Matth. 6, 13: „Sed libera nos a malo", quod intelligi potest vel de peccato vel de satana, omne malum promovente; C. 13, 19: „Venit malus (= diabolus) et rapit, quod

seminatum est" cfr. 1 Joan. 2, 13. 14. coll. C. 3, 12. et C. 5, 18; sic et vocatur

6) Deus hujus saeculi, ὁ θεος του αιωνος τουτου 2 ad Cor. 4, 4;

7) princeps hujus mundi, ὁ αρχων του κοσμου τουτου Joan. 12, 31. (cfr. Luc. 22, 53.); ad Eph. 2, 2; C. 6, 10—18;

8) Draco magnus, ὁ δρακων ὁ μεγας Apoc. 12, 3. 7. 9. et serpens antiquus, ὁ ὀφις ὁ αρχαιος v. 9;

9) Belial, βελιαλ 2 ad Cor. 6, 15. = Joan. 12, 31. princeps hujus mundi; nam Christus et Belial, lux et tenebrae inter se adstant oppositi;

10) Beelzebub, βεελζεβουβ Matth. 10, 25., qui C. 12, 24; Marc. 3, 22. et Luc. 11, 15. princeps daemoniorum vocatur.

Diaboli regnum aetate Jesu fuit amplissimum, ita, ut destructio regni hujus soli Jesu reservaretur; hinc Jesus et Apostoli de existentia diaboli, principis omnium daemonum, plane convicti nec ullam doctrinae accomodationem proferunt, nec in tali re gravissima et doctrina subtilissima Judaeorum opinionem refutant, quod, si adfuisset error, certissime exspectandum est, cum occasionibus aliis oblatis Judaeorum opinioni nullo modo indulgerent; en ipsa argumenta.

1) Jesus verbis expressis existentiam diaboli probat Matth. 4, 1. 11: „Jesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. — Tunc reliquit eum diabolus et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei" cfr. Marc. 1, 12. 13; Luc. 4, 1—14. Exegetae quam plurimi veram inesse historiam omnino negant, modo tentationem Jesu tantum internam fuisse argumentantes (id quod sanctitati Jesu derogat); modo pharisaeum quendam, qui vers. 3. tentator dicitur, extitisse opinantes (cum nullus invenitur in N. T. locus, in quo vox: διαβολος, homini tribuitur); modo mythum aut visionem quandam (sic

Kaiser) subesse, uti 3 Reg. 19, 8 etc. ratiocinantes (ad quid haec visio, ad quem finem? Qua concessa facillime supponendum et concludendum foret, omnia mythice tractari in N. T.; id quod a docendi methodo, qua Jesus utebatur, longissime abhorret). Veram utique adesse historiam, patet ex eo, quod a) narratio Evangelistarum Marc. 1, 12. 13. et Luc. 4, 1—14., qui cum Matthaeo consentiunt, veram ibi agnoscant historiam; b) tentator non alius esse possit, nisi diabolus ἐν προσώπῳ; c) ss. patres hanc tentationem historice intelligant; d) diabolus et angeli in una serie occurrant; certe enim nulla de diabolo mentio facta fuisset, nisi hic tanquam ens angelis omnino oppositum praecessisset; jam vero si angeli veri et reales sunt habendi, num diabolus vere et realiter non est intelligendus? — C. 13, 37. 38. 39: „Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio saeculi est. Messores autem angeli sunt"; hoc in loco nil nisi personae reales et objecta realia occurrunt, scil. Filius hominis, mundus, filii regni, filii nequam, consummatio saeculi, angeli; ergo et diabolus persona realis esse debet cfr. v. 19; insuper vox: diabolus sine explicatione ponitur et Filio hominis opponitur diabolus, filiis regni opponuntur filii nequam; jam vero si diabolus esset phantasma, quae, quaeso, comparatio, vera falsis miscendo? Jesus originem mali in hoc mundo nascentis explicans discipulos in errorem perniciosissimum deduxisset, nisi voci: diabolus realitas subesset, quod magistro divino, ne humano quidem, imputare absurdissimum foret; ergo etc. — C. 25, 41: „Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus"; cum diabolo angeli quoque socii et adjutores conjunguntur; ergo ipse princeps et dux eorum existens apparet. — Luc. 8, 12: „Qui autem secus viam;

hi sunt, qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde illorum"; diabolus ceu ens reale distinguitur a tentatione temporis v. 13. a curis et divitiis et voluptatibus vitae v. 14; ergo etc. — C. 22, 31: „Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum"; vocem: satanas, ὁ σατανας in specie diabolum designare supra dictum est; et dum Jesus Petro extraordinarii quid, quod influxu entis immoralis et invisibilis solummodo fieri potest, dicere vellet; congruentius esse videtur, sub satana diabolum saepius nominatum intelligere. — Joan. 8, 44: „Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo"; Christus hoc in loco opera diaboli jam ab initio generi humano inimici et mendacis ostendere vult, ut auditores ejus Deum solum verum ac hominum benefactorem maximum agnoscant; ergo haec comparatio valida esse praesumitur et diabolus ens existens agnoscendus est.

2) Apostoli eandem, quam Jesus, proferunt doctrinam Act. 10, 38: „Qui (Jesus) pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo"; diabolus hostis a Jesu devictus apparet, consequenter ens reale intelligitur, quia hac comparatione vis et efficacia Jesu in miraculis patrandis contra opera diaboli minus potentis extollitur cfr. C. 13, 10. — Ad Eph. 2, 2: „Ambulastis secundum saeculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae"; hic princeps potestatis aeris hujus = princeps hujus mundi Joan. 12, 31 = diabolus, cui in aëre versanti operatio et influxus in mundum adscribitur; ergo ens reale est intelligendum. — C. 6, 11: „Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli"; in v. 16. pro diabolo ponitur ὁ πονηρος, nequam κατ' ἐξοχην; jam vero hic de Christianorum persecutionibus sermo esse nequit;

nam v. 12. dicitur: „Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem (= homines), sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus (ἐν τοις ἐπουρανιοις = in aëre, quia universalis Judaeorum opinio fuit, spiritus malos vel nequitiae in aethere versari)"; ergo sub diabolo ens quoddam definitum, distinctum ab hominibus, in occulto malum operans intelligi debet. — 1 Joan. 3, 8. 10: „Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat (en Joan. 8, 44). In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. — In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli"; Filius Dei opponitur diabolo, et filii Dei opponuntur filiis diaboli, quae comparatio revera inanis esset logomachia, non concesso diabolo ἐν προσωπῳ. — Apoc. 12, 9: „Et projectus est draco ille magnus (ὁ δρακων, ὁ μεγας), serpens antiquus (ὁ ὀφις ὁ ἀρχαιος), qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem: et projectus est in terram et angeli ejus cum illo missi sunt" cfr. C. 20, 2. 9; hic alluditur ad Gen. 3, 1. cfr. Joan. 8, 44; diabolus enim iste v. 10. κατηγωρ, accusator vocatur et articulus ὁ non sine significatu dupliciter prostat; insuper huic angeli socii adjunguntur, eandem sortem infelicissimam experturi.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Iren. adv. haer. lib. 5: „Diabolus — unus ex angelis his, qui super spiritum aëris praepositi sunt." — 2) Tertull. apol. adv. gent. C. 22: „Vulgus — satanam principem hujus mali generis, proinde de propria conscientia animae execramenti voce pronuntiat." — 3) Orig. de princip. praef. n. 6: „De diabolo et angelis ejus — ecclesiastica praedicatio docuit, quoniam sunt." — 4) Lactant. instit. div. lib. 2. C. 9: „Fecit (Deus) alterum (spiritum), in quo indoles stirpis divinae non permansit. — Hunc ergo ex bono per se malum effectum Graeci διαβολον appellant, nos

criminatorem vocamus.“ — 5) Athan. de virgin.: „Satanas non ob scortationem aut adulterium aut furtum dejectus est e coelo, sed superbia illum inde praecipitavit infra ipsum abyssum (ἡ ὑπερηφανια αὐτον κατεβαλεν εἰς τα κατωτερα).“ — 6) Basil. comment. in Is. C. 9. n. 225: „Imminet mortalium vitae executor gravis — communis ille inimicus noster (ὁ κοινος ἡμων ἐχθρος)“ cfr. hom. 9, quod Deus non sit auctor mal. C. 9. — 7) Ambros. epp. lib. 4. ep. 33. ad virg. Demetr.: „Haec superbia a diabolo sumsit exordium.“ — 8) Hieron. in Ezech. C. 16. vocat: Superbiam proprium diaboli, primumque peccatum.“ — 9) Augustin. de gen. ad lit. lib. 11. C. 14: „Nonnulli dicunt, ipsum ei (diabolo) fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro haec invidia sequitur superbiam, non praecedit“; ergo a) existit diabolus cum angelis suis Orig. seu satanas Athan. seu communis inimicus Basil. b) princeps hujus mali generis Tertull. et supremus spirituum aëris Iren. c) qui in divinae stirpis indole non permansit Lactant. d) et ob superbiam e coelo dejectus fuit Athan. et a quo superbia exordium sumsit Ambros. Hieron. Augustin.

b) Concil. Lateran. 4. Cap. 1: „Diabolus et alii daemones (i. e. angeli ejus) a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.“

§. 29.

II. Natura et proprietates diaboli.

A) *V. T.* Judaei veteres licet, specialem mortis angelum morientis lecto adstantem eique minitantem somniarent ad Hebr. 2, 14. 15; loca tamen supra citata edicunt, quod diabolus, satanas, sit

1) ens generi humano infestum Job. 1, 6; C. 2, 1—8; Zach. 3, 1. 12;

2) prae-

2) praesertim seductor primorum hominum sub figura serpentis Sap. 2, 24. coll. Gen. 2, 17; C. 3, 1 etc.; hinc ex eo tempore quodvis incitamentum, quaevis illecebrae ad malum illi tribuuntur 1 Reg. 29, 4; 2 Reg. 19, 22; 1 Paral. 21, 1.

B) *N. T.* Ex locis itidem supra citatis apparet, quod sit diabolus, satanas

1) spiritualis ad Eph. 6, 12;
2) potens ad Eph. 6, 11. 12. 16. operans signa et prodigia 2 ad Thess. 2, 9; Apoc. 16, 13. 14;
3) ens malignum, mendax; pater omnium peccatorum Joan. 8, 44. coll. Act. 13, 10;
4) destructor moralitatis et cujusvis boni Matth. 13, 39: „Seminans zizania"; Luc. 8, 12. coll. Matth. 13, 19: „Tollens verbum Dei ex corde hominum"; 1 ad Thess. 2, 18: „Impediens bonum";
5) seducens ad peccatum a) discipulos Jesu Luc. 22, 31; b) Judam Joan. 13, 2. 27; c) Ananiam Act. 5, 3; d) conjuges 1 ad Cor. 7, 5; e) fideles 2 ad Cor. 2, 11; C. 11, 14; f) universum mundum Apoc. 12, 9; peccans ab initio et in perpetuum 1 Joan. 3, 8: „ἀπ' ἀρχῆς ὁ διαβολος ἁμαρτανει"; praesens hic enuntiatum indicat, diabolum vi naturae suae malignum permanere sicque perpetuo peccare et malum operari ad Eph. 2, 2; 1 ad Tim. 3, 6. 7; 2 ad Tim. 2, 26; hinc expresse vocatur seductor hominum primorum Joan. 8, 44: „Ille homicida erat ab initio", et Apoc. 20, 1—4. dicitur draco magnus, serpens antiquus, seducens gentes, neque contrarius est locus s. Pauli 2 ad Cor. 11, 3., qui verum admisit serpentem, nam v. 14. expresse ait: „Satanas — transfigurat se in angelum lucis" sicque quis sub serpente intelligendus sit, distincte indicat;
6) gaudens de malo 2 ad Cor. 4, 4: „Excoecans mentes fidelium"; 1 Petr. 5, 8: „Quaerens, quem devoret."

Quid et quantum diabolus conferat, quatenus homines per causam internam vel externam in malo perpetrando progrediantur, quale aut ubi diaboli operantis exordium definiatur, ostendi neutiquam potest; sufficit: est satanas; peccatum enim Judae s. scriptura impulsu diaboli esse perpetratum aperte effatur Joan. 13, 2. 27. coll. ad Eph. 2, 2; hinc monent Apostoli, ut insidias ejus praecaveamus ad Rom. 16, 20; ad Eph. 6, 11—17; Jac. 4, 7; 1 Petr. 5, 8; nec tamen praetereundus est locus s. Jacobi C. 1, 13. 14: „Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur (text. gr. πειραζομαι, tentor): Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus"; ex qua consequentia a) Jesus et Apostoli malos homines opera diaboli imitantes cum eo comparant illosque satanae regno addictos a communione secludunt 1 ad Cor. 5, 5; 1 ad Tim. 1, 20; b) amici hujus mundi vocantur inimici Dei Joan. 15, 18. 19; ad Col. 1, 21; Jac. 4, 4; c) homines mali appellantur ministri satanae, vel diaboli, sensa ejus et actiones imitando Joan. 8, 44; ad Eph. 2, 2; Jac. 3, 15; 1 Joan. 3, 8—11; Apoc. 2, 9; C. 3, 9.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Ignat. ad Rom. C. 7: „Princeps — mundi (= diabolus) diripere (= seducere) me vult et in judicio Dei mei dirumpere." — 2) Tertull. adv. Marc. lib. 2. C. 28: „Heraclitus — (si) non ignorasset — delictum et mortem et ipsum authorem delicti, diabolum, et omne malum, quod Deus meus passus est, esse." — 3) Orig. in Num. hom. 12. n. 3: „Princeps dicitur (diabolus) mundi, — quia multi sunt in hoc mundo peccatores; peccati autem, quia ipse princeps est; ideo etiam mundi princeps appellatus est" cfr. select. in Exod. — 4) Hilar. comment. in Matth. can. 3: „Fallax diabolus et ad traducendum artifex callidissimus" cfr. in Ps. 118. lit. 1. — 5) Basil. serm. 7. de pec-

cat. C. 1: „Infensus nobis ab initio et adversarius diabolus (ὁ δυσμενης ἀνωθεν ἡμιν και πολεμως διαβολος) voluptatum mundanarum umbras subiens, quae circa hujus vitae viam ad occultandum praedonem et ad dandas insidiatori latebras idoneae esse solent; inde inopinato, interitus laqueos nobis subjicit" cfr. hom. 23. in Mamant. martyr. C. 4; hom. 20. de humilit. C. 1. — 6) Cyrill. Hieros. catech. 2, C. 3: „Neque vero tu solus dux et author es facti, sed et alius quidam pessimus instinctor diabolus; ille omnibus suggerit, sed non vi superat eos, qui non acquiescunt" cfr. catech. 4. C. 1. et 21. — 7) Ambros. de fug. saec. C. 7: „(Diabolus) omnium communis inimicus est, qui fuit hostis bonorum et pro iis damnatur, quos adhuc non laeserat: quoniam qui hominem laesit, cui illa omnia subjecta sunt, laesit omnia" cfr. de parad. C. 12. — 8) Chrysost. in Ps. 139. hom.: „Quando loquitur de diabolo, absolute dicit malum; quanam de causa? Quoniam ipse est pater improbitatis: et ideo dicitur malus per excellentiam" cfr. in Gen. hom. 16. — 9) Augustin. de civ. Dei lib. 14. C. 11: „Postea vero quam superbus ille angelus — de spirituali paradiso cecidit — male suada versutia in hominis sensum serpere affectans, cui utique stanti, quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in paradiso corporali — animal scilicet lubricum et tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit. — Et si credendo non sunt ambo (vir et mulier) decepti, peccando tamen ambo capti sunt et diaboli laqueis implicati." — 10) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 6. C. 4: „Vos, inquit, facitis opera patris vestri, utpote diaboli, qui cum mortis sit princeps et mortis habet imperium (ejus enim invidia mors intravit in orbem terrarum), ipse vos instimulat in meam mortem et vos ipsi pravis ejus suggestionibus toto animo acquiescitis" cfr. lib. 9. C. 16. — 11) Theodoret. dial. 3: „Ipse (diabolus) omnis vitii et iniquitatis est et pater et magister" cfr.

in Ps. 141. — 12) Greg. M. dial. lib. 3. C. 19: „Malignus quippe spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro semper insistit, si fortasse quid inveniat, unde apud examen aeterni judicis accusator existat"; — ergo diabolus est a) author delicti Tertull. princeps peccati Orig. pater improbitatis Chrysost. omnis vitii et iniquitatis pater et magister Theodoret. b) adversarius ab initio Basil. accusator hominum Greg. M. omnium communis inimicus Ambros. hostis bonorum Ambros. et malus per excellentiam Chrysost., qui c) homines ad malum instimulat Cyrill. Alex. iisque suggerit Cyrill. Hieros., qui seducit Ignat. Hilar. insidias et mortis laqueos parat Basil. d) qui primos homines seduxit et cepit Augustin. ideoque mortis princeps est Cyrill. Alex. —

b) Concil. Lateran. 4. Cap. 1. ait: „Homo diaboli suggestione peccavit." —

§. 30.

III. Destructio regni diaboli ejusque poena.

A) *N. T.* loquitur saepius de regno et imperio diaboli, quod regno coelesti et Messiano oppositum est, de principe mundi et tenebrarum, sicuti σκοτος και κοσμος, tenebrae et mundus regnum diaboli vocantur, et diabolus ipse deus et princeps hujus saeculi vel mundi, qui θεος του αἰωνος τουτου vel ἀρχων του κοσμου τουτου apud Targumistas et Rabbinos סמאל, Samael dicitur cfr. Elle haddebarim rabba fol. 302, 2; R. Menachem comment. in Gen. fol. 141. col. 1; Vaikra rabba fol. 151. col. 1; sic ubique apparet discrimen inter Christum et Belial, inter lucem et tenebras, inter bonum et malum; inde veniunt variae de hoc regno descriptiones in s. scriptura:

1) ex diabolo, filium diaboli esse Joan. 8, 44. 1 Joan. 3, 8. 10;

2) studia diaboli, id est, animus a veritate, virtute alienus 1 Joan. 3, 8;

3) opprimi a diabolo, id est, sub potestate ejus esse Act. 10, 38;

4) vis et potestas diaboli, id est, vis, imperium peccati, sceleris 2 ad Tim. 2, 26; insuper notandum est, non contradictoriam esse sententiam, diabolum esse et permanere ens in aeternum malignum et nunquam ad resipiscentiam redire (contra Kaiser); ipse enim conceptus indicat perversitatem entis hujusmodi, regno moralitatis nocivi, et praecipue aetate Christi operantis, indicat spiritum, superbia inflatum et abjectionis suae conscium, adhuc dum in homines vindictae spirantem, in perpetua inimicitia contra Deum et veritatem versantem, uti jam in homine terreno videre licet, qui per totam vitam Deo et veritati resistens diabolum repraesentat, donec mors huic resistentiae finem imponat.

Hoc diaboli regnum per Jesum penitus destructum fuisse, s. scriptura expressis verbis enuntiat Luc. 10, 18: „Ait illis: videbam satanam (τον σαταναν) sicut fulgur de coelo cadentem"; Joan. 12. 31: „Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (ἐκβληθησεται ἐξω)" cfr. C. 14, 30. et C. 16, 11. — Act. 26, 18: „Aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem et de potestate satanae (απο της ἐξουσιας του σατανα) ad Deum." — Ad Col. 1, 13: „Qui eripuit nos de potestate tenebrarum (ἐκ της ἐξουσιας του σκοτου) et transtulit in regnum filii dilectionis suae." — Ad Hebr. 2, 14. 15: „Ut (Christus) per mortem destrueret (καταργηση), aboleret) eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum (τον διαβολον) et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti." — 1 Joan. 3, 8: „In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli (ἱνα λυση τα ἐργα του διαβολου)." — Apoc. 12, 10: „Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus: quia projectus est (κατεβληθη) accusator fratrum nostrorum" cfr. C. 20, 9. 10;

quo regno destructo diabolo ejusque angelis poena aeterna et gravissima a Deo destinata in s. scriptura describitur Matth. 25, 41: „Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ)"; vox: αἰώνιος in eo, quo v. 46. sensu accipi debet et denotat statum per omnem aeternitatem duraturum. — Apoc. 20, 9: „Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris" cfr. 2 Petr. 2, 4. et Jud. v. 6.

B) *Traditio* 1) Lactant. institut. div. lib. 7. C. 26: „Dominus illorum (id est, diabolus) cum ministris suis comprehendetur (in die judicii), ad poenamque damnabitur, — perpetuo igni cremabitur in aeternum." — 2) Hilar. in Ps. 118. lit. 11: „Scit et diabolum in resurrectionis saeculo judicandum." — 3) Ambros. de fide lib. 2. C. 4: „Ad illius (diaboli) festina sedem, ubi ignis et sulphur, ubi non restinguitur ejus incendium, nec unquam poena moritur." — 4) Augustin. de civ. Dei lib. 21. C. 17. criminatur Originem, qui in Exod. C. 6. hom. 8. et de princip. lib. 3. C. 6. diabolum ejusque angelos post graviora pro meritis et diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos atque sanctis angelis sociandos docet et credit; similia edocet Clem. Alex. strom. lib. 1. C. 17. — 5) Hieron. in Job. C. 26: „Cui dubium est, quia principaliter diabolus sit hic superbus, qui tunc primum a Deo percussus est, quando eum de sede illa coelorum beata atque sublimi deposuit." —

CAPUT III.

II. Daemones.

§. 31.

I. Existentia daemonum.

A) In *V. T.* occurrunt voces: רוּחַ רָעָה, spiritus malus, nequam = spiritus oppositus spiritui Domini, Dei,

רוּחַ יְהוָה, אֱלֹהִים, 1 Reg. 16, 14. 15. et מַלְאֲכֵי רָעִים, angeli mali Ps. 77, 49. post exilium δαιμονιον, daemonium Tob. 3, 8. Periodo jam antiquissima homines in opinionem inciderunt, quodvis phaenomenon, quod explicari nequibat, et extraordinarium malum influxui entium sublimiorum malignorum imputandi, quae daemonologia post exilium magis magisque exculta v. g. in libro Tobiae apparet; hinc licet, non omnia loca de daemonibus in sensu stricto sint intelligenda; daemonologia Judaeorum post exilium negari neutiquam potest.

1) Lev. 17, 7: „Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas daemonibus, cum quibus fornicati sunt"; pro daemonibus legit text. hebr. לַשְּׂעִירִים, hirsutis, pilosis = hircis, quos veteres v. g. Aegyptii colebant Ex. 8, 26; Diod. Sic. lib. 1; Herod. 2, 46; Strabo lib. 17; confer id, quod Moses Maimonides lib. 21. more Nebachim ait; Aquila: τοις τριχευσι, pilosis; 70: τοις ματαιοις, vanis, absque effectu aut commodo = idolis, vanitatibus; hinc locus iste intelligi potest vel de hircorum et animalium imaginibus in figura naturali exhibitis et cultis, vel de daemonibus, uti Vulg. expressit, scil. daemonibus, hirci formam gerentibus (sic Bochart hieroz. et Grotius).

2) Deut. 32, 17: „Immolaverunt daemoniis et non Deo, diis, quos ignorabant" cfr. Ps. 105, 37; text. hebr. legit: לַשֵּׁדִים, quae vox in V. T. nusquam nisi his duobus locis occurrit, neque a voce שָׁדַד, devastare, neque ab illa שַׁד, potens derivari potest; sed est nomen sui generis quoddam speciale; 70 legunt: δαιμονιοις et cum in hoc loco daemonia opponuntur Deo vero, opinio non erit falsa, quae ens quoddam reale, homini infestum, et genus humanum perdens hic designari affirmat, id quod additamentum: „diis, quos ignorabant" magis confirmat.

3) Tob. 3, 8: „Tradita fuerat septem viris et daemonium (text. gr. clarius: το πονηρον δαιμονιον) nomine

Asmodaeus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam"; fidem in daemones apud Judaeos post exilium et praecipue aetate Tobiae jam universalem fuisse, ex hoc loco manifeste elucet, quia hoc daemonium nomen: Asmodaeus gerit, in signum, daemones definitos pro actionibus et malis definitis classe quadam constituta extitisse.

4) Ps. 77, 49: „Misit in eos iram indignationis suae: indignationem et iram et tribulationem: immissiones per angelos malos (מַלְאֲכֵי רָעִים)"; 70: *δι' ἀγγελων πονηρων*; Symm: *δι' ἀγγελων κακουντων* cfr. 2 Reg. 24, 16. et Sap. 16, 18; licet hic angeli symbolice describantur; fides in angelos malos = daemones, spiritus nequitiae hac aetate existentiam eorum recte supponit.

5) Ps. 90, 5. 6: „Non timebis — ab incursu et daemonio meridiano (מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם, a clade, [quae] vastabit, meridie = a peste, lue contagiosa aut morbo exitiali)"; 70 legunt: ושד pro ישד et ponunt *δαιμονιου μεσημβρινου*, quos Aquila et Symm. secuti sunt; hic locus ergo pro existentia daemonum non solidum praebebit argumentum.

6) Ps. 95, 5: „Quoniam omnes dii gentium daemonia" אֱלִילִים, vana, idola Chald.; quemadmodum nomen אֵל (Deus) rebus adjunctum denotat earum excellentiam Ps. 35, 7; sic אֱלִילִים additum vanitatem earum significat v. g. de medicis seu consolatoribus vanis Job. 13, 4. secund. text. hebr.; de vana id est, falsa doctrina Jer. 14, 14; de pastoribus vanis vel nullius frugis Zach. 11, 17; vox ipsa deducitur vel ab אַל, non, et אֵלִים dii, vel a radice אָלַל, unde אַל, non; ergo אֱלִיל nihilum, nihili, non Dii, idola Lev. 19, 4; C. 26, 1; Deut. 32, 21; 1 Paral. 16, 26; 2 Paral. 13, 9; Jer. 2, 8; vel (sic Calmet) אֱלִילִים considerari potest diminutivum ab אֵל = dii pusilli, nihili, deastri, cum magno אֵל, Deo, non

comparandi. Aquil. habet ἐπιπλαστοι, commentitii; Symm. ἀνυπαρακτοι, non existentes.

7) Is. 34, 14: „Et occurrunt daemonia, onocentaurus, et pilosus, clamabit alter ad alterum: ibi cubabit lamia et invenit sibi requiem"; text. hebr. legit: ציים, bestiae sylvestres, 70: δαιμονια; vox: ציי designat in plurali incolas deserti a) vel hominum Ps. 71, 9; Ps. 73, 14; b) vel bestiarum Is. 13, 21. Vulg. bestiae; C. 23, 13. Vulg. in captivitatem secundum 70; Jer. 50, 39. Vulg. dracones; cum vox ציים cum aliis bestiis conjungitur; ipsa Vulgata sub hac voce, uti videre licet, non stricte daemonia, sed bestias intelligit. — Opiniones Rabbinorum et Talmudistarum legere licet apud Joseph. in archaeol. et apud Lightfoot hor. hebr.

B) In *N. T.* vox δαιμον, δαιμονιον, daemon, daemonium denotat

a) idolum, deos falsos Act. 17, 18; 1 ad Cor. 10, 20. coll. v. 19;

b) spiritum immundum, impurum (το πνευμα το ἀκαθαρτον), hominibus inhabitantem eosque vexantem Matth. 10, 1; C. 12, 43; Marc. 3, 11. 30; C. 5, 2; C. 6, 7; C. 7, 25; C. 9, 24. (coll. v. 16. ubi dicitur: πνευμα ἀλογον, spiritus sine locutione = mutus): Luc. 6, 18; C. 9, 43; C. 11, 24; Act. 5, 16; C. 8, 7;

c) spiritum nequam, malum, malignum (το πνευμα το πονηρον), Matth. 12, 45; Luc. 7, 21; C. 8, 2; C. 11, 26; Act. 19, 12. 13. 15; inde α) daemoniacus, daemonium habens, δαιμονιζομενος = obsessus a spiritu malo Marc. 1, 32; β) daemonium habere, δαιμονιον ἐχειν = insanire, mente captum esse Joan. 7, 28; C. 8, 48. 49. 52; C. 10, 21., ubi interpretatio hujus vocis additur.

1) Jesus existentiam daemonum verbis expressis docet, uti ex his locis apparet Matth. 12, 22—29; v. 43—46. Pharisaei Jesu objiciunt, daemones ab ipso ope

principis daemonum expelli; jam vero nisi Christus de existentia daemonum convictus fuisset, Pharisaeos cogitationes suas scrutantes seque tentantes facillime refutare et pudore afficere potuisset, dicendo, nec esse daemones, nec principem daemonum: verum Jesus id ipsum, quod objecerunt, ad refutandos eos adhibuit, nullum subesse errorem declarans respondendo v. 27: „Si ego in Beelzebub (principe daemoniorum) ejicio daemones (τα δαιμονια), filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt" cfr. C. 9, 34; Marc. 3. 21—28; Luc. 11, 14—21; nihilominus Jesus, occasione licet data optatissima, fidem in daemones rejiciendi et extirpandi, ita se gessit, ut de daemonum existentia eum fuisse convictum quivis praesentium intelligere potuit; quidquod daemones entia realiter existentia, regno Dei et Messiano inimica, ab eo describuntur, quia v. 28. his ejectis regnum Dei pervenisse enuntiatur; sic et v. 43—46. entia operantia et activa sistuntur: „Cum autem immundus spiritus (το ἀκαθαρτον πνευμα) exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem et non invenit. Tunc dicit: revertar in domum meam, unde exivi. — Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se et intrantes habitant ibi"; et si hic locus nil nisi meram similitudinem exprimit; huic tamen realitas subest. — Marc. 1, 25: „Et comminatus est ei (spiritui immundo) Jesus, dicens: obmutesce et exi de homine (text. gr. ἐξ αὐτου, ex eo)." — C. 5, 8: „Exi spiritus immunde (το πνευμα το ἀκαθαρτον) ab homine" cfr. C. 9, 24; Luc. 4, 35; C. 8, 29; hic Jesus daemones alloquitur et sic se gerit, uti erga entia animata facere solet, silentium imponens eosque corpore exire jubens; quam absurdum, quaeso, fuisset, si Jesus legatus divinus, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, in tenebris eum versari permisisset, aut, cum ipse vita, via et veritas esset, errorem approbando dignitatem suam maxime obscurasset et ibi, ubi daemon

non existeret, allocutione usus fuisset. — C. 9, 16—29; v. 19: „Statim spiritus conturbavit eum"; v. 23: „Pater pueri cum lacrymis ajebat: credo Domine: adjuva incredulitatem meam"; v. 24: „Comminatus est (Jesus) spiritui immundo (τῳ πνευματι τῳ ἀκαθαρτῳ) dicens illi: — exi ab eo"; v. 25: „Exiit (ἐξελθε Vulg. addit:) ab eo"; v. 28: „Hoc genus (daemoniorum) in nullo potest exire, nisi in oratione et jejuniis" cfr. Matth. 17, 14—21; de morbo tantum hic sermonem esse, mihi neutiquam persuadebitur; nam et Christus pro solo morbo statum hujus hominis minime agnovit, vocans spiritum inmundum, alloquendo: „exi ab eo"; insuper discipulis suis quaerentibus, cur ipsis daemonem expellere non contingat, dispositionem quandam indicat; quo dato casu, nisi daemones existerent, certissime Jesus discipulos docuisset, eos errare de fide in existentiam daemonum, cum tantum morbi essent remediis externis curandi; jam vero remedia longe alia scil. spiritualia praescripsit; ergo etc. — C. 16, 17. 18: „Signa autem eos, qui crediderunt, haec sequentur: in nomine meo daemonia (δαιμονια) ejicient; linguis loquentur novis: serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros (ἐπι ἀῤῥωστους) manus imponent, et bene habebunt"; hoc in loco Jesus discipulis potestatem impertitur, daemones ejiciendi, et, quod bene notandum, recte distinguit inter daemoniacos et aegrotos, separans hic, uti et alibi, morbos a daemonibus; en Matth. 4, 24: „Et obtulerunt ei omnes male habentes (τους κακως ἐχοντας), variis languoribus (νοσοις, morbis) et tormentis (βασανοις, torminibus) comprehensos, et qui daemonia habebant (δαιμονιζομενους, daemoniacos) et lunaticos et paralyticos et curavit eos"; ad quid specialis denominatio daemoniacorum et separatio horum ab ipsis morbis, si nil nisi aegroti intelligendi sint? — C. 7, 22. (cfr. C. 8, 16. et Luc. 9, 49): „Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo

prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus"; C. 10, 1: „Et convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum (πνευματων ἀκαθαρτων), ut ejicerent eos et curarent omnem languorem (νοσον) et omnem infirmitatem (μαλακιαν)"; Marc. 1, 32. (cfr. v. 34; C. 3, 15; C. 6, 13): „Afferebant ad eum omnes male habentes (τους κακως ἐχοντας), et daemonia habentes (τους δαιμονιζομενους, daemoniacos)"; Luc. 13, 32. (cfr. C. 8, 2; C. 10, 17): „Ecce ejicio daemonia (δαιμονια) et sanitates (ἰασεις) perficio"; ergo a daemonibus obsessum esse et male se habere (= aegrotare) non est unum idemque.

2) Eandem fidem profitentur Apostoli Luc. 10, 17: „Dicentes (ad Jesum): „Domine, etiam daemonia (τα δαιμονια) subjiciuntur nobis in nomine tuo"; quo loco discipuli, quid sub daemonibus intelligendum sit, bene gnari existentiam eorum aperte pronuntiant. — Jac. 2, 19: „Et daemones (τα δαιμονια) credunt et contremiscunt." — Apoc. 18, 2: „Cecidit, cecidit Babylon magna: et facta est habitatio daemoniorum (δαιμονων) et custodia omnis spiritus immundi (παντος πνευματος ἀκαθαρτου)" cfr. C. 16, 14. —

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. apol. C. 22: „Atque adeo dicimus esse substantias quasdam spirituales, nec novum est nomen. Sciunt daemones philosophi." — 2) Minut. Felix Octav. C. 26: „Daemones spiritus sunt insinceri, vagi, a coelesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati." — 3) Cyprian tract. 4. de idol. van.: „Spiritus insinceri et vagi, qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt et a vigore coelesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, et depravati errórem pravitatis infundere. Hos et poetae daemones norunt."

b) Con. Lateran. 4. Cap. 1. (uti ss. patres) sub daemonibus angelos lapsos intelligit dicendo: „Diabolus

et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.“

§. 32.

II. Natura et proprietates daemonum.

A) *N. T.* daemonum naturam et proprietates sic describit; sunt

1) spirituales; vocantur πνευματα, spiritus;
2) maligni, peccati authores;
3) potentes quoad effectus, quos producunt Matth. 8, 28; Luc. 4, 35;
4) satanae, diabolo similes Matth. 12, 26. 27; Luc. 10, 18. 19; C. 13, 11. 16; Act. 10, 38;
5) hominibus inimici, infensi Matth. 12, 43. 45;
6) regnum proprium habentes, regno divino et Messiano oppositum Matth. 12, 26; inde regnum eorum vocatur regnum mundi, tenebrarum (ἡ βασιλεια του κοσμου, του σκοτου) Luc. 22, 53: „Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.“ — ad Col. 1, 13: „Qui eripuit nos de potestate tenebrarum“; contrarium est huic regnum lucis, coeli (ἡ βασιλεια του φωτος, του ουρανου);
7) versantes (sic et Philo) in aëre ad Eph. 6, 12;
8) habitantes in locis immundis Matth. 12, 43.

B) *Traditio* 1) Justin. apol. 2. (al. 1.): „Nihil namque aliud summopere contendunt, qui dicuntur daemones, quam ut homines a conditore suo Deo et primogenito ejus Christo abducant.“ — 2) Tatian. orat. ad Graec. C. 25: „Daemones omnes non carnea, sed spiritali concretione constant (πνευματικη ἐστιν αὐτοις ἡ συμπηξις), qualis est ignis et aëris“ cfr. C. 26. — 3) Tertull. apol. adv. gent. C. 22: „Operatio eorum est hominis eversio. — Itaque corporibus quidem et valetudines infligunt et aliquos casus acerbos; animae vero repentinos et extraordinarios per vim excessus“ cfr. C. 23. — 4) Clem. Alex. strom. lib. 6. C. 3: „Porro — dicunt aliqui pestilentias et gran-

dines et procellas et quae sunt his similia, non ex sola perturbatione materiali, sed etiam ex aliqua daemonum aut angelorum non bonorum ira (κατα τινα δαιμονων ἡ και αγγελων ουκ αγαθων οργην) fieri solere." — 5) Minut. Felix Octav. C. 26: „Isti spiritus (daemones) posteaquam simplicitatem substantiae suae, onusti et immersi vitiis, perdiderunt; ad solatium calamitatis suae non desinunt perditi jam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere et alienati a Deo, inductis pravis religionibus a Deo segregare." — 6) Orig. comment. in Matth. tom. 15. n. 7: „Nefariae potestates (πονηραι δυναμεις = daemones) quam plurimae in variis animae humanae struendis ab initio insidiis occupantur." — 7) Cyprian. tract. 4. de idol. vanit.: „Et falluntur (daemones) et fallunt — nec aliud his studium est, quam a Deo homines avocare et ad superstitionem sui ab intellectu verae religionis avertere, et cum sint ipsi poenales, quaerere sibi ad poenam comites, quos ad crimen suum fecerunt erroris participes." — 8) Lactant. instit. div. lib. 1. C. 14: „Qui quoniam sunt spiritus tenues et incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, et occulte in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos ciunt, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere" cfr. lib. 2. C. 15 et 16. — 9) Basil. in Is. C. 2. n. 97: „Ecquid autem daemones. An non ejusmodi sunt (ut vespertiliones)? Nonne vastitatis sunt opifices (ἐρημοποιοι), cum veram totius mundi lucem aversentur? — Daemones incorporales (ἀσωματοι) quidem, sed divini amoris pennis destituuntur, — neque angeli, neque homines sunt (ουτε αγγελοι εισι ἡ ουτε ανθρωποι) — ad vindictam sunt parati (ἀμυντικοι), sed non efficiunt angeli — in plurima celeritate nequitiam perficiunt." — 10) Cyrill. Hieros. catech. 16. C. 15: „Vere hominum hostes sunt daemones (ἐχθροι των ανθρωπων αληθως οἱ δαιμονες), qui illis tam foede atque immisericorditer abutuntur." — 11) Greg. Nyss. de paupert.

amand. orat.: „Nobis omni studio moliuntur (daemones) insidias; quippe livore liquefiunt et tabescunt invidia, quod ad eam nos homines necessitudinis conjunctionem cum ipso Deo et felicitatis possessionem, e qua ipsi dejecti sunt, simus perventuri.“ — 12) Hieron. in Habac. C. 1: „Natio daemonum — ambulat — ubicunque terrarum est latitudo, ut possideat homines, in quibus Christus habitare debuerat“ cfr. in ep. ad Eph. C. 2. — 13) Augustin. de civ. Dei lib. 8. C. 22: „(Credendum, daemones) esse spiritus, nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aëre habitant, qui de coeli superioris sublimitate dejecti, merito irreprehensibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere praedamnati sunt.“ — 14) Cyrill. Alex. contr. Julian. lib. 3: „Falso agnominatos deos, hoc est daemones immundos, certum est, amaros infensosque esse creaturis.“

Summa locorum haec est:

a) daemones sunt spiritus, Tatian. Minut. Felix, Lactant. Augustin.; hinc incorporei nec angeli nec homines Basil. in aëre habitantes Augustin.;

b) alienati a Deo Minut. Felix et justitia August. socios sibi quaerentes Cyprian.;

c) superbi et fallaces Augustin., invidi Greg. Nyss. Augustin. vindictae Basil. et nocendi cupidi Augustin. atque ad nequitiam parati Basil., quia hominum hostes Cyrill. Hieros. et creaturis infensi sunt Cyrill. Alex.;

d) segregant, abducunt et avocant a Deo Justin. Minut. Felix et Cyprian ejusque Filio Justin. et a religione avertunt Cyprian. mentem perturbando Lactant. errorem pravitatis infundendo Minut. Felix;

e) animam hominis affligunt, Tertull. illique insidias struunt, Orig. Greg. Nyss.;

f) evertunt et perdunt homines, Tertull. Minut. Felix, fallunt Cyprian, turbant Hieron., somniisque terrent Lactant.;

g) procurant pestes, grandines, procellas Clem. Alex. et morbos Lactant.

§. 33.

III. Influxus daemonum in homines vivo Jesu, illorumque destructio et poena.

A) *N. T.* Innumera mala, morbi extraordinarii, insania insolita, furor nimius, signa phaenomenum quorundam characteristica coaevos Christi in opinionem et fidem adduxerunt, esse entia invisibilia, in hominem influxum habentia, quorum potestate effectus plane inexplicabiles producuntur; huc accedit, quod Jesus realitatem horum entium agnoverit, ut supra dictum; attamen nunc quaestio oritur, an omnes vere daemoniaci, aut tantummodo male se habentes = aegroti fuerint? De quo maxime notandum:

1) Vere aegroti utique extiterunt, quod et Apostoli non negarunt; verba enim, quae in daemoniacos pronuntiatur, longe alia sunt, quam in morbos solos Matth. 15, 22. 28: „Filia mea male a daemonio vexatur — et sanata est (ἰάθη) filia ejus ex illa hora“ cfr. Marc. 7, 26—30; Luc. 13, 11.

2) Non ubique sermo de aegrotis esse potest, cum nonnunquam longe alia symptomata occurrant, quam in morbis et infirmitatibus a) Matth. 8, 28—34. coll. Marc. 5, 1—17. et Luc. 8, 26—37; en saevities daemoniaci, timor coram Jesu, legio est nomen, grex porcorum magnus ibi praesens et in mare praecipitatus, pastores fugientes et obstupescentes, et de daemoniis narrantes, tranquillitas daemoniaci daemone expulso, commotio in urbe et deprecatio incolarum, ut Jesus finibus abscederet; b) Marc. 1, 23—28. coll. Luc. 4, 33—38. sermo ad Jesum: „Scio, quis sis, sanctus Dei“; minatio et praeceptum Jesu: „Obmutesce et exi ab homine“; phaenomena extraordinaria: „Discerpens eum spiritus immundus et exclamans

voce

voce magna exiit ab eo"; admiratio praesentium; de Jesu fama et rumor; c) Marc. 16, 9: „Apparuit (Jesu) primo Mariae Magdalenae, de qua ejecerat septem daemonia"; cfr. Luc. 8, 2.

3) Morbi et daemonia, ut supra jam dictum fuit, aperte distinguuntur Matth. 4, 24. coll. Marc. 1, 32. — Matth. 8, 16. coll. Marc. 1, 34. et Luc. 13, 32. — Luc. 6, 18; C. 8, 2; Act. 5, 16.

4) Jesus coram Pharisaeis ad contestandam dignitatem Messianam provocat se ad potestatem daemonia ejiciendi Matth. 12, 28. et Luc. 11, 20.

5) Ipsi Apostoli ita se gerunt, ut vere obsessos ante se habere convicti sint Luc. 10, 17—21; Act. 8, 7.

6) Jesus ante ascensionem Apostolis non merum dedit curationis donum, sed potestatem expressam, daemones ejiciendi Marc. 16, 17. 18.

Regnum daemonum vivo Jesu penitus destructum fuisse, s. literae satis pronuntiant iisque eandem, quam diabolo, poenam constituunt Matth. 25, 41; 2 Petr. 2, 4; Jud. v. 6., ut supra.

B) *Traditio* 1) Justin. dial. c. Tryph.: „Per nomen siquidem istius ipsius Filii Dei — daemonium omne adjuratum vincitur et in ditionem redigitur." — 2) Tertull. ad Scap. C. 2: „Daemones — non tantum respuimus, verum et revincimus et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est" cfr. apol. C. 23. — 3) Minut. Felix in Octav.: „Haec omnia sciunt pleraque pars vestrum, ipsos daemones de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. — 4) Orig. contr. Cels. lib. 7. n. 4: „Cujusnam alius generis censeri oportet spiritum illum, qui menti et rationi tenebras offundit, praeterquam illorum daemonum, quos ex obsessis profligant e Christianis multi, idque sine ullo inutili magiae aut incantationis auxilio sed solis precibus simplicibusque adjurationibus" cfr. lib. 1. n. 46. — 5) Cyprian.

ad Demetr.: „A nobis daemones adjurantur et torquentur spiritualibus flagris et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur." — 6) Lactant. instit. div. lib. 2. C. 16: „Itaque maximis saepe ululatibus editis verberari se et ardere et jamjam exire proclamant." — 7) Athan. de incarn. verb. Dei: „Cujus unquam mors abegit daemones (ἀπήλασε δαίμονας), aut cujus unquam mortem daemones expaverunt (ἐφοβήθησαν δαίμονες), ut Christi" cfr. de virgin. — 8) Hieronym. apol. 2. adv. Ruff.: „Scriptum est in Evangelio: quia et ipse diabolus et omnes angeli ejus cum iis, qui opera ejus faciunt, id est, qui criminantur fratres, cum ipso pariter aeterni ignis haereditate potientur" cfr. in Is. C. 24; ergo

a) daemones per Jesum vincti sunt, Justin. et morte ejus destructi Athan.;

b) expelluntur per nos ab hominibus Tertull. vi verborum et orationis, Minut. Felix, Cyprian.; solis precibus et adjurationibus, Orig.; maximos inter ululatus Lactant.;

c) cum diabolo in ignem aeternum missi, Hieron.

Effata quorundam ss. patrum licet sint obscura v. g., Lactant. instit. div. lib. 4. C. 27; Augustin. de gen. ad lit. lib. 12. C. 17; Caesar. quaest. 112; Greg. M. hom. 33. in Evang.; haec ex clarioribus et distinctioribus judicanda sunt et interpretanda. — Hodierno tempore in casibus ejusmodi occurrentibus maxima adhibenda erit cautela.

Sectio IV.

Anthropologia biblica

sive

doctrina de hominis statu ejusque lapsu.

CAPUT I.

Creatio primi hominis — Primum hominum par eorumque origo.

§. 34.

A) *V. T.* 1) Hominem primum immediate a Deo ipso creatum, illi adjutricem ab ipso datam fuisse, omnesque homines a primis his parentibus originem ducere, verbis apertis enuntiatur Gen. 1, 26. 27: „Et ait (Deus): Faciamus (נַעֲשֶׂה) hominem ad imaginem et similitudinem nostram. — Et creavit (וַיִּבְרָא) Deus hominem — masculum et foeminam creavit eos"; C. 2, 7. 18. 20. 21. 22. 23: „Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem. — Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum, hominem esse solum: faciamus (text. hebr. אֶעֱשֶׂה faciam) ei adjutorium simile sibi (כְּנֶגְדּוֹ, tanquam coram eo i. e. quod sit coram eo = ei correspondens; in vers. arab. secundum naturam ejus; 70: recte: κατ' αὐτον). — Adae vero non inveniebatur (text. hebr. לֹא־מָצָא, non inveniebat scil. Deus) adjutor similis ejus (כְּנֶגְדּוֹ; 70: ὁμοιος αὐτῳ). Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem: et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc (text. hebr. זֹאת הַפַּעַם, hac vice) os ex ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur virago (אִשָּׁה, virissa), quoniam de viro sumta est"; C. 3, 20: „Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva

(חַוָּה, chavah, vivens), eo quod mater esset cunctorum viventium (כָּל־חָי, omnis viventis)"; C. 5, 1. 2: „Hic est liber generationis Adam. In qua die creavit hominem: — masculum et foeminam creavit eos: — et vocavit nomen eorum Adam, in die, quo creati sunt."

Narrationem hanc mosaicam multi Exegetae varie interpretantur; habent enim eam modo pro mytho (sic Eichhorn et Paulus), modo pro allegoria (sic Philo et Kant), modo pro symbolo hieroglyphico (sic Rosenmueller et Gamborg), modo pro descriptione poetica de transitu hominis ex statu terreno ad moralem (sic Enkelmann); at veram esse historiam lingua sublimi et poetica exornatam aut potius in sensuali, uti mundum primitivum decet, cogitandi dicendique methodo narratam; ex sequentibus apparet:

a) regio expresse nominatur, in qua homo e Dei manu formatus aut creatus positus fuerat C. 2, 8; fluvii, eandem terminantes, quorum aliqui hodiedum existunt, designantur C. 2, 10—14;

b) Deus secum ipse consilium iniens describitur C. 1, 26: „Faciamus hominem, נַעֲשֶׂה אָדָם"; ut gravitas objecti et hominis dignitas demonstretur, author sacer Deum ipsum loqui sinit „faciamus"; cum omnia reliqua omnipotenti tantum nutu: „fiat vel sit יְהִי" oriantur.

c) Creatio immediate per Deum facta enuntiatur C. 2, 7., cum antea nuspiam mortalis extiterit; modum e contra creationis author lingua poetica et sublimi describit.

d) Homini primo fructu quodam expresse interdicitur, quo si fruitus fuerit, morte moriatur; quod et eventus probavit.

e) Aliquo post momento ipsi adjutorium simile sibi additur; lingua, in qua Deus loquens introducitur, a s. authore exornata videtur.

f) Historia in Genesi exordium quoddam sumat, necesse est; nisi capite primo initium habeat, dicat aliquis, ubi et quando incipiat; aut forsan totum, quod continet liber, mythice intelligendum erit, quae absurditas, quod damnum revelationi exinde oriundum!

g) Unum par debuit esse par primum et unicum; sic ratio ipsa argumentatur; ergo existit primus Unicus et primus homo fuit non natus (contra Kaiser); num forsan homo primus ut fungus e terra germinavit?

h) Contradictio inter documentum primum Gen. 1, 26 —30. et secundum C. 2, 7—25. (sic Eckermann, Bauer, Junge etc.) penitus evanescet, si perpendamus, comparatis duobus documentis veritatem manifeste elucescere, hominem a Deo originem duxisse.

2) Creationem hanc per Deum immediate in genere duplici, masculino et foeminino, factam fuisse, alia V. T. loca probant Tob. 8, 8: „Tu fecisti Adam de limo terrae, dedistique ei adjutorium Hevam (text. gr. addit: *στηριγμα την γυναικα αὐτου· ἐκ τουτων ἐγενηθη το των ἀνθρωπων σπερμα* fulcrum uxorem ejus. Ex istis factum est hominum semen).“ — Job. 10, 8. 9: „Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu: — memento quaeso, quod sicut lutum feceris me“ cfr. C. 33, 4. 6. — Ps. 103, 29. 30. — Eccl. 12, 7: „Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat (כְּשֶׁהָיָה, sicut qui = quemadmodum fuit), et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum“; ex hoc loco manifeste apparet, hominem initio inanimatum, et a Deo animatum fuisse. — Sap. 10, 1: „Qui primus formatus a Deo (id text. gr. omittit), pater orbis terrarum, cum solus esset creatus“; ergo, ut supra dictum, homo adest primus Unicus et primus homo non natus. — Eccles. 17, 1. 2. 5: „Deus (text. gr. *κυριος*, Dominus) creavit de terra hominem — et iterum convertit illum in ipsam. — (secundum Vulg.) Creavit ex ipso adjutorium simile sibi (aliter in text. gr.).“

Inde omnes genealogiae ab Adamo, omnium hominum primo, exordium sumunt; en 1 Paral. 1, 1.

B) *N. T.* iisdem verbis enuntiat, primos homines a Deo fuisse creatos, ab iisque totum genus humanum promanare Matth. 19, 4: „Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio (απ' αρχης), masculum et foeminam fecit eos.“ — Act. 17, 26: „Fecitque (Deus) ex uno (ἐξ ἑνος text. gr. addit: αἱματος sanguine) omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae“; 1 ad Cor. 11, 8. 9: „Non enim vir ex (ἐκ) muliere, sed mulier ex (ἐξ) viro; etenim non est creatus vir propter (δια) mulierem, sed mulier propter (δια) virum“; C. 15, 45. 47: „Factus est primus (ὁ πρωτος) homo Adam in animam viventem. — Primus homo de terra, terrenus;“ 1 ad Tim. 2, 13: „Adam enim primus (πρωτος) formatus est, deinde (ειτα) Heva).“

Inde genealogia Luc. 3, 38. ab Adamo, hominum descendentium patre, incipit; ipse vero dicitur filius Dei, sicque nos sumus Dei familia.

Constat ergo homo non ex corpore solo (contra Materialismum), non ex anima sola (contra Idealismum), sed ex corpore et anima simul, quoad corpus e terra, quoad animam per spiritum Dei; Deus quippe est spiritus ejusque halitus non est materies.

C) *Traditio* 1) Clem. Rom. 2 ad Cor. 1: „Vocavit enim nos cum non essemus, et ex eo, quod non erat, nos esse voluit (ἐκαλεσε γαρ ἡμας οὐκ ὀντας και ἠθελησεν ἐκ μη οντος ειναι ἡμας).“ — 2) Lactant. instit. div. lib. 7. C. 5: „Perfectis omnibus, quae ad conditionem mundi pertinebant, hominem finxit ex ipsa terra, quam illis principio in habitaculum praeparavit, id est, spiritum suum terreno corpore induit et involvit.“ — 3) Basil. comment. in Is. C. 7. n. 201: „Primus Adam non ex viri ac feminae congressu editus est, in lucem, sed ex

terra confirmatus (ἐκ της γης ἀνεπλασθη)" cfr. de hom. struct. sive de parad. orat. 3. C. 7. — 4) Greg. Naz. orat. 42. in Pasch. 2: „Hunc arbitrii libertate donatum — in paradiso (quicunque tandem erat paradisus ille) collocat, plantarum immortalium cultorem, hoc est, fortasse divinarum cogitationum, tam leviorum, quam perfectiorum nudum, quantum ad simplicitatem et vitam arte et fuco carentem, atque omnis integumenti et munimenti expertem. Talem enim esse conveniebat eum, qui primum esset creatus." — 5) Chrysost. in Gen. hom. 13: „Formavit Deus hominem, pulverem accipiens de terra, vide et in hoc hujus dignitatem. Non enim simpliciter terram accipit, sed pulverem et tenuissimum, ut ita quis dixerit, de terra; et hunc pulverem terrae suo praecepto in corporis naturam vertit. — Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem; quid est, inspiravit spiraculum vitae? Voluit et imperavit, ut hoc corpus formatum haberet vitalem vim, quae facta est in animali in animam viventem, hoc est, efficaciter operantem et suam artem membrorum motu ostendere valentem" — hom. 15: „Immisit — excessum in Adam et dormivit, accepitque unam costarum illius et implevit carnem pro illa, ut ne posset discusso somno, quod factum erat, ex vacuitate sentire. — Igitur acceptam hanc costam aedificavit Dominus Deus in mulierem." — 6) Hieron. comment. in ep. ad Philem.: „Credit quisquam in conditorem Deum, non potest credere, nisi quis crediderit de sanctis ejus, vera esse, quae scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam." — 7) Augustin. de civ. Dei lib. 14. C. 11: „Etsi de terra ac pulvere Deus finxit hominem, eadem terra omnisque terrena materies omnino de nihilo est, animamque de nihilo factam dedit corpori, cum factus est homo." — 8) Cyrill. Alex. contr. Julian. lib. 3: „Ad ipsum primum hominem pergemus; itaque formatus a Deo, et ex ipso omne genus humanum, inquam, natum

est; igitur homo, qui super terram, hoc est, omne humanum genus summi Dei esse intelligitur“ ergo

a) Deus ex eo, quod non erat, nos esse voluit Clem. Rom.

b) formavit primum hominem, Cyrill. Alex. Hieron.; ex pulvere de terra, Chrysost.; ex terra, Lactant. Basil. Augustin.; ante omnes terrae creaturas, Greg. Naz.; inspirans spiraculum vitae, Chrysost.; aut animam dans corpori, Augustin.;

c) collocavit eum in paradiso, Greg. Naz.;

d) ex costa illius aedificavit mulierem, Chrysost. Hieron.;

e) a primis parentibus omne genus humanum originem ducit, Cyrill. Alex.

Caput II.

Status protoparentum.

§. 35.

A) *V. T.* Gen. 1, 26. 27. legitur: „Et ait (Deus): faciamus hominem ad imaginem (בְּצַלְמֵנוּ, in imagine nostra) et similitudinem nostram (כִּדְמוּתֵנוּ, secundum similitudinem nostram). — Et creavit Deus hominem ad imaginem (בְּצַלְמוֹ, in imagine sua; sic et text. samar. syr. arab.) et similitudinem suam (quod in text. hebr. omittitur; 70 utrumque non legunt; vers. armen. habet tantummodo: ἐν εἰκονι αὐτου); ad imaginem Dei (בְּצֶלֶם אֱלֹהִים, in imagine Dei) creavit illum, masculum et foeminam creavit eos)“ — C. 5, 1: „In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem (בִּדְמוּת, in similitudine) Dei fecit illum“ — C. 9, 6: „Ad imaginem (בְּצֶלֶם, in imagine) quippe Dei factus est homo (text. hebr. עָשָׂה אֶת־הָאָדָם, fecit hominem scil. Deus)“ — Sap. 2, 23: „Deus creavit hominem inexterminabilem et

ad imaginem similitudinis suae (και εἰκονα της ἰδιας ἰδιοτητος) fecit illum“ — Eccles. 17, 1: „Deus creavit de terra hominem et secundum imaginem suam fecit illum“; text. gr. in vers. 3., quod in vers. 1. omisit, legit: „και κατ' εἰκονα αὐτου ἐποιησεν αὐτους, et ad imaginem suam fecit eos.“ Ex his locis apparet, hominem ad imaginem et similitudinem Dei creatum fuisse: imago ergo significat sublimiorem et spiritualem hominis naturam Deo analogam respectu intellectus et rationis; similitudo respectu voluntatis rectitudinem animi, statum innocentiae, justitiae et sanctitatis originarium et a peccato omnino liberum; hinc existit duplex Dei effigies in homine, naturalis scil. et supernaturalis; utraque corpus et animum complectitur et efficit, et quidem

1) animi praerogativae erant

a) intellectus excultus, vi cujus notionem Dei adepti ad agnitionem et cultum perducti sunt, sensualitate non exclusa, attamen rationi subjecta Gen. 3, 3: „Praecepit nobis Deus, ne comederemus (text. hebr. לֹא תֹאכְלוּ מִמֶּנּוּ, non comedetis ex ea)“ — Eccles. 17, 5. 6: „Disciplina intellectus replevit illos; creavit illis scientiam spiritus“ cfr. v. 8;

b) voluntas omnibus cupiditatibus et vitiis libera; inde rectitudo, probitas, integritas animi originaria, conjuncta cum studio, Deo conformiter agendi, id est, status innocentiae, et sanctitatis Gen. 2, 25: „Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus et non erubescebant“ — Eccles. 7, 30: „Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum (יָשָׁר)“ — Eccles. 17, 6. secund. Vulg.: „Sensu implevit cor illorum“ cfr. v. 9. 10. 11;

c) libertas perfecta et gratia supernaturalis Eccles. 17, 6: „Et mala et bona ostendit illis“; inde interdictum et electio inter bonum et malum Gen. 2, 17:

„De ligno autem scientiae boni et mali (מֵעֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע) ne comedas";

d) immediatum cum Deo consortium Gen. 1, 29: „Dixitque Deus: ecce dedi vobis etc." cfr. C. 2, 15. 16.

2) Corporis praerogativae

a) immortalitas, immunitas a morbis et morte acerba Gen. 2, 17: „In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris (מוֹת תָּמוּת)" — C. 3, 22: „Ne — sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum" — Sap. 1, 13: „Quoniam Deus mortem non fecit" — C. 2, 23: „Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem (ἐπι ἀφθαρσιᾳ, in immortalitate)"; attamen utrum homo vi structurae corporis sui jam destructionem prae se ferentis nunquam mortuus fuisset, inter criticos lis est, qui alium utique moriendi modum licet non tam violentum uti Gen. 5, 24. cfr. ad Hebr. 11, 5. intervenire potuisse contendunt, sicque immortalitatem corporis non absolutam aut illimitatam, sed hypotheticam et conditionatam admittunt; nihilo secius quaeri potest, cur arbor vitae adfuerit et cur Jehovah hominem lapsum a fructu ejus removerit Gen. 3, 22. 23;

b) usus corporis in laborando Gen. 2, 15: „Ut operaretur et custodiret illum (paradisum voluptatis)" — Eccles. 17, 5: „Consilium et linguam, et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi";

c) propagatio generis humani Gen. 1, 28: „Benedixitque illis (masculo et foeminae) Deus et ait: crescite et multiplicamini et replete terram";

d) matrimonium prosperrimum et animus contentus; hinc prima societas ad promovendam moralitatem oritur Gen. 2, 18. 24: „Faciamus ei adjutorium simile sibi: — quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in

carne una" — Eccles. 17, 5: „Creavit ex ipso adjutorium simile sibi";

e) contemplatio, usus et dominium in res creatas, indeque quaedam corporis superioritas et potestas super animalia Gen. 1, 26: „Et praesit (text. hebr. וְיִרְדּוּ, et dominentur) piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis, universaeque terrae omnique reptili, quod movetur in terra" cfr. v. 28. 29. 30; C. 2, 19. 20; C. 9, 2. 3. — Ps. 8, 7. 8. 9: „Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus aves et boves universas: insuper et pecora campi. Volucres coeli et pisces maris, qui perambulant semitas maris" — Eccles. 17, 3: „Dedit illi potestatem eorum, quae sunt super terram" cfr. v. 4;

f) sedes amoena, omnibus rebus abundans, גַּן־עֵדֶן, hortus Eden, παράδεισος Gen. 2, 8: „Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio: in quo posuit hominem, quem formaverat" cfr. v. 15;

g) immunitas a laboribus molestis, per quos vires franguntur, licet ipsi otio dediti certe non fuissent Gen. 2, 15; inde perpetrato, ut ait s. scriptura, peccato homo non desiit esse imago Dei Gen. 5, 3.

Imaginem Dei Judaei in his ponunt: quod, ut anima replet corpus, ita Deus coelum; ut Deus unicus, sic anima una in corpore; ut Deus, sic anima non inquinatur sordibus corporis; ut Deus, sic anima videt omnia, non videtur; ut Deus, ita anima non dormit; et ut Deo nemo similis, ita nullus hominum alteri similis; insuper notandum, quod Cornel. a lap. et Pererius imaginem et similitudinem esse hendiadyn affirment; at permulti ss. patres rite distinguunt inter imaginem et similitudinem Dei, uti mox videre licebit.

B) *N. T.* doctrina illi V. T. conformis est 1 ad Cor. 11, 7: „Vir non debet velare caput suum, quoniam imago

et gloria Dei (εἰκων και δοξα Θεου = imago gloriae Dei) est.“ — Ad Eph. 4, 24: „Induite novum hominem, qui secundum Deum (κατα Θεον) creatus est in justitia et sanctitate veritatis.“ — Jac. 3, 9: „Maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei (καθ' ὁμοιωσιν Θεου) facti sunt.“ — 2 Petr. 1, 4: „Ut per haec efficiamini divinae consortes naturae (θειας κοινωνοι φυσεως), fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem.“

Omnia haec cum illo loco Gen. 1, 26. eadem sunt; hic, ut illic, imago et similitudo Dei in creato homine designatur, et in loco ad Eph. 4, 24. expresse docetur, in quo similitudo Dei consistat, nempe in justitia (= innocentia et immunitate a peccato) et sanctitate veritatis (= sanctitate vera = animo voluntati Dei plane conformi et virtute); cfr. 2 Petr. 1, 4.

C) *Traditio*; en doctrinam ss. patrum de hoc objecto cum summa locorum 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. C. 33: „Prae omnibus animal excellentissimum et intellectus gratia maximum hominem sacris et intaminatis manibus formavit imaginis suae characterem (της ἑαυτης εἰκονος χαρακτηρα); ita enim ait Deus: faciamus hominem etc.“ — 2) Justin. dial. c. Tryph.: „Cum itidem ut Deus est, (primi homines) impatibiles et immortales (τους και Θεῳ ὁμοιως ἀπαθεις και ἀθανατους), siquidem praecepta ejus servarent, ab eo facti et eo honore judicati fuerint, ut filios suos vocaret.“ — 3) Tatian. orat. ad Graec. C. 10: „Verbum illud coeleste — hominem immortalitatis imaginem fecit (εἰκονα της ἀθανασιας τον ἀνθρωπον ἐποιησε), ut quemadmodum immortalitas apud Deum est, eodem modo divinam portionem nactus homo, immortalis (ἀθανατος) quoque evaderet“ cfr. C. 25. — 4) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Nam cum dicit Deus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; primo hominis dignitatem (το ἀξιωμα του ἀνθρωπου) prodit. Cum enim caetera omnia sermone constitueret Deus, et

ea quasi obiter conderet, hominis creationem existimavit solum opus suis manibus dignum." — 5) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 71: „Liberum eum (hominem) Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et animam suam, ad utendi sententia Dei voluntarie et non coacte a Deo" cfr. 76. et lib. 5. — 6) Tertull. de bapt. C. 5: „Ita restituitur homo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat. Imago in effigie; similitudo in aeternitate censetur" — de patient. C. 5: „(Adam ante lapsum) innocens erat et Deo de proximo amicus et paradisi colonus" cfr. adv. Valentin. C. 24. — 7) Clem. Alex. strom. lib. 4. C. 23: „Qua ratione Adam quoque dicimus fuisse perfectum; quod attinet ad formationem: nihil enim ei defuit ex iis, quae homini formae et speciei characterem (των χαρακτηριζοντων την ἀνθρωπου ἰδεαν τε και μορφην) tribuunt. Quod autem dum fieret, accepit perfectionem (τελειωσιν) et justificatum est per obedientiam, hoc erat, quod in virum crescebat, nempe id, quod in ejus potestate erat (το ἐπ' αὐτῳ κειμενον) seu liberum arbitrium" cfr. lib. 2. C. 22; cohort. ad gent. C. 4; paedag. lib. 1. C. 3. — 8) Orig. in Gen. hom. 1: „Non corporis figmentum Dei imaginem continet, neque factus esse corporalis homo dicitur, sed plasmatus. — Is autem, qui ad imaginem Dei factus et ad similitudinem interior homo noster est, invisibilis et incorporalis et incorruptus atque immortalis; in his enim talibus Dei imago rectius intelligitur" cfr. in Jerem. hom. 2; de princip. lib. 3. C. 6. n. 1.; contr. Cels. lib. 6. n. 63. — 9) Lactant. instit. div. lib. 2. C. 11: „Tum facit (Deus) ipse sibi simulacrum sensibile atque intelligens, id est, ad imaginis suae formam, qua nihil potest esse perfectius; hominem figuravit e limo terrae, unde homo nuncupatus est, quod sit factus ex humo" cfr. lib. 7. C. 5. — 10) Hilar. tract. in Ps. 118. lit. 10: „Primum opus non habet in se assumtae aliunde alterius naturae originem: incorporale est — fit enim ad imaginem Dei, non Dei

imago, quia imago Dei est primogenitus omnis creaturae; sed ad imaginem, id est, secundum imaginis et similitudinis speciem, divinum in eo et incorporale colendum. — Quod ergo fit secundum imaginem Dei, ad animi pertinet dignitatem." — 11) Athan. de incarn. verb. Dei: „(Deus) humanum genus creavit, sed ad suam ipsius imaginem illud effiguravit, deditque illis suae rationis dotem (του ἰδιου λογου δυναμιν) ut veluti umbras quasdam et lineamenta rationis possidentes rationalesque effecti perseverare possent in beatitudine, viventes veram et revera sanctorum in paradiso vitam" cfr. contr. gent. orat. — 12) Basil. ep. 233. (al. 399.) ad Amphiloch. C. 1: „Praeclarum quid mens est: et in ea habemus id, quod est ad imaginem creatoris (το κατ' εἰκονα του κτισαντος)" cfr. hom. 9. in illud, quod Deus non est auctor malorum C. 1. — 13) Cyrill. Hieros. catech. 4. C. 18: „Id quoque scito, quod animam habes liberae potestatis, opus Dei praestantissimum, juxta imaginem conditoris factam, immortalem, propter Deum immortalitatem ipsi conferentem (ἀθανατον, δια του ἀπαθανατιζοντα Θεον)." — 13) Greg. Nyss. contr. Eunom. lib. 1: „Cum Deus hominem honorasset, eo quod ipsum ad imaginem et similitudinem sui creatoris effecisset, omnem rationis expertem creaturam subjecit illi conditor Deus" cfr. orat. in verba: faciamus. — 14) Ambros. in Hexaem. lib. 6. C. 7: „Anima nostra ad imaginem Dei est; in hac totus es homo, quia sine hac nihil es, sed es terra, et in terram resolveris; — haec est ad imaginem Dei, corpus autem ad speciem bestiarum" cfr. C. 8. integr.; de fug. saec. C. 4; lib. 4. in Evang. Luc. C. 4. — 15) Chrysost. in Gen. hom. 9: „Audiamus nunc, quae sunt dicta: faciamus hominem secundum imaginem nostram et secundum similitudinem. Sicut imaginem dixit ob principatus rationem, ita et similitudinem, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo; mansuetudine (inquam), lenitate et virtutibus Deo similes efficimur, quod et Christus dixit: similes estote Patri vestro,

vestro, qui est in coelis" cfr. hom. 8. et 16; in Ps. 13. hom. — 16) Hieron. in ep. ad Philem.: „Si Deus voluntarie et non ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens, ad suam imaginem et similitudinem facere, hoc est, ut ipse voluntarie et non ex necessitate bonus esset. — Igitur proprio arbitrio nos relinquens, magis ad suam imaginem et similitudinem fecit; similem autem Deo esse, absolute bonum est" cfr. in Job. C. 31; in Ezech. C. 1. et 28. — 17) Augustin. in ep. 1 Joan. tract. 8: „Ubi autem factus est (primus homo) ad imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiore homine, in eo, quod intelligit veritatem, dijudicat justitiam et injustitiam, novit, a quo factus est, potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum" cfr. de civ. Dei lib. 14. C. 11. et 26; de genes. ad lit. lib. 3. C. 19; lib. 6. C. 24. 27. et 28; de gen. contr. Manich. lib. 1. C. 17; de rudib. catechiz. C. 18; de symbol.; retract. lib. 2; de spir. et lit. C. 28; de trin. lib. 12. C. 7. et 13; lib. 14. C. 16. et 19; 83. quaest. liber, quaest. 51. — 18) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 2. C. 3: „Ab eodem (Moyse) etiam didicimus, spiritu ad imaginem divinam sigillatum hominem fuisse, et sufflavit in faciem, inquit, ejus spiraculum vitae; simul enim et vitam creaturae spiritus immisit et characterem suum, ut Deum decet, impressit, et sic rationale ab artifice Deo animale constitutum mandatum ad salutem accepit et fuit in paradiso, quousque gratiam creatoris spiritu sancto inhabitante servavit" cfr. contr. Julian. lib. 2; de ador. et cult. in spir. et verit. —

Summa omnium locorum haec est:

a) imago Dei consistit in charactere imaginis divinae, Clem. Rom.; formae et speciei, Clem. Alex.; in intellectu, Clem. Rom. et simul sensu Lactant. Augustin.; in mente, Basil. Augustin. ac rationis dote, Athan. Cyrill. Alex.; in immortalitate, Justin. Tatian. Orig. Cyrill. Hieros. et incorruptibilitate, Orig.; in

interiore homine, Augustin. et anima, Ambros.; atque animi dignitate, Hilar.; in effigie externa, Tertull.; in principatu et dominio, Chrysost.;

b) similitudo in libertate perfecta, Iren. Clem. Alex. Cyrill. Hieros.; in innocentia, amicitia Dei et aeternitate, Tertull.; in perfectione ex obediendo orta, Clem. Alex. et virtutibus accedentibus, Chrysost.; sicque in bonitate voluntaria et absoluta, Hieron.;

c) imago et similitudo simul in hominis dignitate prae caeteris creaturis, Theophil.; in interiore homine, Orig.; in subjectione creaturarum ratione expertium sub voluntate hominis, Greg. Nyss.; qua summa comparata apparebit, ss. patres primo homini in primo statu praerogativas quasdam quoad corpus et animum attribuisse.

Caput III.

Peccatum protoparentum.

§. 36.

A) *V. T.* Primus homo in hoc statu felici non diu permanens peccando infelicem se reddidit per inobedientiam et transgressionem mandati a Deo dati, sic dicit expresse s. scriptura; en Gen. 3, 1—24. integr.

Omissis variis opinionibus de tentatione interna, de metaphorica vel allegorica mytho et lingua hieroglyphica, aliisque rejectis hypothesibus a Philone, Jerusalem, Hezelio, Michaeli, Rosenmuellero, Gamborgio, Herdero, Flattio, Kantio, Tellero, Eichhornio, Gablero, Paulo, Ilgenio, Bergero etc. excogitatis, quas enumerare et enucleare extra scopum hujus compendii est, veram narrationi mosaicae subesse historiam patet ex his argumentis.

a) Vocatur seductor externus נָחָשׁ, serpens, sive fuerit animal verum, uti Evae videbatur, sive satanas ipse

sese in angelum bonum transmutans, qui serpens vocabatur, cum in aetate, tunc puerili, propria denominatio nondum usitata fuit; colloquium nimirum inter hunc et Evam esse potest historiae completio adumbrata; neque sensualitas est excludenda, ideoque vera historia admittenda; quomodo vero satanas in hac seductione operatus sit, variae sunt opiniones, quas praetermitti licet.

b) Uterque, Adam et Eva, instigante seductore, de fructu comedebant, quem aspectu delectabilem non tam noxium, ut interdictum edixit, esse posse opinati sunt; objectum ergo tentationis erat fructus et esus sensualis; hinc non honor, non avaritia, non stimuli incogniti, non voluptas sunt objectum, sensualitate tunc in ordinem redacta, sed seductionem externam interveniendo adfuisse concludendum est.

c) Quo fructu commesto aperti sunt oculi amborum = interdictum se transgressos peccasse agnoverunt; hinc timor a facie Domini ubique praesentis; hinc ipsa nuditas iis molesta et turpis videbatur.

d) Peccato nunc perpetrato sequela haec fuit, ut se ipsos in conscientia malefacti reos accusarent seque transgressores mandati divini sisterent.

e) Quo facto seductori et protoparentibus poena destinata fuit; illo maledictò, his ad aerumnas et vitae miserias damnatis, paradiso expulsis, atque ab ea regione, quae iis recordationem peccati commissi semper renovasset, abeuntibus.

f) Haec narratio mosaica longe alia ac illa Jud. 9, 8—15. et 2 Reg. 12., quarum prior profert fabulam Jothami, altera in forma parabolae historiam per prophetam Nathan in casu possibili exhibitam (contra neo-criticos); Moses enim historicum agit, non poetam: nec ulla urget necessitas, deserendi literae proprietatem, cum interpretatio literalis neque absurdi, neque contradictorii quid involvat.

g) Admissa historia vera facile omnia loca tum in V. tum in N. T., quae de seductore externo loquuntur, inter se comparanda et intelligenda sunt, cum hoc caput tertium cum praecedenti necessario conjungatur; sic Sap. 2, 24: „Invidia autem diaboli (διαβολου, en nomen, quo insignitur seductor Gen. 3. serpens vocatus) mors introivit in orbem terrarum"; quo in loco de morte physica sermo est; nam propositio sequens: „Imitantur (πειραζουσι, tentant) autem illum, qui sunt ex parte illius" ad diabolum refertur, non ad mortem, cum pro πειραζουσι poni debeat γευονται, gustant (contra neo-criticos).

h) Admissa allegoria aut mytho omnino nulla erit sensus certitudo et difficultates non solvendae occurrent; hinc multo melius et tutius est, narrationem historicam admittere, qua concessa minores difficultates occurrunt facillime solvendae.

i) Gentium v. g. Aegyptiorum, Romanorum, Graecorum traditiones sub climatibus diversis eam narrationem exhibent, ex quo historici quidquam subesse debere, clarissime elucet.

B) *N. T.* loquitur expresse de seductore externo, distincte pronuntians, quis sub serpente in narratione mosaica intelligendus sit; Jesus et Apostoli de narratione hac tanquam de facto et vere historica memorant Joan. 8, 44: „Vos ex patre diabolo estis: — ille homicida erat ab initio"; Jesum hic ad Gen. 3. alludere, memoratu opus non est. — 2 ad Cor. 11, 3: „Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri" et v. 14. docet s. Paulus, hunc spiritum infestum, quem sub serpente intelligit, angeli boni figuram praeseferre posse, dicendo: „Et non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis" cfr. 1 ad Tim. 2, 14. — 1 Joan. 3, 8: Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus

peccat"; quo loco Evangelista manifeste ad Gen. C. 3., uti Jesus Joan. 8, 44. alludit; inde diabolus recte appellatur Apoc. 12, 9: „Serpens antiquus."

C) *Traditio* sequenti capitulo reservabitur; hic tantum commemorare liceat eos ss. patres, qui in narratione mosaica veram historiam admittunt et confitentur v. g. Irenaeus adv. haer. lib. 3. C. 31. 35. et 37. — Basil. hom. 30. de parad. — Greg. Nyss. — Epiphan. haer. 64. — Ambros. lib. de parad. C. 2.

Caput IV.

Sequelae ex peccato ortae.

§. 37.

1) *respectu protoparentum.* 2) *respectu posteritatis.*

A) *V. T.* Sequelae peccati commissi

I) pro protoparentibus erant tristissimae et quidem

1) respectu animae

a) jactura integritatis, innocentiae et justitiae originariae Gen. 3, 7: „Cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata" cfr. vers. 21. et C. 2, 25; sensualitas enim, licet non pessima, cum conceptus religiosi non evanescerent, augebatur;

b) conscientiae malefacti, metus judicis et pavor, poenitentia, pudor Gen. 3, 8: „Abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei"; vers. 10: „Timui, eoquod nudus essem et abscondi me";

c) perturbatio in instinctibus sensualibus;

d) defectus habilitatis, finem consequendi.

2) Respectu corporis

a) incommoda, aerumnae, miseriae vitae Gen. 3, 17: Adae vero dixit: quia audisti vocem uxoris tuae et

comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo (בַּעֲבוּרֶךָ, propter te): in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae" cfr. v. 19.;

b) labores molesti et alimenta viliora quam in paradiso Gen. 3, 18: „Spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbas terrae (text. hebr. אֶת־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה, herbam agri)"; vers. 23: „Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram";

c) mors destructo corpore et viribus consumtis Gen. 2, 17: „In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris." — C. 3, 19: „In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua (כִּי מִמֶּנָּה, quia de ea) sumtus es: quia pulvis es (כִּי־עָפָר אַתָּה); et in pulverem reverteris" cfr. v. 22;

d) dolores in pariendo ex parte Evae et subordinatio et dependentia a viro Gen. 3, 16: „Mulieri quoque dixit: multiplicabo (הַרְבָּה אַרְבֶּה, multiplicando multiplicabo) aerumnas tuas, et conceptus tuos (= dolores conceptus tui): in dolore paries filios et sub viri potestate eris (text. hebr. וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ, et ad virum tuum desiderium tuum scil. erit): et ipse dominabitur tui";

e) ejectio ex paradiso Gen. 3, 24. 25: „Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis — ejecitque Adam."

II) Sequelae pro posteris eorum sunt: ut radix, sic tota stirps; ut haec, sic rami; a parentibus peccantibus generantur filii peccantes, illis non absimiles, id quod brevi post tempore in Caini fratricidio confirmatum fuit et ex pluribus s. scripturae locis apparet, ubi de sanctitatis defectu omnibus hominibus inhaerente mentio fit.

1) Job. 14, 4: „Quis potest facere (יִתֵּן, dabit = dare poterit) mundum de immundo, conceptum semine (has duas voces text. hebr. et gr. non legit)? Nonne tu, qui solus es (text. hebr. לֹא אֶחָד, non unus)"; 70

legunt: *τις γαρ καθαρος ἐσται ἀπο ῥυπου: ἀλλ' ουδεις*, quis enim mundus erit a sorde? Nullus „et addunt" *ἐαν και μια ἡμερα ὁ βιος αὐτου ἐπι της γης*, et si una dies vita ejus super terram"; ex hoc loco una cum additamento 70, collata Vulgata, hic de animae impuritate omnibus adhaerenti et Deo odiosa sermonem esse; quis est, quin intelligat? cfr. C. 4, 17—20; C. 15, 14. 15.

2) Ps. 13, 1. 2. 3: „Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis (sic et 70; text. hebr. הִתְעִיבוּ עֲלִילָה, fecerunt abominabile opus = pessime agunt; ergo idem sensus): non est, qui faciat bonum, (Vulg. cum 70 addit: non est usque ad unum). Dominus de coelo prospexit super filios hominum: ut videat, si est intelligens, aut (sic et 70; text. hebr. particulam sejunctivam omittit) requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum (אֵין גַּם־אֶחָד, non etiam unus scil. est)"; ex hoc loco apparet, homines vi malitiae iis ingenitae et sensualitatis inordinatae via veritatis et religionis relicta ad devia et scelera declinare.

3) Ps. 50, 7: „Ecce in iniquitatibus (sic et 70; text. hebr. בְּעָווֹן, in iniquitate) conceptus sum: et in peccatis (uti 70; text. hebr. בְּחֵטְא, in peccato) concepit me mater mea"; hic locus non de actuali parentum libidine in actu matrimonii intelligi potest; nam a) Davidis parentes erant pii; b) suum, non matris, peccatum accusat, omisso quippe patre; c) *το* בְּ non ad matrem, sed sobolem respicit; hinc David altius, ac s. Paulus ad Rom. ascendit, se ab utero matris nil aliud secum duxisse, quam peccatum, consequenter totum se corruptum esse testatus.

4) Sap. 12, 10. 11: „Quoniam nequam est natio (*γενεσις*, generatio) eorum, et naturalis malitia ipsorum et quoniam non poterat mutari (*μη ἀλλαγῃ*, non mutaretur) cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat

maledictum ab initio"; hic locus cum supra citatis comparatus idem probabit, quod illi probarunt; conferantur super hac materia loca alia Gen. 6, 5; C. 8, 21; 3 Reg. 8, 46; 2 Paral. 6, 36; Job. 31, 18; Ps. 57, 4; Ps. 142, 2; Prov. 20, 9; Eccles. 7, 21; Is. 48, 8; Jer. 17, 9; Os. 6, 7.

Ex his locis citatis, licet non aperte peccatum originale demonstretur, saltem hoc videre licet, homini a nativitate defectum quendam sanctitatis inesse, illumque hac in terra ad peccatum pronum et esse et permanere, id quod et experientia quotidiana confirmat; omnes enim sunt haeredes destructi corporis, in quo mors habitat Sap. 2, 24. en supra; C. 7, 1: „Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreno illius, qui prior factus est (*και γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλαστου* et terrigenae a genere primo facti), et in ventre matris figuratus sum caro"; Eccles. 25, 33. (70: 32.): „A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur (*ἀποθνησκομεν παντες*)"; conferri quoque potest liber apocryphus 4 Esdr. 3, 6—27; C. 4, 30; paucis ut dicam, omnes sumus haeredes animi perversi, sensualitate quippe praepotente; inde status iste generis humani infelix.

B) *N. T.* Jesus et Apostoli verbis distinctissimis tradunt de infelici jam a nativitate hominis statu, ex quo perversitas intellectus scil. error in judicando, ignorantia, praejudicia; perversitas voluntatis scil. praeprotens sensualitas, inclinatio ad malum, jactura status primarii oritur, consequenter perversitas in sensibus et actibus; s. Apostolus Paulus etiam de morte per Adami peccatum in mundum intrante loquitur.

S. scriptura istum hominis statum varie denominat; nam vocatur

a) caro, *σαρξ*, spiritui (*πνευματι*) contraria = perversitas naturae humanae, proclivitas ad malum Joan. 3,

6: „Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est" cfr. C. 1, 13; ad Rom. 7, 5—8; ad Gal. 5, 16. 17;

b) peccatum inhabitans, ἡ οἰκουσα ἁμαρτια ad Rom. 6, 1. 22; C. 7, 17. 20;

c) mors spiritualis, ὁ θανατος πνευματικος ad Rom. 7, 10; C. 8, 6; ad Eph. 2, 1;

d) corruptio, φθορα = status longe diversus, quam prior ad Eph. 4, 22; 1 ad Tim. 6, 5; ad Tit. 3, 3; 2 Petr. 2, 19. Huc referuntur haec argumenta.

1) Ad Rom. 5, 12—21: „Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo (ἐφ' ᾧ = אשר בו = באשר C. 8, 3; ad Phil. 3, 12; ideoque omnes infelices facti sunt, omnibus quippe participantibus; alii volunt: quia, uti 2 ad Cor. 5, 4; alii: quia in eo = באשר בו; alii minus recte: post eum quidem) omnes peccaverunt. v. 13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo (= inter homines): peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset; v. 14. sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri (scil. Adami 1 ad Cor. 15, 45.) v. 15. Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi (πολλοι = παντες, omnes) mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures (εἰς τους πολλους, in multos = παντας, omnes) abundavit. v. 16. Et non sicut per unum peccatum (text. gr. ἁμαρτησαντος, peccantem), ita et donum: nam judicium quidem ex uno (= ex unius delicto erat) in condemnationem: gratia autem (eruit) ex multis in justificationem: v. 17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. v. 18. Igitur, sicut

(pervenit) per unius delictum (δι' ἑνος παραπτωματος, per unam offensam) in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam (δι' ἑνος δικαιωματος, per unam justificationem) in omnes homines in justificationem vitae (pervenit). v. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius (scil. Christi) obeditionem, justi constituentur multi. v. 20. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum (text. gr. ἡ ἁμαρτια), superabundavit gratia: v. 21. ut, sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum."
Apostolus, ut in — et extensivam reconciliationis per Jesum factae magnitudinem probaret, comparavit hoc beneficium cum delicto, quod per Adamum in homines transiit dicendo: omnes homines per peccatum unius infelices et per justificationem unius felices facti sunt; dicitur enim expresse:

a) primus homo peccavit; est igitur sermo α) de peccato, ἁμαρτια (cum articulo ἡ, quod bene notandum), quod per unum hominem in mundum transiit v. 12; β) de praevaricatione, transgressione, παραβασις v. 14; γ) de unius delicto, του ἑνος παραπτωμα v. 15. 17. 18; δ) de inobedientia unius hominis, ἡ παρακοη του ἑνος ἀνθρωπου v. 19;

b) hoc peccatum unius omnes infelices reddidit et poena dignos; nam α) mors intravit per delictum unius in omnes homines v. 12. et 17; β) unius delicto multi (= omnes) mortui sunt v. 15; γ) per unum venit peccatum et judicium in condemnationem ex uno = ex unius delicto v. 16; δ) per unius delictum venit in omnes homines condemnatio v. 18;

c) propter peccatum unius omnes facti sunt peccatores v. 19; ergo si omnes per unum poenae rei; omnes quoque per unum culpae consortes sunt, idquod patet ex v. 20: omnes homines sunt, ut unicus Adam;

hinc regeneratio absolute necessaria Joan. 3, 3; ergo s. Paulus de peccato quodam speciali, non ex actibus hominum perversis oriundo, sed homini cuivis jam ab origine inhabitante, seu inhaerente, sive de macula adhaerente loquitur; peccatum enim et justificatio inter se contraria in hoc loco ponuntur et delictum omnium culpae unius; justificatio omnium merito unius innititur.

2) C. 7, 14—25: „Scimus (sensu salvo etiam legi posset: οἶδα μὲν, scio quidem = sum equidem convictus) enim, quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. v. 15. Quod enim operor, non intelligo (γινώσκω, cognosco): non enim, quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi (Vulg. addit:) malum, illud facio. v. 16. Si autem, quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. v. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. v. 18. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. v. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. v. 20. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum v. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere legem, quoniam mihi malum adjacet: v. 22. condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: v. 23. video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. v. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?“ Hoc in loco de peccato homini inhabitante, de pronitate ad malum naturae humanae ab origine adhaerente sermo est; Apostolus enim uti C. 5, 12. hoc peccatum originariam essentiae humanae proprietatem esse effatur, ex quo oritur gradus sensualitatis exaltatus, repugnantia carnis contra legem spiritualem, et omne bonum morale, disharmonia in ordine, proclivitas

ad malum morale per subordinationem sub peccato in membris sese exserentem, cujus origo et causa posita est in corpore ipso.

3) 1 ad Cor. 15, 21. 22: „Quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur"; hic locus penitus conformis est loco ad Rom. 5, 12. 15. 17. et demonstrat, per unum hominem Adamum mortem in mundum intrasse.

4) Ad Eph. 2, 3: „Eramus natura filii irae (τεκνα φυσει ὀργης, filii natura irae), sicut et caeteri"; hic locus etsi non strictum pro peccato originali sit argumentum, cum illo tamen ad Rom. 5, 12. et ad Gal. 5, 17. comparatus aliquam suppeditat conclusionem ad perversam hominis naturam, cum quidquam in natura hominis existere debeat, quo homo ab ortu suo Deo displiceat et poenae reus fiat cfr. ad Rom. 11, 24. et ad Gal. 2, 15.

Inde orta est doctrina de macula originaria seu de peccato originali, quod est defectus innocentiae, sanctitatis et justitiae originariae seu imperfectio actualis naturae humanae inhabitans et moraliter culpabilis ab Adamo ad nos propagata, unicuique quoad reatum et poenae et culpae propria; hinc recte dicitur peccatum originale, non haereditarium, et est et manet mali quidquam homini inhabitans, cum generatione ipsa datum et per baptismum delibile, non sola idea (sic Dr. Brenner), qua admissa Deus ipse auctor malorum existeret, quod absurdissimum est. Possibilitatem logicam perversitatis ejusmodi philosophia et ratio suspicari quidem utique potest; at realitatem ipsius sola revelatio demonstrando par est, qua exhibita peccatum originale non est sola naturalis corruptio, sola pigrities in cognoscendo vero et exercendo bono, non sola praepotens sensualitas et pronitas ad malum, non sola impotentia intellectus et voluntatis humanae, non sola aberratio naturae a fine et

lege; sed est realis et moralis culpatio, consequenter id, quod constituit peccatum originale; hinc non est solus tantummodo status, sed actus, ex quo explicari potest, quomodo nos cum Adamo peccaverimus.

Ex his dictis elucent effectus peccati originalis:

a) necessitas moriendi;

b) corruptio naturae humanae sublato ordine et statu originario;

c) debilitas seu imperfectio tum intellectus in cognoscendo vero, tum voluntatis in perficiendo bono; hinc sensualitas praepotens;

d) mors spiritualis seu beatitudinis coelestis jactura, in quam omnis mortalis hoc peccato infectus incurrit; inde regeneratio absolute necessaria Joan. 3, 3—12. coll. Apoc. 21, 27.

C) *Traditio* I) Sequelae peccati pro protoparentibus 1) Tatian. orat. ad Graec. C. 11: „Postquam homines callidiorem quendam, utpote provectiorem aetate secuti sunt, et divinae legi se opponentem pro Deo habuerunt, tum verbi potentia et hujus dementiae auctorem et obsecutos ei homines, commercio suo privavit (*της συν αὐτῳ διαιτης παρτησατο*) et qui ad imaginem Dei factus erat homo, potentiore spiritu jam exutus, mortalis fit (*χωρισθεντος ἀπ' αὐτου του πνευματος του δυνατωτερου θνητης γινεται*).“ — C. 34: Ejecti sunt primi generis humani parentes.“ — 2) Theophil. ad Autol. lib. 2: „Ad eum modum protoplastum istum inobedientia ex paradiso expulit; nec propterea, quasi aliquid mali scientiae et cognitionis arbori inesset, sed per inobedientiam homo (primaevus) in laborem, dolorem, tristitiam et postremo sub mortem prolapsus est.“ — 3) Tertull. adv. Marc. lib. 2. C. 2: „Quodsi a primordio homo animalis non recipiens, quae sunt spiritus, stultitiam existimavit legem Dei, ut quam observare neglexit: ideoque non habendo fidem, etiam quod videbatur habere, ademtum est illi,

paradisi gratia et familiaritas Dei, per quam omnia Dei cognovisset, si obedisset." — C. 25: „Adam propter, statum legis deditus morti est" cfr. de patient. C. 5. — 4) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 35: „Condemnationem — transgressionis accepit homo taedia et terrenum laborem et manducare panem in sudore vultus sui et converti in terram, ex qua assumtus est. Similiter autem et mulier taedia et labores et gemitus et tristitias partus et servitium, id est, ut serviret viro suo." — 5) Hilar. enarr. in Ps. 68: „Non pepercerat — primo illi de terrae limo Adae, quem de paradiso post culpam, ne lignum vitae attingens in aeternitatem poenae maneret, ejecit" cfr. comment. in Matth. Can. 3. — 6) Athan. de salut. advent.: „(Adam) inobediens Dei praecepto collapsus in vitiosas cogitationes obnoxiusque redditus, non quod Deus creaverit captivatrices cogitationes, sed quod per diabolum deceptus fuerit, qui eas superseminaverit (ἐπισπειροντος) rationali naturae jam in praevaricatione constitutae et a Deo avulsae (ἀπωσϑεισῃ ἀπο του Θεου), adeo, ut diabolica lex peccati (τον διαβολον και νομον ἁμαρτιας) constituta sit in humana natura et mors ibi suum domicilium coeperit (ϑανατον βασιλευοντα) idque per opus peccati (δια του ἐργου της ἁμαρτιας)." — 7) Basil. hom. in illud, quod Deus non sit auct. mal. C. 7: „(Adam) statim ejectus e paradiso, beata illa vita privatus fuit, non ex necessitate sed ex insipientia malus effectus; quamobrem peccavit quidem ob pravam voluntatem, sed mortuus effectus ob peccatum (ἀπεϑανε δια την ἁμαρτιαν); stipendia enim peccati, mors" cfr. serm. de renunt. saeculi C. 7. — 8) Cyrill. Hieros. catech. 2. C. 4: „Per hunc (diabolum) primus noster parens Adam expulsus est (ἐξεβληϑη), ac paradisum sponte sua admirabiles fructus ferentem, terra spinas ferente permutavit." — 9) Greg. Naz. orat. 42. in Pasch. 2: „Posteaquam autem diaboli invidia et mulieris insultu, quem et ut mollior passa est, ut ad persuadendum accomodatior admovit

(o infirmitatem meam: meam enim duco primi parentis infirmitatem) accepti mandati oblitus ab acerba illa esca victus est, simul et aliquo vitae et a paradiso et ab ipso Deo propter peccatum extruditur, et pelliceas tunicas induit, hoc est, fortasse crassiorem carnem et mortalem ac refractoriam: primumque turpitudinem suam infamiamque cognoscit, mortem ac peccati praecisionem elucratur, ne malum immortale sit: ita poena ipsa in misericordiam recidit." — 10) Greg. Nyss. contr. Eunom. lib. 2: „Multas igitur annorum centurias post praevaricationem insuper vixit protoplastus homo, sed Deus non est mentitus, cum dixit: in quo die comederetis, morte moriemini; propterea enim quod alienatus fuit et adversus ipse a vera vita; ipso die firmata et rata fuit adversus eum mortis sententia (ἡ του θανατου ἀποφασις), postea vero labentibus annis mors corporalis (ὁ σωματικος — θανατος), Adamum consecuta est." — 11) Ambros. de parad. C. 7: „Mortis causa inobedientia fuit, et ideo homo ipse sibi mortis est causa, non habens Deum suae mortis auctorem, — ipse sibi reus mortis est propriae" cfr. in hexaem. lib. 5. C. 7; in Ps. 36; in Ps. 39; in Ps. 118., octon. 15; de virgin. lib. 3; epp. lib. 2. ep. 13. — 12) Epiphan. haer. 42: „Ipse Adam in inobedientiam collapsus quum haberet liberum arbitrium in propria voluntate, a se ipso peccatum intra se excogitatum commisit, ubi videlicet eundem Dominum per inobedientiam sprevit." — 13) Chrysost. in Gen. hom. 16: „Nudati propter peccatum supernae gratiae amictu et sensibilis suae spoliationis sensum acceperunt, ut per erubescentiam, quae invadebat ipsos, certo scirent, in quantam ruinam ipsos adduxisset mandati dominici praevaricatio." — 14) Hieron. in Job. C. 31: „Amiserit quippe per inobedientiae malum immortalitatis bonum, paradisique delicias; hanc sibi per Jesum Christum Dominum instaurari desiderat." — 15) Augustin. de gen. ad lit. lib. 11. C. 32: „Hoc ergo omisso statu corpus eorum duxit morbidam et mortife-

ram qualitatem, quae inest etiam pecorum carni" cfr. de civ. Dei lib. 14. C. 15. et 17. — 16) Greg. M. epp. lib. 6. ep. 14. ad Narsem com.: „Hoc enim ubi scriptum est, quia cum peccavit Adam, ejus est anima mortua, qualiter mortuam dixerit, inferius ostendit, quia status sui beatitudinem amisit. Hoc quisquis negat, catholicus non est" cfr. moral. lib. 32. (in C. 40. Job.) C. 14. n. 21. —

Summa locorum haec est: Protoparentes commisso peccato

a) paradiso ejecti, Tatian. Theophil. Hilar. Basil. Cyrill. Hieros. Greg. Naz. et beata in illo vita privati sunt Basil. et ejus gratia, Tertull.; delicias ejus amittentes Hieron.; ob peccatum, Greg. Naz.; ob inobedientiam infelices facti, Theophil. Epiphan.; sicque paradisum cum terra spinas ferente mutantes, Cyrill. Hieros.;

b) superiore spiritu exuti, Tatian.; superna gratia nudati, Chrysost. et avulsi a Deo, Athan.; familiaritate ejus privati sunt, Tertull.; status sui beatitudinem amittentes, Greg. M.;

c) prolapsi in vitiosas cogitationes, Athan.; in laborem Theophil. Iren.; in taedia, Iren.; in dolorem et tristitiam, Theophil.;

d) ut manducarent panem cum sudore vultus sui, Iren. et mulier gemitus et tristitias conceptus et servitium sentiret, Iren.;

e) morbidam et mortiferam qualitatem ducentes, Augustin.; in mortem prolapsi, Theophil.; mortem lucrati, Greg. Naz.; eique dediti, Tertull. Greg. Naz.; immortalitatis donum amiserunt, Hieron.; mortales quippe effecti, Tatian. Greg. Naz. et Nyss.; ob peccatum, Basil.; ob inobedientiam, Ambros.; sicque propter peccatum protoparentum mors in natura humana dominatur, Athan.

II) Sequelae pro posteris a) ss. patres 1) Justin. dial. c. Tryph.: „(Christus) nasci et crucifigi sustinuit — humani generis causa, quod per Adam in mortem seductionem-

tionemque serpentis (ἀπο του Αδαμ ὑπο θανατον και πλανην την του ὀφεως) inciderat" addens quidem: „παρα την ἰδιαν αἰτιαν ἑκαστου αὐτων πονηρευσαμενου, cum quisque eorum ex propria culpa peccaret"; at ob malum cuivis inhabitans, uti patet ex ep. ad Rom. 7., sic dicens et Jesum unicum immaculatum peccatisque immunem hominem vocans. — 2) Tatian. orat. ad Graec. C. 18: „Non nati sumus, ut moreremur, morimur autem nostra culpa (δι' ἑαυτους). Perdidit nos libera voluntas et qui liberi eramus, in servitutem redacti et propter peccatum venditi sumus (δουλοι γεγοναμεν οἱ ἐλευθεροι, δια την ἁμαρτιαν ἐπραθημεν)" cfr. C. 34. — 3) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 5: „(Filius Dei) hortabatur, dicens: non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra et omnia trahit ad se et vivificat mortuos" cfr. lib. 3. C. 20; lib. 5. C. 17. et 21. — 4) Tertull. contr. Marcion. lib. 5. C. 17: „Diabolo captante naturam, quam et ipse jam infecit delicti semine illato"; — de testim. anim. C. 3: „Homo a primordio circumventus et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit" cfr. contr. Marcion. lib. 1. C. 22; de anima C. 40. et 41. — 5) Clem. Alex. paedag. lib. 3. C. 12: „Solus enim Logos est, in quem peccatum non cadit: est enim peccare natura omnibus innatum et commune (πασιν ἐμφυτον και κοινον)" cfr. strom. lib. 3. C. 16. — 6) Orig. contr. Cels. lib. 4. n. 40: „Et enim omnes, ut scriptura testatur, in Adam moriuntur et condemnati sunt (και τεδικασθησαν) in similitudine praevaricationis Adae, ita, ut, divina scriptura non tam de uno quodam homine, quam de universo genere loquatur. Nam videre est in serie eorum, quae tanquam de uno dicuntur, maledictionem Adamo inflictam omnium esse communem (κοινη παντων ἐστι); sicut quae mulieri, ad omnem mulierem pertinere" — in Matth. tom. 15.

n. 23: „In generatione nemo a sordibus mundus est, ne si vita quidem ejus unius diei fuerit, propter generationis mysterium (περι της γενεσεως μυστηριον)" cfr. in Lev. hom. 8. et 12; in Luc. hom. 14. — 7) Cyprian. epp. lib. 3. ep. 8: „(Infans) recens natus nil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae (ab Adamo jam dominantis) prima nativitate contraxit." — 8) Hilar. enarr. in Ps. 118. lit. ult.: „Qui dixerit: ecce in iniquitatibus conceptus sum et in delictis peperit me mater mea, scit, se sub peccati origine et sub peccati lege esse natum" cfr. lit. 14. et 15; comment. in Matth. can. 10. — 9) Athan. orat. contr. Arian.: „Lapso Adamo in omnes homines peccatum dimanavit" cfr. de salut. advent.; de incarnat. verbi Dei; de incarn. Christ. — 10) Basil. de spir. s. C. 14. n. 31: „In Adam omnes morimur et regnavit mors usque ad legis consummationem et adventum Christi (ἐν τῳ Αδαμ παντες ἀποθνησκομεν και ἐβασιλευσεν ὁ θανατος μεχρι της του νομου πληρωσεως και της του Χριστου παρουσιας)" — hom. 8. in famem et siccit. C. 7: „Adam improbo esu peccatum transmisit (Αδαμ κακως φαγων την ἁμαρτιαν παρεπεμψεν)" cfr. ep. 261. (al. 65.) ad Sozopolit. C. 2; hom. in Ps. 29. n. 5; in Ps. 32. n. 4. — 11) Greg. Naz. orat. 11. adv. Arian.: „Omnes, quotquot ejusdem Adami participes fuimus, a serpente fraudulenter decepti, morti per peccatum addicti, per coelestem Adamum saluti restituti et ad vitae lignum, quo excideramus, per lignum ignominiae redemti" cfr. orat. 9. de pace 2; orat. 10. de pace 3; orat. 19. ad Sasim.; orat. 27. de paupert. amor.; orat. 42. in Pasch. 2; orat. 43. in nov. Domin.; orat. 49. ad Cledon. — 12) Greg. Nyss. de beatt. 8. orat. 6: „Ex homine homo nascitur, ex obnoxio vitiis, perturbationibus et affectionibus, iisdem obnoxius, ex peccatore peccator (ἐξ ἁμαρτωλου τοιουτος). Ergo una cum nascentibus aliquo modo peccatum existit simul et nascens et augescens (ἁμαρτια συναποτικτομενη τε και συναυξουσα),

et cum termino vitae una desinens" cfr. de orat. domin. orat. 5. — 13) Ambros. in Luc. lib. 7. C. 15: „Potest et hic in uno accipi species generis humani. Fuit Adam et in illo fuimus omnes; periit Adam et in illo omnes perierunt" — serm. 47: „Per Adae transgressionem in mortem cecidimus" — enarr. in Ps. 50. seu apolog. proph. David. in v. 7: „Concipimur ego in peccatis parentum et in delictis eorum nascimur. Sed et ipse partus habet contagia sua; nec unum tantummodo habet ipsa natura contagium" cfr. enarr. in Ps. 43; in Ps. 48; de fide resurrect.; apol. David. posterior. C. 3; de vocat. gent. lib. 1. C. 3. — 14) Chrysost. hom. 10. in ep. ad Rom. C. 5: „Quo igitur pacto mors introiit, ac dominata fuit? Per peccatum unius; quid porro sibi illud vult: quatenus (= in quo) omnes peccaverunt? Illo lapso et ii item, qui de ligno non comederunt, effecti sunt ex illo tempore omnes mortales. — Illud enim peccatum mortem attulit communem, quae dominabatur ac tyrannidem exercebat — illud ipsum inquam peccatum erat, quod omnia perdebat" cfr. hom. 11. 12. et 13; in Ps. 50. hom. 2; homil. de Adam et Eva, ubi commentatur in ep. ad Rom. 5, 12. et Ps. 50, 7. — 15) Rufin. in Ps. 50: „Ego conceptus contraxi mecum iniquitatem originalis delicti — detrahitur iniquitas ex Adam. Nemo nascitur nisi trahens culpam et culpae poenam." — 16) Hieron. in Ps. 50: „Concipitur et nascitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur" — in Ezech. C. 31: „In Adam omnes morimur, cunctique peccavimus et indigemus gloria Dei" cfr. in Ps. 48; in Ezech. C. 47; in Jon. C. 3; in Zach. C. 9; in ep. ad Gal. C. 4; in ep. ad Eph. C. 2; adv. Pelag. lib. 3. C. 6; advers. Jovinian. lib. 2. C. 1. — 17) Augustin. serm. de temp. 45. C. 6: „Consuerunt, inquit, folia ficulnea, et fecerunt sibi succinctoria. Quod texerunt, ibi senserunt. Ecce unde trahitur originale peccatum, ecce unde nemo nascitur sine peccato, ecce propter quod Dominus non sic concipi voluit, quem virgo concepit. — Unde unus et unus? Unus ad mortem, unus

ad vitam. Homo primus ad mortem; homo secundus ad vitam" — de civ. Dei lib. 21. C. 12: (Homo) hoc in se peremit bonum, quod esse posset aeternum; hinc est universa generis humani massa damnata, quoniam, qui hoc primitus admisit cum ea, quae in illo fuerat radicata sua stirpe, punitus est, ut nullus ab hoc justo debito supplicio, nisi misericordia et indebita Dei gratia liberetur" cfr. de civ. Dei lib. 13. C. 3; lib. 14. C. 1; enchir. ad Laurent. C. 26; contr. Julian. lib. 4. C. 12; lib. 5. C. 12; de lib. arbitr. lib. 3. C. 10. et 20; de nupt. et concup. lib. 2. C. 34; de peccat. merit. lib. 1. C. 4, 10. et remiss. lib. 1. C. 11. et 13; retract. lib. 1. C. 15; serm. de temp. 45. C. 7; de verbis Apost. serm. 4. C. 11; serm. 20. C. 2. et innumera alia loca. — 19) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 6. C. 15: „Coecus iste genus humanum designat, quod in primo parente excoecatum est, quia ex illo traximus omnes non solum originem mortis, sed etiam iniquitatis" cfr. lib. 2. C. 3; lib. 6. C. 14. et 15; lib. 10. C. 10; de ador. et cult. in spir. et verit.; dial. de trin. lib. 1. — 20) Theodoret. dial. 2: „Primus homo sub peccato totus fuit et divinae imaginis characteres perdidit, et principem generis genus est consecutum" cfr. dial. 3; in Ps. 50; in ep. ad Rom. C. 5. — 21) Greg. M. moral. lib. 15. (in C. 21. Job.) C. 51. n. 57: „Peccatum quippe originale a parentibus trahimus et nisi per gratiam baptismi solvimur, etiam parentum peccata portamus, quia unum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis" cfr. lib. 8. (in C. 7. Job.) C. 6. n. 8; lib. 17. (in C. 26. Job.) C. 15. n. 2; lib. 18. (in C. 28. Job.) C. 52. n. 84; lib. 24. (in. C. 33. Job.) C. 2. n. 4; epp. lib. 7. ep. 34. ad Eulog. episc.; lib. 9. ep. 52. ad Secundin.

Summa omnium locorum haec est:

a) Maledictio Adae inflicta omnibus communis, Orig.; hinc omnes cum eo perierunt Ambros. condemnati in similitudinem praevaricationis Adae, Orig.;

b) humanum genus per Adam in mortem seductionemque serpentis incidit, Justin.; et omnes a serpente fraudulenter decepti, Greg. Naz.; hinc antiqua serpentis plaga, Iren.;

c) In servitutem redacti et propter peccatum venditi sumus, Tatian.; ex Adamo originem iniquitatis trahentes, Cyrill. Alex.; cum peccatum omnibus sit innatum, Clem. Alex.; in omnes homines dimanaverit, Athan.; et omnia perdiderit, Chrysost.

d) Universa generis humani massa radicitus est damnata Augustin.; generis principem secuta, Theodoret; et de protoparentum semine infecta, Tertull.; a quibus trahitur peccatum originale, Rufin. Hieron. Augustin. Greg. M.; et transmittitur peccatum, Basil.; in quorum peccatis et delictis concipimur et nascimur, Ambros.; quique damnationis traduces facti sunt, Tertull.;

e) Quivis sub peccati origine et lege nascitur, Hilar.; et infans recens natus contagium mortis antiquae contraxit Cyprian.; ipse quippe partus suum habet contagium, Ambros; cum nemo sine sordibus mundus, Orig.; sine peccato nascitur, Augustin.; et anima prolis polluitur peccato originali, Greg. M.

f) In Adam omnes moriuntur, Orig. Basil. Chrysost. Hieron.; omnes quippe per peccatum morti addicti, Greg. Naz.; et ex Adamo originem mortis trahentes, Cyrill. Alex.; per quem mors introiit, Chrysost.; et per cujus transgressionem in mortem cecidimus, Ambros.

b) Concilia 1) Arausic. 2. anno 529. Can. 2: „Siquis soli Adae praevaricationem suam, non et ejus propagini adserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti: per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors.“ — 2) Milevit. sub Innoc. P. cap. 76: „Placuit omnibus in sancta synodo Carthaginensis ecclesiae

constitutis, ut quicunqne dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccatur, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae; anathema sit." — 3) Trident. sess. 5. de pecc. orig. n. 1. 2. 3. 4. 5: 1) „Siquis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo moitem, quam antea illi comminatus fuerat Deus (ergo concilium veram in Genesi admittit historiam). — 2) Siquis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, quod mors est animae. — 3) Siquis homini Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium. — 4) Siquis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati. — 5) Siquis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; anathema sit."

Sectio V.

Christologia biblica

seu

doctrina de Jesu Christo, Filio Dei ejusque munere.

Caput I.

Christus, praemonstratus aut praedictus Messias.

§. 38.

A) *V. T.* Doctrina de adventu Messiae, salvatoris generis humani, in specie gentis judaicae, in ss. documentis V. T. distinctissime proponitur, ita, ut mirum videatur, si hodierna aetate haec veritas non agnoscatur. Perlegenti haec documenta ob oculos versabitur, Deum jam per Moysem et prophetas oeconomiae veteris reformatorem praedixisse, indolem ejus et vitae circumstantias indicasse, gravissimum opus ab illo perficiendum destinasse, sicque adventui ejus viam stravisse. Interea non est negandum, loca prophetica saepius obscura et mystica esse, ita, ut ad alia tempora, ad alias circumstantias referri possint; at idem hoc signum est, sensu sublimiori illa intelligenda esse, ad quem capiendum et explorandum non spiritus profanus, sed vere divinus requiritur; nam

a) nullus prophetarum Christum sic designavit, ut primo intuitu cognosci posset, sed, ut ita dicam, sub involucro adventum et personam ejus praedixit;

b) effata prophetarum temporibus, in queis vixerunt, simulque Messiae personae apta sunt;

c) prophetae adventum Messiae modo in tempora longe remota distulerunt, et coaevos suos ad regnum messianum praeparare laborarunt; modo in proximo esse et salutem et pacem adfutura effantur, praesertim ea aetate, qua status Judaeorum in crisi periculosissima versabatur.

Hac veritate intellecta quam laetum animo humano obvenit, in mundo jam primitivo de magno hoc lumine scintillas huc et illuc radiantes et sub hac imagine solis orientis, cui aurora praecedit, universam revelationis oeconomiam enascentem et vigentem videre, sicque saeculis jam diu elapsis praefestinare?

Idea de Messia et opinio exordio revelationis coaevam esse, quivis s. scripturae gnarus intelliget; intime enim cum lapsu protoparentum connexa cohaeret et jam Gen. 3, 15. in mysterio praemonstrata, licet huic opinioni novi Exegetae fastidio quodam correpti non faveant et de protoevangelio altum obmoveant risum; hinc origo ideae de Messia non est quaerenda in 2 Reg. 7, 12—17. cfr. Ps. 88, 27; Ps. 131, 8—13., aut in Jerem. 33, 17. 20—23; sed sensim sensimque haec idea magis ampliata fuit et varie varia aetate modificata, sicque signum antiquitatis profundioris apparet; quidquod Jesu aetate vulgaris jam fuit opinio, Judaeos rerum potituros et imperium pristinum assecuturos esse Tac. Ann. l. 2. C. 85; l. 4. C. 44; Hist. L. 1. C. 1—14; Suet. in vit. Claud. C. 25; Vespas. C. 4. cfr. Joseph antiq. L. 20. C. 5; C. 8; de bell. jud. l. 2. C. 13; l. 3. C. 12; in libro 4to Esdrae apocrypho putatur Messias libertatis restaurator C. 12, 34. et reductor gentis judaicae in patriam v. 13. 39. 40.

Perlustremus nunc loca principaliora quam brevissime

I. In libris mosaicis.

1) Gen. 3, 15: „Inimicitias (ait Deus ad serpentem) ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius: ipsa (הוּא mascul. 70: αὐτος) conteret caput tuum et tu insidiaberis (in significatu arabico; text. hebr. תְּשׁוּפֶנּוּ, conteres ei, sic et 70) calcaneo ejus"; conterere caput serpentis, id est, satanae (qui sub serpente intelligendus erit,) potentiam destruere Christus solus potuit et dicitur Ps. 2. et 109; 70 vertunt αὐτος, ipse,

text. hebr. ad individuum applicantes, quis ille alius, nisi Messias in hoc versu praesignatur? Sic et intelligunt Targum Hieros. et Jonath. vid. Schoettgen; allusionem quandam ad hunc locum praebent loca 2 ad Cor. 11, 3; 1 ad Tim. 2, 14; 1 Joan. 3, 8; Apoc. 12, 9; C. 20, 2. 3.

2) Cap. 22. coll. cum ep. ad Gal.

v. 15. 17. 18: „Vocavit autem angelus Domini Abraham — dicens: — benedicam tibi (בָּרֵךְ אֲבָרֶכְךָ benedicendo benedicam tibi) et multiplicato (הַרְבָּה אַרְבֶּה, multiplicando multiplicabo) semen tuum sicut stellas coeli et velut arenam, quae est in littore maris — et benedicentur in semine tuo (בְזַרְעֲךָ) omnes gentes terrae" cfr. C. 12, 2. 3; C. 18, 18; C. 26, 4. 5. C. 28, 14.	C. 3, 16: „Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus. Non dicit: et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno (ἐφ ἑνος): et semini tuo (text. gr. habet tantum: τῳ σπερματι), qui est Christus" cfr. Act. 3, 25.

S. Apostolus Paulus locum Geneseos sublimius de Christo interpretatur et sub semine Abrahae mysteriose Messiam futurum i. e. Christum Jesum, ab Abrahamo oriundum, intelligit; sic et intelligunt Lyra, Munsterus, Bamidbar rabba sect. 2. fol. 184, 4.

2) C. 49, 10: „Non auferetur (יָסוּר recedet) sceptrum de Juda et dux de femore ejus (text. hebr. מִבֵּין רַגְלָיו, de pedibus ejus), donec veniat, qui mittendus est (שִׁילֹה, Vulgata legit שִׁילֹח vel שִׁילוֹחַ; 70 legerunt שֶׁלֹּה vel שֶׁלּוֹ, quae ei scil. reservata sunt; inde interpretantur: ἑως ἐαν ἐλθῃ τα ἀποκειμενα αὐτῳ, donec veniant, quae reposita sunt ei scil. παντα, omnia), et

ipse exspectatio (וְלוֹ יִקְּהַת et ei [scil. erit] obedientia) gentium."

Vox: שִׁילֹה varie vertitur, variisque punctationibus distorquetur:

a) שִׁילוֹ, urbs Silo Jos. 18, 1; Jud. 21, 21; 1 Reg. 4, 4. 12; sic Teller, Herder, Eichhorn, Ammon;

b) שִׁילָה ceu appellativum i. e. pacificus et interpretes intelligunt de Salomone 1 Paral. 22, 9; sic Rosenmueller;

c) quidam legunt שִׁלְיָה, proles, aut שִׁלְיָה pro שִׁלְיָתוֹ, secundinae ejus; ergo: donec veniant proles ejus i. e. nepotes subsequentes; sic Dathe;

d) alii vocem derivant ex lingua arabica, ubi שִׁיל est profluvium sanguinis et שִׁילֹה cum affixo ה pro ו vertunt: donec veniat fluxus aut profluvium ejus i. e. semen, quod ex eo fluxerit;

e) nonnulli interpretantur שֶׁלֹּה aut שֶׁלֹּה i. e. אֲשֶׁר לֹה pro אֲשֶׁר לוֹ, cujus est scil. imperium, sceptrum cfr. Ezech. 21, 27. et intelligunt Messiam idealem;

f) deducunt plures vocem a שָׁלָה, prospere et feliciter agere, fortuna, frui, id quod prosperum Christi successum in destruenda satanae, mortis, peccati et inferni potentia innuit.

Variantibus his punctationibus et dialectis aut dictione aberrante, cum loco ח ponatur ה, tutius esse arbitror, legendi secundum methodum Vulgatae jam receptam שִׁילֹח vel שִׁילוּחַ, ἀπεσταλμένος, sequi, quia hoc nomen Messiae omnino proprium est, qui summa cum potestate a Deo missus est, et ad quem oraculum Jacobi respicere haud obscure videtur; en Matth. 10, 16. 40; Joan. 3, 17. 34; C. 4, 34; C. 5, 23. 30. 36; C. 6, 38. 40. 44. 58; C. 7, 16. 18. 28. 29. 33; C. 8, 16. 18. 26. 29; C. 9, 4; C. 10, 36; C. 11, 42; C. 12, 44. 45. 49; C. 13, 20;

C. 14, 24; C. 15, 21; C. 16, 5; C. 17, 3. 8. 18; ad Rom. 8, 3; 1 Joan. 4, 9. 10. 14. Sic interpretantur Sohar fol. 237. ed. Amstel. ad Gen. 49, 10: „Nomen Schiloh (שילה, quod Messiae vindicatur) hic scribitur שילה (cum Jod et He), ut significet nomen supremum Schechinae"; Syr. Saad: „is, cujus est"; Onkelos: „Messias, cujus est regnum."

4) Deut. coll. cum Act.

Deut.	Act.
C. 18, 15. 17. 18: „Prophetam de gente tua (text. hebr. מִקִּרְבְּךָ, e medio tuo) et de fratribus tuis sicut me (כָּמֹנִי sicut ego scil. sum) suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies (אֵלָיו תִּשְׁמָעוּן, ad eum audietis, i. e. ei obedietis). Et ait Dominus: — prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum (text. hebr. אֲחֵיהֶם fratrum eorum) similem tui (כָּמוֹךָ sicut tu scil. es)."	C. 3, 22. 26: „Moyses quidem dixit (text. gr. addit: προς τους πατερας, ad patres): quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus, Deus vester de fratribus vestris, tanquam me (ὡς ἐμε), ipsum audietis juxta omnia, quaecunque locutus fuerit vobis. — Vobis primum Deus suscitans Filium suum (text. gr. τον παιδα αὐτου Ἰησουν, puerum i. e. Filium suum Jesum) misit eum" cfr. C. 7, 37.

S. Petrus Apostolus applicat hunc locum Deut. ad Christum, maximum omnium prophetarum (נְבִיאִים), a Moyse promissum, in quo lex et prophetae impleti sunt; Christus quippe Moysi similis fuit

a) persona; uterque homo erat de medio fratrum;

b) munere mediatoris;

c) fidelitate ad Hebr. 3, 2. 5. 6;

d) miraculis, de queis supra in introductione;

e) excellentia quod familiariter cum Deo versatus est Joan. 1, 18. Inde ventum est, ut Rabbini a Messia varia exigerent v. g. Massachet Sanhedrin C. 4: „Je-

sus Nazarenus propinquus regno (קרוב למלכות) fuit"; et Bab. tr. Sanhedrin fol. 93, 2: „De Messia scriptum est, quod adorabit et judicabit" i. e. omniscius est Joan. 2, 25. cfr. Is. 11, 3. 4; vid. Lightfoot ad Matth. 12, 25.

II. *In psalmis.*

1) Ps. 2. coll. cum Act. et Apoc.

v. 1. 2: „Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus (מְשִׁיחוֹ, unctum ejus)."

Act. 4, 25. 26: „Spiritu sancto (text. gr. id omittit) per os patris nostri (text. gr. idem omittit) David, pueri tui dixisti (*εἰπων*, dicens): quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus (*κατα του Χριστου αὐτου*)."

v. 7: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu (בְּנִי אַתָּה): ego hodie genui te."

C. 13, 33: „Sicut et in Psalmo secundo scriptum est: filius meus es tu (*υἱος μου εἶ συ*): ego hodie genui te" cfr. ad Hebr. 1, 5; C. 5, 5.

v. 9: „Reges eos (sic syr. arab. vers. text. hebr. תְּרוֹעֵם, conteres eos; 70: *ποιμανεις*, pasces) in virga ferrea et tanquam vas figuli confringes eos" cfr. Ps. 109, 5. 6; Is. 11, 4.

Apoc. 2, 27: „Et reget (*ποιμανει*, pascet) eas (gentes) in virga ferrea et tanquam vas figuli (*τα σκευη τα κεραμικα*, vasa fictilia) confringentur" cfr. C. 19, 15. et ad Eph. 1, 20—23.

a) Hic Ps. nec ad Davidem, quippe qui in Hebron, non in Sion unctus erat, nec ad Salomonem, quo vivo pax vigebat 3 Reg. 5, 1; C. 15, 19; 1 Paral. 22, 9. reduci potest. S. Apostolus Paulus solvit aenigma, pro dignitate Jesu sacerdotali et resurrectione demonstranda applicans hunc Ps. ad Messiam Christum, qui unctus a Deo spiritu sancto Act. 10, 38. cfr. Luc. 4, 18—21., genitus hodie (pro: nunc Gen. 4, 14; Deut. 1, 39; 4 Reg. 6, 28.) i. e. ab aeterno, cum nulla in Deo valet temporis determinatio, filius Dei Matth. 3, 17; C. 17, 5. in sensu sublimiori (licet David Ps. 88, 27. et Salomon 2 Reg. 7, 14. et reges aliarum gentium Ps. 81, 6. filii Dei sive excelsi vocentur") et Messias Domini vocatur.

b) In Messiam hunc Ps. exponunt R. Jochannan in Midrasch Tehillim et R. R. in Tractatu Talmud Succah fol. 52, 1. et Maimon. in praef. ad cap. 10; tract. Sanhedrin et Bereschith Rabba et alii quam plurimi; vid. Schoettgen.

2) Ps. 15. coll. cum Act.

v. 8. 9. 10: „Providebam (שִׁוִּיתִי posui) Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear (מִימִינִי בַּל־אֶמּוֹט, a dextera mea, ne declinem). Propter hoc laetatum est cor meum et exultavit lingua mea (sic et 70: ἡ γλῶσσά μου; text. hebr. כְּבוֹדִי, gloria mea i. e. anima mea = ego): insuper et caro mea requiescet (יִשְׁכֹּן habitabit; est ergo futurum,

C. 2, 25. 26. 27: „David enim dicit in eum (Jesum): providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear: propter hoc laetatum est cor meum et exultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet (en futurum) in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec

non praesens aut praeteritum; sic et in versu sequenti;) in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno (לִשְׁאוֹל). nec dabis sanctum tuum (secundum Keri חֲסִידְךָ, pium, dilectum tuum) videre corruptionem (שַׁחַת, foveam, sepulchrum)."

dabis sanctum tuum (του ὁσιον σου) videre corruptionem (διαφθοραν)" cfr. v. 31; C. 13, 35.

a) Vox שַׁחַת non solum foveam et sepulchrum, sed et corruptionem denotat Job. 17, 14. (contra Ammon); hunc ergo significatum admittunt 70 cfr. Ps. 48, 11; Ps. 106, 20; Prov. 28, 10; Ezech. 21, 31. et Vulg. hoc in loco cum interpretibus antiquis.

b) Ss. Apostoli Petrus et Paulus verba Davidis in Christum optime quadrare enuntiant; quippe qui corruptionem, quam David expertus est, non vidit, sed tertia die e sepulchro resurrexit.

c) Reliqui Psalmi versus licet ad Davidem referantur, non incommode integer Ps. ad Messiam reduci potest, cum David, hunc regem aeternum passurum esse et pati debere, probe norit, in fato regis hic descripti fatum Messiae praevidens.

d) Veteres Judaei jam hunc Ps. sic interpretantur v. g. author libri Jatkut Simeoni.

3) Ps. 21. coll. cum Matth. et ep. ad Hebr.

v. 2: „Deus (text. hebr. אֵלִי, Deus meus) Deus meus, respice in me (text. hebr. et vers. chald. arab. id omittunt; 70 legunt: προσεχες με), quare me dereliquisti?"

Matth. 27, 46: „Eli, Eili lama sabacthani, hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me"; (quam stricte vertit Vulg. textum hebraeum?)

v. 8. 9:

v. 8. 9): „Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit (text. hebr. גָּל, volve, vel devolvit ex גלל scil. דרכו, vias suas; alii legunt: gaudebit a גול vel גיל; 70 recte: ἔλπισε) in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum (חָפֵץ בּוֹ, complacuit in eo).“

v. 39. 43: „Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes: — confidit in Deo: liberet nunc (text. gr. addit: αὐτον, eum), si vult eum“ cfr. Marc. 15, 29.

v. 19: „Diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem.“

v. 35: „Ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam, dicentem (non legit text. gr.) diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem“ cfr. Marc. 15, 24; Luc. 23, 34; Joan. 19, 24.

v. 23): „Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae (קָהָל, congregationis) laudabo te.“

ad Hebr. 2, 12: „Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te.“

Integer Ps. 21. literaliter ad Messiam applicari debet; quo concesso omnia facillime intelligenda sunt; id quod argumenta externa et loca parallela magis confirmant; nam

a) clamor in cruce non exprimit passionis immoderantiam aut desperationem, sed potius orationem et nil aliud est, nisi Hebraismus, auxilio quippe in fine Ps. hujus nuntiato;

b) v. 8. et 9. verbotenus in Evangelio citantur;

c) v. 18. crucifixio Christi sub his verbis memoratur: „Foderunt *) manus meas et pedes meos dinumeraverunt (text. hebr. אספר, numerabo) omnia ossa mea.“

d) si patiens conservationem vitae flagitet v. 22: „Salva me ex ore leonis“; hae preces eaedem ac illae Matth. 26, 39: „Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste“;

e) v. 23. literaliter in ep. ad Hebr. 2. citatur;

f) David ex praesentia ad futurum respicit; hinc in text. hebr. verba in futuris expressa adstant;

g) ad Messiam provocant vers. 2. Midrasch Tehillim; Targum. Hieros.; Berachoth in Jalkut Simeoni; et Schir haschirim rabba fol. 28, 3; Sohar Exod. fol. 49. col. 295; vers. 8. et 9. Pesiktah rabbathi in Jalkut Simeoni 2 fol. 56, 4; Midrasch Tehillim; vers. 16. Pesiktah l. c. col. 3. (mirum quantum, quod de v. 17.

*) Variae lectiones hic sunt:

a) כָּאֲרִי, ut leo; at α) quid hoc significet? Sensus mancus est, aliquid ergo supplendum erit v. g. mordent, lacerant, frangunt manus etc. insuper notandum, a leone totum peti hominem, non unam aliamve corporis partem; β) haec lectio est contra grammaticam eamque nec verborum consecutio, nec sententiae simplicitas patitur; excepto, quod aut כָּאֲרִי (a כּוּר כָּאֲרִים) sit participium praes. plur. Kal, id est, perforantes, vel perforantium manus etc.; similia pluralia vide in Gen. 40, 16. הוֹרִי aut חֹרִי; 1 Reg. 20, 38. הַחִצִּי; 2 Reg. 23, 8. שָׁלִישִׁי, 4 Reg. 11, 4. כָּרִי; aut quod כָּאֲרִי in fine י (Jod) loco ו (Vav) habet, cum ambae literae sint permutabiles cfr. 1 Esdr. 10, 44. נָשְׂאֵי pro נָשְׂאוּ;

b) כָּארוּ = כָּרוּ, cum litera א per epenthesin inseritur, uti alibi fit cfr. 2 Reg. 19, 4. לָאַט pro לַט; Prov. 24, 7. רָאמוֹת; Is. 10, 13. כַּאבִּיר; Ezech. 9, 8. נֶאשְׁאַר; Joel 2, 6. פָּארוּר; Zach. 14, 10. רָאֲמָה, vel א fungitur vice ו

nullibi fit mentio); v. 24. Midrasch Tehillim fol. 17, 3; v. 27. ibidem fol. 17, 4; v. 29. Sohar Num. fol. 100. col. 398; v. 32. Midrasch Tehillim.

4) Ps. 39.	coll. cum ep. ad Hebr.
v. 7. 8. 9: „Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi (אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי, aures fodisti mihi). Holocaustum et pro peccato (וַחֲטָאָה et sacrificium pro peccato) non postulasti: tunc dixi: ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui."	C. 10, 5. 6. 7: „Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi (σωμα δε κατηρτισω μοι): holocautomata (text. gr. addit: και, et) pro peccato non tibi placuerunt (εὐδοκησας, approbasti). Tunc dixi: ecce venio in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam."

radicalis, cum literae אהוי sint inter se commutabiles; in lingua arabica, media radicalis ו in quiescib. secunda radicali perpetuo mutatur in literam א vicariam; hanc lectionem esse veram, patet: α) 70 legunt ὤρυξαν, foderunt, cum quibus consentiunt Symm. et Theodot.; β) sic et legunt ss. patres Justin. Tertull. (alio loco legit: exterminaverunt), Athan. Cypr. Hieronym. fixerunt, scil. cruci, addens: clavis; consequens pro antecedente; γ) Aquila ᾔσχυναν, foedarunt i. e. turpiter tractarunt, exprimit, ergo non per substantivum, sed per verbum, desumtum ex chald. vel syr. lingua; verbum αἰσχυνειν, foedare quandoque vertitur: torquere, cruciare, indignis modis tractare; δ) Ipsi Judaei testes sunt et Masorethae cfr. massoram parvam et magnam, testantibus Buxtorfio in vind. et Capitone in instit. hebr. l. 1. C. 13;

c) patet denique ex contextus ordine; in aliis Ps. hujus locis palam alluditur ad Christi passionem in cruce v. 2. 9. 19; ergo et hic locus alludit; en locum parallelum Zach. 12, 10. coll. Joan. 19, 37.

a) Text. hebr. habet: aures perfecisti mihi; cum vero Graecis consuetudo aures perforandi, quo quis servus fiebat Ex. 21, 6; Deut. 15, 17. ignota esset, generalis phrasis: corpus aptasti aut concinnasti mihi, eligebatur; hinc

b) 70 locutionem figuratam in propriam mutarunt, et aures acceperunt pro toto corpore; ergo antecedens pro consequente, cum *σωμα* quoque in graeco mancipium significet;

c) quidquod fieri potuit, ut hic locus currente tempore corrumperetur et *ὦτα* in *σωμα* mutaretur, quia Euseb. in comment. ad psalt. adhuc legit: aures meas et eloquiorum tuorum obedientiam perfecisti mihi; sic quoque legit Hieron. in editione vulgata latina, a se ad graecorum exemplarium fidem correcta;

d) re bene intellecta omnes hae lectiones eodem plane redeunt, et sensus apparet: tu fecisti, ut homo et tibi obediens fierem. Christi obedientia usque ad mortem ad Phil. 2, 8. sacrificium Deo beneplacens esse debuit cfr. v. 7. ad Hebr. 10; jam vero, ut supra dictum, aures perfodiendas permittere signum servitutis fuit et Christus corpus, hominibus ut serviret, admisit; ergo in hoc sensu hic locus Ps. supra citatus ad Messiam, percommode referri potest.

5) Ps. 44. coll. cum ep. ad Hebr.

Ps. 44.	ep. ad Hebr.
v. 7. et 8: „Sedes tua (כִּסְאֲךָ, thronus, solium tuum) Deus in saeculum saeculi: virga directionis (מִישׁוֹר, rectitudinis, aequitatis) virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniqui-	C. 1, 8. 9: „Ad filium autem (dicit): thronus tuus Deus, in saeculum saeculi: virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea

tatem: propterea (עַל־כֵּן *) unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis."

unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis prae participibus tuis."

S. Paulus, ut dignitatem Jesu maxime extolleret, haec loca Ps. ad Messiam refert in sensu sublimiori, ut supra sect. II. cap. II. Nro. II. demonstratum. De Messia hunc locum intelligunt Aben Esra; R. Joseph ben Mosche in כתר תורה fol. 63, 3; Sohar chadasch fol. 41. et 42; Beneschith rabba sect. 99. fol. 98, 1; Pesiktah in Jalkut Simeoni 2 fol. 48, 3. etc.

6) Ps. 109. coll. cum Matth. et ep. ad Hebr.

v. 1: „Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (לְרַגְלֶיךָ, pedibus tuis)."

Matth. 22, 43. 44: „Ait (Jesus) illis (Pharisaeis), quomodo ergo David in spiritu (ἐν πνευματι) vocat eum Dominum, dicens: dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?" cfr. Marc. 12, 36; Luc. 20, 41. 42. 43; Act. 2, 34. 35; 1 ad Cor. 15, 25; ad Hebr. 1, 13; C. 10, 12. 13.

*) Hypothesis Baldi in vaticiniis de cruce etc. Romae 1817, quod voci כֵּן singulare quid et mysteriosi inesse, ita, ut α) כֵּן, quod generaliter: sic denotat, truncum scil. crucis Ps. 62, 3; Ps. 126, 2; Is. 52, 14. 15: Hab. 1, 17; β) לָכֵן per truncum Is. 52, 6; pro trunco Is. 53, 12; γ) עַל־כֵּן, quod generaliter: ideo, propterea etc. denotat, Ps. 118, 128 et 129; Cant. 1, 3; Is. 50, 7; Hab. 1, 4. 16. super vel contra vel inter truncum scil. crucis significet, non multis exegetis arridere et nimis artificiose excogitata esse videtur.

v. 4: „Juravit Dominus et non poenitebit eum: tu es sacerdos (כֹּהֵן) in aeternum, secundum ordinem Melchisedech (עַל־דִּבְרָתִי מַלְכִּי־צֶדֶק secundum verbum i. e. morem Malchizedech).“	ad Hebr. 7, 21: „Juravit Dominus et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum (text. gr. addit: κατα την ταξιν Μελχισεδεκ, secundum ordinem Melchisedech)“ cfr. C. 5, 6; C. 7, 17.

Hic Ps. nec ad Davidem, nec ad Salomonem, Ezechiam aut alium regem Israeliticum applicari potest, sed unice et proprie ad Messiam; nam

a) Christus hunc Ps. sic expresse interpretatur Matth. 22. dicendo, Davidem (nam ל hic exprimit genitivum uti Hab. 3, 1.) hunc Psalmum in honorem Messiae composuisse; additamentum ἐν πνευματι, in spiritu, apud Marcum ἐν πνευματι ἁγιῳ edicit magni quid et mysteriosi, et destinat hunc Ps. ad propheticum;

b) ss. Petrus Act. 2. et Paulus ad Hebr. 1. eundem Ps. de Christo interpretantur;

c) s. Paulus ad Hebr. 5. et 7. comparat Messiam cum Melchisedech dicendo, Jesum esse sacerdotem in sensu sublimiori quam Melchisedech, aeternum et a Deo constitutum ad Hebr. 7, 24; vox כֹּהֵן hic nullo modo praefectum civilem atque politicum, uti Bertholdt et Kuinoel ex locis 2 Reg. 8, 18. (coll. 1 Paral. 18, 17); 3 Reg. 4, 5; 4 Reg. 10, 11. eruere volunt, designare potest, cui interpretationi integra ad Hebraeos epistola contradicit; Christus enim longe alius כֹּהֵן hic apparet, cujus regnum non de mundo, sed cujus negotium et munus est, voluntatem Patris in opere redemtionis ad salutem hominum perficiendo explendi; hinc non ad singula verba, sed ad integram epistolam ejusque finem respiciendum erit;

d) ipsum silentium istorum Judaeorum, quibuscum Jesus tunc disputabat, testatur, hunc Ps. de Messia esse intelligendum (contra Paulus), uti et hodiedum Messiam agnoscunt in vers. 1. Sohar Gen. fol. 351. col. 139; Num. fol. 99. col. 394; Midrasch Tehillim ad h. l. et ad Ps. 18, 36. fol. 14, 3; Rabbi Simeon ad Gen. 14, 18; in v. 4. Targum; Sohar chadasch ad Hebr. 8, 1; idem fol. 42, 1. ad Ps. 44, 3; fol. 53, 3. ad Ps. 63, 2.

Exegetae recentiores v. g. Batz, Paulus et alii hunc Ps. uti et caeteros e serie messianicorum expungunt.

7) Ps. 117. coll. cum	Matth.
v. 22. 23: „Lapidem, quem (omittit text. hebr. vi hebraismi) reprobaverunt aedificantes, hic (omittit idem) factus est in caput anguli. (cfr. Is. 8, 14; C. 28, 16.). A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.“	C. 21, 42. 43: „Dicit illis Jesus: nunquam legistis in scripturis: lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris“ cfr. Marc. 12, 10. 11; Luc. 20, 17; Act. 4, 11; ad Rom. 9, 32. 33; 1 Petr. 2, 7. 8.
v. 26: „Benedictus, qui venit (הַבָּא veniens) in nomine Domini.	v. 9: „Clamabant dicentes: hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis“ cfr. Marc. 11, 9. 10; Luc. 19, 38.

a) David sicut a ministris suis = aedificantibus e solio dejectus; at brevi post tempore eodem potitus rex = caput anguli fuit, cui omnis Israelis salus innitebatur; sic evenit quoque Christo, qui a coaevis suis = aedificantibus rejectus et necatus mox rex omnium homi-

num = caput anguli fuit, in quo omnis generis humani salus consistit; hinc hic Psalmi locus ad Messiam optime quadrat;

b) s. Apostolus Petrus Act. 4. et 1. ep. 2. hunc Ps. locum optime de Messia esse intelligendum effatur, cui s. Apostolus Paulus ad Rom. 9. in verbis similibus consentit;

c) allusio ad hunc locum legenda est Luc. 2, 34; ad Eph. 2, 20; 2 ad Tim. 2, 19;

d) de Messia hunc Ps. exponunt Rabbini tum veteres, tum recentiores, teste Hieronymo.

III. In prophetis et quidem

1) Isaia.

a) Cap. 7. coll. cum	Matth.
v. 14: „Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo (הָעַלְמָה) concipiet et pariet filium et vocabitur (וְקָרָאת et vocabis) nomen ejus Emmanuel (עִמָּנוּאֵל Immanuel, nobiscum Deus).“	C. 1, 22. 23: „Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: ecce virgo in utero habebit et pariet filium et vocabunt nomen ejus Emmanuel (ἐμμανουήλ), quod est interpretatum: nobiscum Deus.“

Signum hoc in loco regi Achas a propheta datum, Rezin regem Syriae et Pekah regem Israelis urbem Jerusalem non occupaturos, fuit in vaticinium pro universo mundo ideoque recte messianicum dicitur; nam

a) signum a Deo ipso datum, non a rege electum esse dicitur conceptus et partus filii per virginem (הָעַלְמָה, articulus ה fungitur saepe vice unitatis vel articuli indefiniti v. g. הַיּוֹם, die i. e. quodam 1 Reg. 1, 4; 4 Reg. 4, 18; Job. 1, 6.), qui filius vocabitur Immanuel;

b) harmonia vaticinii hujus cum conceptu et partu Jesu usque ad verbum minimum elucet; α) virgo Maria concipit, parit et quidem filium scil. Christum; β) qui non nomine tantum, sed re et facto Immanuel fuit, id est, nobiscum Deus; γ) liberans homines a peccatis et timore mortis;

c) sic et Talmud hunc locum ad Messiam refert Bamidbar rabba sect. 1 fol. 223, 1., in quo versus 15: „Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum“ ad Abrahamum; Jobum, Hiskiam et Messiam refertur, quia hi quatuor Deum a semetipsis, nempe immediate et per solam revelationem cognoverunt.

b) Cap. 9.

v. 6. 7: „Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est (וַתְּהִי et erit) principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis (אֵל גִּבּוֹר), pater futuri saeculi (אֲבִי־עַד, pater aeternitatis), princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium et pacis non erit finis: super solium David et super regnum ejus sedebit (verbum omittit text. hebr.): ut confirmet illud et corroboret in judicio, et justitia amodo et usque in sempiternum.“

A nonnullis exegetis affirmatur, אֵל גִּבּוֹר non significare Deum fortem, sed heroem fortem, uti 4 Reg. 24, 15; Job. 41, 16; ubi Vulgata in primo loco: judices, in 2do: angeli ponit; alii aliter hunc locum torquent; at

a) Vulgata hic expresse: Deus fortis vertit;

b) v. 7. de hoc parvulo magni quid et sublime enuntiatur, quod unice ad Messiam applicari potest et debet; characteres ac praedicata in his duobus versibus pronuntiata subliminora sunt, quam quae parvulum utut regium in hoc orbe terrarum tangere possint; ergo sub hoc parvulo Messias futurus designatur;

c) sic et v. 6. de Messia interpretantur Targum; Debbarim rabba sect. 1. fol. 294, 4; Sohar Levit. fol. 13. col. 49; Tikkune Sohar C. 5. princip. (attamen obscure), Bamidbar rabba sect. 11. fol. 213, 2. ad Num. 6. 26.

c) Cap. 11.	coll. cum Luc. et Act. etc.
v. 1—5: „Et egredietur virga de radice Jesse (יִשַׁי), et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini (רוּחַ יְהוָה), spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis (text. hebr. וְיִרְאַת יְהוָה et timoris Domini). Et replebit eum spiritus timoris Domini: — judicabit in justitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae: et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium."	Act. 13, 23: „Hujus (Davidis) Deus ex semine secundum promissionem eduxit (text. gr. ἤγειρε, excitavit) Israel salvatorem Jesum." Luc. 1, 32. 33: „Hic (Jesus) erit magnus et Filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis." — 2 ad Thess. 2, 8: „Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus (quae vox in nonnullis omittitur) interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui eum (quod pronomen non legit text. gr.)."
v. 10: „(Text. hebr. incipit: וְהָיָה et erit) in die illa radix Jesse (יִשַׁי), qui stat in signum populorum,	ad Rom. 15, 12: Et rursus Isaias ait: erit radix Jesse, et qui exurget (ἀνιστάμενος exurgens) regere

ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum ejus gloriosum (והיתה מנחתו כבוד et erit requies ejus gloria; 70: και ἐσται ἡ αναπαυσις αὐτου τιμη; Aqu. et Symm. δοξα)."

gentes, in eum gentes sperabunt" cfr. Apoc. 5, 5.

Docti exegetae v. g. Rosenmueller et alii in hoc vaticinio Messiam inveniunt; nam

a) dotes citatae α) genus Luc. 1, 32. 33; β) munus prophetiae Joan. 6, 14; γ) sapientia et potentia; δ) virtus moralis; ε) judicii aequitas Matth. 22, 16. Messiae unice et optime conveniunt, cum hic in signum populorum positus sit Luc. 1, 69; C. 2, 32. 34. et hoc archetypum in nullo alio regum subsequentium, nisi in Messia, reperiatur;

b) ss. Petrus et Paulus non alium, nisi Messiam, hic describi fatentur;

c) versum 1. intelligunt de Messia Targum Hieros.; Berachoth fol. 5, 1; Bereschith rabba ad Gen. 38, 18; Sanhedrin fol. 93, 2; Kimchi; Abarbanel; v. 2. Sohar Gen. fol. 68. col. 269; Bereschith rabba sect. 2. fol. 4, 4. ad Gen. 1, 2; Sohar chadasch fol. 48, 1; Tanchuma; Bechai in legem fol. 592; v. 3. Sohar Exod. fol. 31. col. 123, 6; Sanhedrin fol. 93, 2; v. 4. Midrasch Tehillim ps. 2, 2. fol. 3, 3; Midrasch Ruth rabba fol. 41, 1; v. 10. Sohar Exod. fol. 71. col. 281; fol. 89. col. 361. 362, prolixe; Midrasch Tehillim ad ps. 21, 1. fol. 16, 1; Bereschith rabba sect. 9. fol. 95, 4.

d) Cap. 42. coll. cum Matth.

v. 1—5: „Ecce servus meus, suscipiam eum (אתמך בו, innitar in eo): electus

C. 12, 17—22: „Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam di-

meus, complacuit sibi in illo (non legit text. hebr.) anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam (text. hebr. לֹא יִשָּׂא, non elevabit, scil. vocem), nec audietur vox ejus foris (text. hebr. וְלֹא־יַשְׁמִיעַ בַּחוּץ קוֹלוֹ et non faciet audire foris vocem suam). Calamum quassatum non conteret et linum fumigans non extinguet: in veritate (לֶאֱמֶת; 70: εἰς ἀληθειαν) educet judicium. Non erit tristis, nec turbulentus (וְלֹא־יָרוּץ et non frangetur), donec ponat in terra judicium: et legem (70: ἐπι τῳ ὀνοματι, in nomine) ejus insulae (70: ἐθνη, gentes) exspectabunt" cfr. C. 49, 6.

centem: ecce puer meus, quem eligi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae (εὐδοκησεν ἡ ψυχη μου, delectata est anima mea). Ponam spiritum meum super eum et judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; arundinem quassatam non confringet et linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam (εἰς νικος) judicium: et in nomine (τῳ ονοματι nomini) ejus gentes (ἐθνη) sperabunt."

Cum sensus Matth. 12. idem est ac in vaticinio Isaiae, licet subinde alia verba v. 20. et 21. occurrant; Vulgata cum 70 omnino consentit, et exegetae quam plurimi, uti et Targum et Kimchi hunc locum ad Messiam applicant.

e) Cap. 52. et C. 53. coll. cum Matth. etc.

C. 52, 15: „Quia quibus (text. hebr. אֲשֶׁר quod) non est narratum de eo (text.

ad Rom. 15, 21: „Scriptum est: quibus non est annuntiatum de eo, vide-

hebr. לָהֶם eis), viderunt: et qui (text. hebr. אֲשֶׁר quod) non audierunt, contemplati sunt (הִתְבּוֹנָנוּ intellexerunt)."

C. 53, 1: „Quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui (עַל־מִי super quem = cui) revelatum est?"

v. 3: „Despectum et novissimum virorum (וַחֲדַל אִישִׁים et abjectus virorum i. e. inter viros), virum dolorum et scientem infirmitatem (i. e. passiones): et quasi absconditus vultus ejus (text. hebr. וּכְמַסְתֵּר פָּנִים et quasi abscondens facies) et despectus (text. hebr. addit: מִמֶּנּוּ, a nobis), unde nec (text. hebr. וְלֹא et non) reputavimus eum."

v. 4: „Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (סְבָלָם, bajulavit eos)."

v. 5: „Ipse autem vulneratus est propter iniqui-

bunt et qui non audierunt, intelligent."

Joan. 12, 38: „Ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est" cfr. ad Rom. 10, 16.

Marc. 9, 11: „Scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur."

Matth. 8, 17: „Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: ipse infirmitates nostras accepit: et aegrotationes nostras portavit" cfr. 1 Petr. 2, 24.

1 ad Cor. 15, 3: „Christus mortuus est pro pec-

tates nostras, attritus est propter scelera nostra.“

catis nostris secundum scripturas.“

v. 7: „Oblatus est (נִגַּשׂ, oppressus est cfr. Ex. 3, 7; 4 Reg. 23, 35; Job. 3, 18; Zach. 10, 4), quia ipse voluit (cum Vulg. consentit Syr. humiliavit se; text. hebr. וְהוּא נַעֲנֶה et ipse afflictus est), et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet (נֶאֱלָמָה obmutuit), et non aperiet os suum.“

Act. 8, 32: „Locus autem scripturae, quem legebat, erat hic: tanquam ovis ad occisionem ductus est: et sicut agnus coram tondente se, sine voce (ἄφωνος i. e. mutus), sic non aperuit (ἀνοίγει aperit) os suum.“

v. 9: „Eo quod (עַל, etsi, licet) iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.“

1 Petr. 2, 22: „Qui (Christus) peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus“ cfr. 1 Joan. 3, 5.

v. 12: „Et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit (יַפְגִּיעַ intercedet, orabit).“

Marc. 15, 28: „Et impleta est scriptura, quae dicit: et cum iniquis reputatus est“ cfr. Luc. 22, 37. et C. 23, 34.

Quis sub hac persona illic descripta intelligendus sit, magna inter exegetas lis est; alii intelligunt Ezechiam (Hiskiam); alii Usiam (sic Augusti); rursus alii prophetam occisum vel Isaiam ipsum vel Jeremiam (sic Grotius) aut civem patriae amantem in exilio necatum; quidam personam moralem vel universam nationem judaicam in exilium abductam (sic Symm. Aquil. Stephani,

Eckermann, Kaiser), vel collectivum i. e. selectam quandam scil. nobiliorem Israelis partem (sic Paulus); at omnes hae hypotheses oculo critico examinatae ad subjecta supra dicta minime quadrant; de physica persona esse sermonem, primo intuitu patet et omnia loca aptissime ad Messiam referri possunt et debent; nam

a) propheta magnam et mystericam mentem declarat C. 53, 1;

b) in historia universa nulla reperitur persona, cui hoc vaticinium convenire contendi possit;

c) omnia e contra usque ad minimum ad Christum applicari rectissime possunt;

α) C. 53. 3, = Matth. 8, 20: „Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet; Luc. 4, 24: „Nemo propheta acceptus est in patria sua" cfr. v. 28—31;

β) v. 4. = Matth. 27, 39—45: „Praetereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua. — Similiter et principes sacerdotum illudentes: — id ipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei";

γ) v. 5. = Matth. 26, 28: „Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum";

δ) v. 7. = Matth. 26, 63: „Jesus autem tacebat"; Joan. 1, 29: „Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi"; ad Phil. 2, 7: „Semetipsum exinanivit formam servi accipiens" cfr. 1 Petr. 1, 19;

ε) v. 9. et 12. = Matth. 27, 33: „Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha, quod est Calvariae locus", ubi Christum, licet innocentissimum et sanctissimum cum duobus latronibus crucifixerunt; inde denuo exaltatio ejus ad Eph. 1, 21. 22. 23; ad Phil. 2, 9. 10. 11;

d) de Messia interpretantur haec loca Rabbini et quidem C. 52, 15. Targum; Sohar Num. fol. 64. col. 253;

Gen. fol. 102. col. 406. (prolixius); fol. 103. col. 408. (prolixius); Tanchuma in Jalkut Simeoni 2 fol. 53, 3. it. fol. 11, 1. ad Zach. 4, 7; Aben Esra; Abarbanel; Nezach Israel; R. Levi ben Gersom etc.; C. 53, 4. Sanhedrin fol. 98, 2; Sohar Exod. fol. 85. col. 346; Num. fol. 88. col. 351. et fol. 93. col. 372; Tikkune Sohar C. 20. fol. 47, 1; Midrasch Schmuel fol. 67, 1; Midrasch Ruth rabba fol. 41, 1. ad Ruth 2, 14; Sohar Exod. fol. 48. col. 189; v. 9. Sohar Num. fol. 52. col. 200.

f) Cap. 61. coll. cum Luc.

v. 1. 2: „Spiritus Domini (text. hebr. אֲדֹנָי יְהוִֹה Domini Dei) super me, eoquod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam (דְּרוֹר libertatem) et clausis apertionem (text. hebr. פְּקַח־קוֹחַ apertionem carceris; loco hujus legunt 70: και τυφλοις αναβλεψιν, et coecis visum), ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro.“

C. 4, 17. 18. 19. 21: „Et traditus est illi liber Isaiae prophetae. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum est: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, et coecis visum (uti 70); dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis (in text. gr. id omittitur). — Coepit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris.“

a) Propheta de sua ipsius liberatione ab exilio loquitur, uti patet ex v. 4; at in sensu sublimiori id Jesus ad se applicat, quippe qui salutem in omne genus humanum diffudit;

b) Judaei

b) Judaei declarant de Messia v. g. vers. 1. Kimchi in libro radicum rad. משח col. 278. dicens: Verba prophetae agunt de Messia; nam Messias sic loquitur: propterea quod Dominus me unxit; at mirandum, quod idem Kimchi in commentario sui oblitus, prophetam de se loqui, suspicatur.

2) Jerem. C. 23. coll. cum Joan.

v. 5. 6: „Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum: et regnabit rex et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen (text. hebr. שמו nomen ejus), quod vocabunt eum, Dominus justus noster (צדקנו, justitia nostra)" cfr. C. 33, 15. 16. 17; Ezech. 34, 20—31; C. 37, 21—28.

C. 1, 45: „Invenit Philippus Nathanael et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Jesum."

a) Hic occurrunt eadem praedicata, uti Is. 11. et ad quem alium in sensu sublimiori applicari possunt, nisi ad Messiam?

b) De Messia intelligunt v. 5. Targum; Kimchi; Echah rabboti fol. 59, 2. ad Thren. 1, 16; Midrasch Tehillim ad Ps. 21, 1; Midrasch Mischle fol. 57, 1; Bava bathra fol. 75, 2; R. Joseph Alboin Sepher Ikkarim.

3) Daniel C. 7. coll. cum Matth. et Luc.

v. 13: „Aspiciebam ergo in visione noctis et ecce cum nubibus coeli quasi

Matth. 26, 64: „Dicit — Jesus: — Veruntamen dico vobis, amodo videbitis Fi-

filius hominis (כְּבַר אֱנָשׁ) veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu ejus obtulerunt eum (הַקְרְבוּהִי fecerunt appropinquare eum)."

v. 14: „Et dedit ei potestatem et honorem et regnum: et omnes populi, tribus (אֻמַּיָּא, nationes) et linguae ipsi servient: potestas ejus potestas aeterna (עָלַם saeculi), quae non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur" cfr. Ps. 88, 5.

lium hominis sedentem a dextris virtutis (Vulg. addit:) Dei et venientem in nubibus coeli" cfr. C. 16, 27.

Luc. 1, 32. 33: „Hic (Jesus) erit magnus et Filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis."

a) Hoc in loco sermo est de Messia ejusque regno; nam

α) Christus se ipsum Filium hominis vocat;

β) qui in nubibus aliquando orbem judicaturus apparebit;

γ) de imperio Christi loquitur s. Paulus ad Eph. 1, 20. 21: „Constituens (eum Deus) ad dexteram suam, in coelestibus, supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem";

δ) Christo omnia subjici idem Apostolus eodem loco dicit v. 21. 22: „Et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus" cfr. ad Phil. 2, 10. 11.

ε) regnum Christi in aeternum duraturum, effatur s. Luc. 1. 32. 33.

b) Tempus quodammodo definitur, quando regnum Messiae erigatur et stabiliatur, destructis scilicet regnis his quatuor babylonico-chaldaico, medo-persico,

macedoniaco, syrio-aegyptiaco, praesertim defuncto Antiocho et evanescentibus his regnis imperium Messiae annuntiatur, quod, ubi regnum romanum omnibus his regnis finem imponit, certissime incipere affirmatur;

c) quidquod tempus mortis Messiae et destructionis urbis Jerusalem C. 9, 24—28. coll. cum Matth. 24, 15. et Marc. 13, 14. definitur, ubi sub uncto et duce nec Onias nec Antiochus, (licet omissus articulus ה ad utrumque referri possit), sed solus Christus intelligitur, licet ea assertio exegetis recentioribus arridere nolit.

d) Judaei intelligunt de Messia v. 13. Sohar Gen. fol. 85. col. 338; R. Rasche; R. Aben Esra; R. Saadias Gaon; Bechai in legem fol. 179, 3; sic et C. 9, 24. Sanhedrin fol. 97, 1; Nasir fol. 32, 2; Megilloth fol. 3, 1; Moyses bar Nachman et alii.

4) Amos. C. 9. coll. cum Act.

v. 11. 12: „In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: et reaedificabo aperturas murorum ejus (פִּרְצֵיהֶן, rupturas earum) et ea, quae corruerant, instaurabo: et reaedificabo eum sicut in diebus antiquis (עוֹלָם saeculi). Ut possideant reliquias Idumaeae et omnes nationes (הַגּוֹיִם, gentes), eo quod (אֲשֶׁר־נִקְרָא...) (אֲשֶׁר־עֲלֵיהֶם super quas) invocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens haec.“

C. 15, 13. 16. 17: „Respondit Jacob dicens: — Posthaec revertar et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit; et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud: ut requirant caeteri hominum Dominum et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum (ἐπ αὐτους in text. gr. redundat ceu Hebraismus), dicit Dominus faciens haec (text. gr. addit: παντα, omnia).“

a) Hoc in loco sermo est de regno aeterno, non temporali, eoquod nec domus David amplius ad regnum amplum et potentiam pristinam elevata fuit, nec urbs Jerusalem sedes regis terreni ex domo David oriundi facta est; ergo de felicitate verae ecclesiae intelligendi sunt hi versus prophetici;

b) Messias in tabernaculo David = regno spirituali dominari dicitur Is. 16, 5; hic ex semine David non alius esse potest nisi Christus, qui ecclesiam collapsam erexit; in eodem sensu s. Apostolus Jacobus locum Act. 15, 16. 17. de Messia ejusque regno spirituali, ad quod omnes gentes sine discrimine per Evangelium vocantur, interpretatur.

c) Rabbini applicant v. 11. ad Messiam v. g. Sohar Gen. fol. 53. col. 210; Exod. fol. 4. col. 14; fol. 96. col. 390; Sanhedrin fol. 96, 2; Sohar chadasch fol. 41, 4.

5) Mich. C. 5. coll. cum Matth.

v. 2. (secundum text. hebr. v. 1.): „Et tu Bethlehem (בֵּית לֶחֶם, domus panis) Ephrata parvulus es (לִהְיוֹת, ad existendum i. e. es, ut sis) in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit (לִהְיוֹת) dominator in Israel: et egressus ejus ab initio (text. hebr. מִקֶּדֶם ab antiquo), a diebus aeternitatis.“

C. 2, 5. 6: „Sic enim scriptum est per prophetam: et tu Bethlehem (in) terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel“ cfr. Luc. 2, 11; Joan. 7, 42.

a) Hic definitur ipse locus, ubi nasciturus sit Messias;

b) ad Messiam hunc locum applicant Targum; Pirke Eliezer C. 5; Kimchi; Abarbanel; Joma fol. 10, 1; Sanhedrin fol. 98, 1.

6) Agg. C. 2.

v. 8: „Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus (text. hebr. cum energia וּבָאוּ חֶמְדַּת et venient = veniet desiderium) cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria; dicit Dominus exercituum.“ Sub desiderato a cunctis gentibus vel desiderio cunctarum gentium exegetae celebriores Messiam intelligunt.

7) Zach. C. 9. coll. cum Matth.

v. 9: „Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvatus (נוֹשָׁע salvatus; at Christus, ait Glass., est salvatus et salvator): ipse pauper (עָנִי, humilis mansuetus) et ascendens super asinum, et super pullum filium asinae“ cfr. Is. 62, 11.

C. 21, 4. 5: „Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem: dicite filiae Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subjugalis.“

Judaei testante Theodoreto hoc vaticinium de Zorobabele aut Nehemia 2 Esdr. 6, 7. interpretantur: exegetae vero recentiores ad Hircanum I. referunt; at collato Josepho in antiq. L. 13. C. 8—11. et bell. jud. L. 1. C. 2. et 3. hae dotes et virtutes in ipso minime sunt reperiendae; hinc

a) omnes dotes hic citatae unice ad Messiam referri possunt, cum eaedem virtutes in aliis prophetis jam supra citatis occurrunt.

b) Rabbini de Messia intelligunt vers. 9. Sohar. Lev. fol. 28. col. 112; fol. 35. col. 151; Sanhedrin fol. 98, 1; fol. 99, 1; Aben Esra; Sohar Num. fol. 85. col. 332; Deut. fol. 117. col. 471; Midrasch Schmuel fol. 66, 1; Bereschith rabba sect. 75. fol. 74, 2; Midrasch Coheleth; Tanchuma et Jalkut Rubeni; Berachoth fol. 56, 2. etc.

8) Mal. 3, 1—4.

v. 1: „Ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator (הָאָדוֹן), quem vos quaeritis et angelus testamenti (מַלְאַךְ הַבְּרִית), quem vos vultis" etc.

a) Hoc in loco alius est הָאָדוֹן, dominator aut יְהוָה צְבָאוֹת Dominus exercituum; alius מַלְאַךְ הַבְּרִית, angelus testamenti; sunt ergo duo subjecta inter se distincta (contra Bauer), et apparet, ultimum prophetarum dilucidissime deitatem Messiae declarare et affirmare, cum angelum Jehovae, sub quo Israelitae Jehovam ipsum intelligunt, angelum testamenti vocitet, eumque tanquam Messiam venientem describat; praeterea bene notandum, haec non esse verba prophetae (contra Paulus), sed verba Dei Zebaoth; en C. 4, 3.

b) Dotes in v. 2. et 3. enumeratae unice Messiae conveniunt.

c) Judaei in v. 1. Messiam reperiunt Tanchuma fol. 66. 1; Schemoth rabba sect. 32. fol. 131, 4; Debbarim rabba sect. 4. fol. 256, 2; Kimchi, qui ait: „Ille est rex Messias, et idem quoque est angelus foederis."

Haec idea: angelus testamenti aut fundator V. T. perducit ad inquisitionem, quasnam dotes et quae attributa Rabbini recentiores et Talmudistae Messiae venturo attribuant, quod breviter enumerare non injucundum erit: nam

a) describunt Messiam συναΐδιον cum Deo, praeexistentem ante mundum Eccles. 24, 14; ad Eph. 1, 4; 1 Petr. 1, 20; Nezach Israel C. 35. fol. 48. col. 1: „משיח ממני תוהו, Messias (erat jam) ante Tohu i. e. ante prima mundi initia"; Midrasch Mischle fol. 67. col. 3.

b) Ab incunabulo mundi quaecunque in salutem Israelis gesta traduntur, ad Messiam ceu causam instru-

mentalem referunt Sap. 7, 27; C. 10, 1—14; Eccles. 24, 7; Targ. Onk. Gen. 38, 20; Jon. Gen. 28, 10.

c) Regem et custodem Israelitarum constituunt Targum Hieros. Deut. 26, 17. 18; Eccles. 24, 11.

d) Populum Israeliticum ab eo ex servitute aegyptiaca in libertatem reductum Sap. 10, 15—18; Targ. Onk. Deut. 1, 30; per desertum Arabiae deductum Sap. 11, 1; illique semper socium et adjutorem invisibilem ad Hebr. 11, 26. 27; C. 12, 26. 27; Targ. Jon. Deut. 1, 29. 30; Jon. Ex. 17, 15; altorem et nutritorem populi Israelitici fuisse, palam fatentur Sap. 11, 3. 4; 1 ad Cor. 10, 1—4; Targ. Is. 16, 1; Tikkune Sohar C. 21. fol. 53, 2: „שכינתא הוה נח על־טנרא, Schechinah quievit super petram."

e) Messiam accusare Israelitas pertinaciae et obstinationis effantur 1 ad Cor. 10, 9. 10; Targ. Jon. Num. 21, 5. 6. 7; Onk. et Jon. Deut. 1, 26: „מריבתון על־מימרא דיי, rebelles fuistis in sermonem Jehovae."

f) Messiae tribuunt nomen: יהוה הקדוש ברוך Deus sanctus benedictus Sohar Gen. fol. 63. col. 249: „Et rex Messias, qui vocatur nomine Dei S. B. בשמא דקב"ה"; ibidem fol. 76. col. 301. et fol. 77. col. 305. ad verba Gen. 3, 15.

Praeterea attribuuntur Messiae

α) alia adhuc nomina v. g. ut aliqua referam, verbum Domini, Schechinah, Filius Dei, s. spiritus, Filius David, Filius hominis; rex, Schiloh, pastor, lux, גאל redemtor, angelus Dei, faciei, foederis, pax, justus, Dominus Ps. 109, 1; Is. 40, 3;

β) attributa divina: aeternitas, omnipotentia, omniscientia, immensitas;

γ) opera divina: creatio, miraculorum patratio, benedictio, resuscitatio, victoria de satana, liberatio hominum a morte, admissio poenitentium in gratiam, salvatio hominum;

δ) perfectiones hominum aliorum dotibus longe praecedentes.

B) *N. T.* 1) Christus, in libris V. T. saepissime et expresse de se mentionem fieri, palam edicit, quin contradixerint Judaei Luc. 24, 25. 27. 44: „O stulti et tardi corde, ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! — Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant: — necesse est impleri, omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et Psalmis de me"; Joan. 5, 39. 46: „Scrutamini scripturas — et illae sunt, quae testimonium perhibent (μαρτυρουσαι testantes) de me. — Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et (αν utique) mihi: de me enim ille scripsit"; hinc confirmat effato suo ea, quae in prophetis extant (Matth. 9, 13; C. 15, 7; Joan. 10, 34. 35.) de se scripta.

2) Apostoli idem effantur Joan. 1, 45: „Invenit Philippus Nathanael et dicit ei: quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Jesum"; Act. 3, 18: „Deus autem, quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit" cfr. v. 21. 22. 24; C. 26, 22. 23; C. 28, 25. col. 1 ad Cor. 15, 1 — 4; 1 Petr. 1, 10: „De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetae" cfr. 2 Petr. 1, 19.

Hinc Jesus est Messias et Christus κατ' ἐξοχην Matth. 16, 16: „Respondens Simon Petrus dixit: tu es Christus, Filius Dei vivi" cfr. C. 26, 63; Marc. 14, 61; Luc. 22, 66. 67; — Joan. 1, 41: „(Andreas) dicit ei (Petro) invenimus Messiam, (quod est interpretatum Christum)" cfr. C. 4, 25. 26; C. 7, 41; C. 10, 24. 25; C. 11, 27; — Act. 2, 36: „Et Dominum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis" cfr. C. 17, 3; C. 18, 28; 1 Joan. 5, 1: „Omnis, qui credit, quoniam, Jesus est Christus, ex Deo natus est" cfr. C. 2, 22.

Ex his hactenus dictis jure optimo Christus fundator veteris testamenti nuncupatur; en locum 1 ad Cor. 10, 4: „Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus“ cfr. id, quod supra dictum et ad Hebr. 11, 26. 27; C. 12, 18. 19. 22. 24—27; 1 Petr. 1, 11.

C) *Traditio.* Ss. patres commentantes in loca V. T. supra citata de Messia in V. T. jam operante suamque activitatem quam plurimum exercente intelligenda eoque apparente omnes prophetias esse rite completas, palam fatentur 1) Clem. Rom. in 1 ep. ad Cor. C. 16. applicat Ps. 21. et Is. 53; et C. 32. Ps. 2. ad Messiam. 2) Justin. apol. 1. (al. 2.) Gen. 49, 10; Ps. 2; Ps. 21; Ps. 109; Is. 7, 14; C. 53. et in dial. c. Tryph. Gen. 49, 10; Ps. 21; Ps. 44; Ps. 109; Is. C. 14; C. 52. et 53; Zach. C. 9, 9. de Messia seu Christo interpretatur. 3) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 24. et 26. commentatur in Is. C. 7, 14. — 4) Tertull. contr. Marc. lib. 5. C. 42. in Ps. 21, 17. et 18; et de carn. Christ. C. 21—25. in Is. 7. — 5) Orig. de princip. praef. n. 4. commentatur n. 34. et 35. in Is. 7; n. 51. et 52. in Mich. 5; n. 53. in Gen. 49, 10; n. 54. et 55. in Is. 52. et 53. — 6) Arnob. in Ps. 21. — 7) Lactant. instit. div. lib. 4. C. 12. in Is. 7. cfr. lib. 5. C. 3. — 8) Euseb. demonstr. evang. lib. 2. integr. agit de venturo Messia citans loca V. T. v. g. Pss. Is. Mich. etc.; lib. 3. C. 2. Deut. 18. et alia prophetarum loca; lib. 5. C. 3. commentans in Ps. 109; C. 28. in Malach. 3, 1; sicuti omnes 10. libri pro Christologia adhiberi possunt. — 9) Greg. Nyss. testimon. de advent. Dom. in carne adv. Jud. commentatur in Gen. 49; Ps. 44; Is. 14. et Mal. 3. — 10) Ambros. de benedict. patriarch. C. 4. in Gen. 49. — 11) Epiphan. haer. 69. in Ps. 21. — 12) Chrysost. in Gen. 49. secundum 70. hom. 67. et in Is. 7. — 13) Hieron. in Ps. 2. dicens: „Audacis est, hunc Psalmum interpretari velle post Petrum,

immo de eo sentire aliud, quam in actibus Apostolorum dixerit Petrus." — 14) Augustin. ep. 120. ad Honorat. commentatur in Ps. 21. — 15) Theodoret. declarat Gen. 49, 10. de Christo et commentatur in Ps. 21. et 109.

Caput II.

Jesus Christus, Filius Dei.

§. 39.

A) *V. T.* Vox בְּנֵי אֱלֹהִים, בֵּן variis assignatur subjectis; nam

a) sub hac voce angeli Dei intelliguntur, uti 70. et ss. patres interpretantur: „ἄγγελοι Θεου" Gen. 6, 2; Job. 2, 1; C. 38, 7;

b) Israel, id est, gens Israelitica vocatur filius et quidem primogenitus Ex. 4, 22. 23; Deut. 14, 1; Jer. 31, 9. 20; Os. 11, 1;

c) judices et reges vocantur filii Dei Ps. 81, 1. 6. cfr. Ex. 21, 6; C. 22, 8. 9;

d) in specie David in hoc sensu primogenitus appellatur Ps. 88, 28. et filius Dei 2 Reg. 7, 14; Ps. 2, 7. (et 12. juxta text. hebr.), quod posterius proprie in Messiam refertur, vide supra;

e) sic et in libris apocryphis et aliis Messias futurus vocatur בֵּן אֱלֹהִים, ὁ υἱος του Θεου 4 Esdr. 2, 47; C. 13, 37; Sohar Gen. part. 1 fol. 88. col. 348. edit. Sulzb. ad Ps. 2, 7. 12: „נשקו בר אנת, osculamini filium — tu (es filius meus). Est autem ille princeps Israelitarum, dominus super inferiora, dominus angelorum ministrantium, Filius altissimi (בר לעילא), Filius Dei sancti benedicti" cfr. fol. 39. col. 154;

f) quidquod hic Messias designatur α) ὁ μονογενης, unigenitus, primogenitus Tikkune Sohar C. 14: „ברא

בוכרא דילא קדמאה דכולהו, Filius ejus (Dei) primogenitus est primus omnium, qui est columna media" cfr. Velleh Schemoth rabbah ad Exod. 13, 21; β) ἠγαπημενος, dilectus Midrasch Schir Haschirim ad C. 5, 16: „Palatum ejus (Messiae) dulcedines et totus ille deliciae; hic est dilectus meus et hic amicus meus"; γ) רעה, pastor 4 Esdr. 2, 34.

B) *N. T.* In sensu morali, non proprio, dicuntur filii Dei a) pacifici Matth. 5, 9; b) in Deum credentes Joan. 1, 12; c) ducti a spiritu s. ad Rom. 8, 14; hinc Deus Pater hominum universalis appellatur Matth. 6, 1. 4. 6. 8. 9; 1 Joan. 3, 1. Filiis Dei opponuntur filii diaboli Joan. 8, 44.

Jesus Christus in sensu proprio est Filius Dei (ὁ υἱος του Θεου) Luc. 1, 32. 33. secundum naturam et essentiam divinam et sublimiorem, Filius Dei κατ' ἐξοχην, eo, quo non aliud ens esse et de se dicere potest, modo, idquod testantur

I) effata Jesu

1) Matth. 11, 27: „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare" cfr. Luc. 10, 22. a) De Filio proprio, cui omnia tradita sunt, sermo est, uti in primogenitis fit, qui jura patrum accipiunt et quibus omnia a patribus traduntur. b) Jesus dicens: „Nemo novit Filium nisi Pater" de origine sublimiori, de relatione ad Patrem supernaturali loquitur, dotibus quippe suis physicis et moralibus abunde cognitis; c) Jesus dicendo „neque Patrem quis novit nisi Filius" in sensu longe sublimiori loquitur, cum de quadam mysteriorum altissimorum cognitione, quae Christo ceu Filio tantummodo possibilis erat, specialis sermo sit; d) quidquod Filius tantum tale quid revelare potest, consequenter aliquid revelat, quod non alius religionis doctor revelare valuit.

2) C. 26, 63. 64: „Princeps sacerdotum ait illi: adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei (ὁ Χριστος ὁ υἱος του Θεου). Dicit illi Jesus: tu dixisti" cfr. Marc. 14, 61; Luc. 22, 70. a) Hoc in loco Christus adjuratus, ergo solenniter, se Filium Dei esse palam affirmat, provocans se in signum ad majestatem et virtutem futuram dicendo: „Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli" cfr. C. 27, 40. et 43; b) princeps sacerdotum id in proprio sensu intellexit, quia indignatus vestimenta scidit exclamans: „Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?" v. 65; c) secundum Lucam C. 22, 70. omnes praesentes interrogabant: „Tu ergo es Filius Dei. Qui ait: vos dicitis, quia ego sum" tunc v. 71. sequitur: „At illi dixerunt: quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus (scil. blasphemiam)" cfr. C. 23, 35.

3) Joan. 5, 19: „Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit"; a) hoc in loco Jesus expresse et in sensu proprio Filium se vocat, b) quod et Judaei sic intellexerunt, eum idcirco interficere quaerentes, quia v. 18: „Patrem suum (πατερα ἰδιον, Patrem proprium) dicebat Deum, aequalem se (ἑαυτον seipsum) faciens Deo"; c) Jesus non revocat sententiam pronuntiatam, sed magis confirmat dicendo v. 20: „Et majora his (scil. sanatione infirmi) demonstrabit ei (scil. Pater Filio) opera, ut vos miremini"; d) Filiationem divinam Christus sibi soli propriam assignat Joan. 9, 35—39. et excellentiam atque dignitatem suam in hac proprietate extollit.

4) C. 10, 36: „Quem (Jesum) Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum (υἱος του Θεου εἰμι)"; a) sanctificatio et missio a Patre exprimit sanctam generationem;

sicque per argumentum a minori (quod homines filii excelsi, dii vocantur v. 34.) ad majus (quod Jesus perfectius sic se vocandi jus habeat) ostendit ipse, se in principali et sublimiori relatione ad Patrem = Filium Dei esse; c) Judaeis Dei Filium vocari, Deum Patrem habere idem erat, ac se Deum facere, Deo aequalem se reddere; hinc quaerebant eum lapidare de blasphemia, quam edixisse Jesum putarunt.

Hac ratione Jesus se ipsum vocat unigenitum, *μονογενη*, Joan. 3, 16. 18: „Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret: — qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei."

II) Effata

1) Apostolorum

a) Matth. 16, 16: „Respondens Simon Petrus dixit: tu es Christus Filius Dei vivi (ὁ Χριστος ὁ υἱος του Θεου του ζωντος"; quo responso Jesus dixit v. 17: „Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est." Idem effatum repetit s. Petrus Joan. 6, 70: „Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei (text. gr. addit: του ζωντος, viventis)" cfr. Act. 4, 30.

b) Joan. 1, 49: „Respondit ei Nathanael (probabiliter postea Bartholomaeus dictus), et ait: Rabbi, tu es Filius Dei (ὁ υἱος του Θεου), tu es Rex Israel."

c) C. 20, 31. ipse Johannes Evangelista ait: „Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei (ὁ Χριστος ὁ υἱος του Θεου)" cfr. 1 Joan. 3, 8.

d) Apostolus Paulus Act. 3, 13. 26. ait: „Deus patrum nostrorum glorificavit Filium (text. gr. τον παιδα, puerum) suum Jesum. — Vobis primum Deus suscitans Filium (τον παιδα) suum misit eum benedicentem vobis"; conferri potest, quod idem Apostolus

effatur ad Rom. 1, 4; C. 8, 3; ad Hebr. 1, 2—9; C. 6, 6; C. 7, 3; C. 10, 29.

Hinc Jesus ab iis vocatur primogenitus, ὁ πρωτοτοκος, unigenitus, ὁ μονογενης Joan. 1, 14. 18; ad Col. 1, 15; 1 Joan. 4, 9; Apoc. 1, 5.

2) Asseclarum Jesu et aliorum fidelium

a) plebs tempestate cessante exclamavit Matth. 14, 33: „Vere Filius Dei (Θεου υἱος) es";

b) ipsi daemoniaci id confiteri cogebantur Matth. 8, 29: „Quid nobis et tibi Jesu Filii Dei (Ἰησου υἱε του Θεου)" cfr. Marc. 1, 34; C. 5, 7; Luc. 4, 41;

c) centurio cruci adstans et signa tam miraculosa moriente Jesu intuens exclamat Matth. 27, 54: „Vere Filius Dei erat iste (ἀληθως Θεου υἱος ἠν οὑτος)" cfr. Marc. 15, 39;

d) accedit angeli declaratio Luc. 1, 32: „Hic erit magnus et Filius Altissimi (υἱος ὑψιστου) vocabitur";

e) Joannes Baptista Joan. 1, 34. ait: „Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei (ὁ υἱος του Θεου)";

f) ille coeco-natus, postquam sanatus et ad Jesum reversus interrogatus fuit Joan. 9, 35: „Tu credis in Filium Dei" respondit v. 36: „Quis est Domine, ut credam in eum"; quo facto Jesus dixit v. 37: „Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est (ἐκεινος ἐστι)";

g) Martha palam fatetur Joan. 11, 27: „Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti (ἐρχομενος veniens)."

Hinc venit, ut hostes Jesum varie tentarent et provocarent ad signa miracula ipsis demonstranda; sic ille satan Matth. 4, 3: „Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant" v. 6: „Si Filius Dei es, mitte te deor-

sum; sic Judaei in cruce ipsi illudentes Matth. 27, 40: „Si Filius Dei es, descende de cruce" cfr Luc. 23, 35.

3) Huc accedunt solennes Dei declarationes

a) Matth. 3, 16. 17: „Et ecce aperti sunt ei coeli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de coelis dicens: hic est Filius meus dilectus (οὗτος ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητος), in quo mihi complacui" cfr. Marc. 1, 10, 11; Luc. 3, 22. Exegetae recentiores ad varias, ut hoc factum refutent, recurrunt hypotheses, s. scripturae contrarias; sed his omnibus omissis, veram esse historiam, sequentia demonstrant; nam α) locus quippe et personae distincte nominantur; β) alterum alteri cohaeret, loco et personis concessis, cur visio columbae negetur, ratio non est; concessa circumstantia essentiali, concedantur circumstantiae accidentales necesse est; concesso facto primo, concedatur et aliud oportet; γ) vox sic eloquens: „Hic est Filius meus dilectus" in tribus Evangelistis occurrit; non alia verba cum industria selecta esse, narrationem perlegenti obvenit; δ) ipsissima verba licet non exprimantur, sensus in tribus Evangelistis rite acceptus adest; conceptus enim ubique primarius eminet: Filius Dei, quod erat demonstrandum; ε) Jesus post baptismum magister verae religionis publice proditurus et inaugurandus in munere a Patre solenniter Filius Dei mundo declarari et insigniri debuit, quod non melius, distinctius et dignius, quam hoc symbolo externo omnibus praesentibus dato, fieri potuit.

b) Altera publica declaratio Dei evenit eo, quo Petrus, Jacobus et Joannes cum Jesu in monte erant, tempore, ubi Moyses et Elias ἐν προσωπῳ apparentes cum Jesu loquebantur; Matth. 17, 5. legitur: „Ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus (οὗτος ἐστιν ὁ υἱός μου ἀγαπητος), in quo mihi com-

placui, ipsum audite" cfr. Marc. 9, 6; Luc. 9, 35. Hic locus a variis Exegetis varie et male torquetur et modo pro mytho, modo pro visione vel somnio habetur, eoquod dicente Luca v. 32. discipuli gravati erant somno; at α) διαγρηγορειν non dicitur expergisci, sed pervigilem esse vid. Herod. 3, 4; β) apparitio Moysis et Eliae non est fictio, sed vera historia tribus Evangelistis testantibus; non est dolus, quasi fuissent duo amici subdole introducti, sed vere sunt hi duo prophetae, visi in majestate, ut Luc. ait; γ) terror, qui tres Apostolos invaserat, erat, ut patet, insolitus et extraordinarius; vox audita insolita, nec vox Jesu, nec vox prophetarum, quae ex colloquio cognosci potuit; totum factum insolitum; δ) fictioni historiae hujus jam contradicit expresse s. Petrus in ep. 2. C. 1, 16—19., qui ipsissima verba Matth. reddit et addit; „hanc vocem nos (scil. is et duo Apostoli) audivimus de coelo (ἐξ οὐρανοῦ) allatam"; ε) quod Jesus Apostolis dixerit, visionem hanc nonnisi post resurrectionem publicandam esse; ratio haec est, quia promulgatio subito facta missionis ipsius fieri minus fuisset consentanea; simile interdictum in alia dedit occasione Matth. 16, 20; ζ) historia integra cum capite praecedenti, ubi de passione et morte futura Apostolis dixit Jesus, intime connexa cohaeret; hinc hoc signum manifeste oblatum discipulos convincere et potuit et debuit, Jesum verum esse Dei Filium.

Hunc Dei Filium misit Deus in hunc mundum, ut voluntatem hujus exequeretur et mysteria hominibus hactenus abscondita manifestaret; hinc

a) declaratur legatus seu missus a Patre Joan. 3, 17: „Non enim misit (ἀπεστειλε) Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum" cfr. C. 5, 36; C. 17, 3; ad Rom. 8, 3: „Deus

„Deus Filium suum mittens (πεμψας)"; ad Gal. 4, 4: „At ubi venit plenitudo temporis, misit (ἐξαπεστειλε) Deus Filium suum, factum sub lege";

b) exiens a Patre in mundum et ad eundem rediens Joan. 8, 42: „Ego enim ex Deo processi et veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit" cfr. C. 3, 13; C. 13, 3; C. 16, 28;

c) operans in nomine Patris Joan. 5, 43: „Ego veni in nomine Patris mei (= plenipotentiarius Patris mei cfr. Matth. 7, 22; C. 21, 9; Marc. 16, 17.)";

d) explendo voluntatem Patris, quo jubente opera fecit Joan. 4, 34: „Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit (του πεμψαντος, mittentis) me, ut perficiam opus ejus" cfr. C. 6, 38; C. 8, 26. 28. 29; C. 12, 49; C. 14, 31.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 1. (al. 2.): „At enim Filius Dei Jesus dicitur, etiamsi communi aliorum more homo tantum esset, propter sapientiam tamen digne Dei Filius diceretur. — Et Jesus Christus solus proprie Filius Deogenitus, qui est Verbum ejus et primogenitus et virtus." — 2) Athenag. leg. pro Christian.: „Dei Filius est Verbum Patris in idea et efficacia; — mens ac Verbum Patris Filius est Dei (νους και λογος του πατρος ὁ υἱος του Θεου)." — 3) Tertull. adv. Prax. C. 24: „Nobis omnes scripturae et veteres Christum Dei et novae Filium Dei praefiniunt" cfr. C. 7. — 4) Orig. contr. Cels. lib. 3. n. 14: „Jesus Dei esse Filius (υἱος ὠν Θεου) et antequam homo fieret, et postquam homo factus est, demonstratur" cfr. de princip. lib. 1. C. 2. n. 1. 2. et 4. — 5) Lactant. institut. divin. lib. 4: C. 8: „Qui (Christus) cum esset a principio Filius Dei, regeneratus est denuo secundum carnem" cfr. C. 29. — 6) Hilar. de trin. lib. 3: „Hic (Jesus) et verus et proprius est Filius (Dei), origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione" cfr. lib. 6. —

7) Athan. contr. Arian. or. 3: „Et hoc ipsum fuit, cur ejus temporis Judaei stomacharentur, quod Dominus se Filium Dei (υἱὸν Θεοῦ) et Deum sibi Patrem esse pronuntiaret“ cfr. synod. Nic. contr. haer. Arian. decreta. — 8) Basil. ep. 210. (al. 64.) ad primor. Neocaes. C. 4: „Sciatis Christi nomen, quod est super omne nomen, hoc ipsum esse, quod Filius Dei vocatur (το καλεισθαι αὐτον υἱὸν του Θεου)“ cfr. adv. Eunom. lib. 4. C. 1. — 9) Cyrill. Hieros. catech. 11. C. 2: „Filium porro cum audis, ne adoptivum (θετον) existimes, sed naturalem, Filium, Filium unigenitum (μονογενη); — unigenitus appellatur, quod in Deitatis dignitate et nativitate ex Patre fratrem habeat nullum“ cfr. C. 4. — 10) Greg. Nyss. contr. Eunom. orat. 4: „Qui vere unigenitus (μονογενης) est, fratres non habet; quomodo enim quis esset unigenitus, qui cum fratribus annumeratur.“ — 11) Ambros. apolog. David. posterior. C. 4: „Secundum substantiam divinam (Christus) Dei Filius est, secundum carnem filius David, — ubi plenitudo confessionis exigitur, — non vult se David filium, sed Dei nominari.“ — 12) Cyrill. Alex. thesaur. lib. 2. C. 9: „Filius Dei per se subsistit“ cfr. lib. 12. C. 15; ergo secundum ss. patres Jesus Christus est

a) Filius Dei, Tertull. Orig. Athan. Cyrill. Alex.; a principio, Lactant.; secundum substantiam divinam Ambros.; Filius naturalis, Cyrill. Hieros.; origine quippe, veritate et nativitate, Hilar.; propter sapientiam, Justin.;

b) quia est Logos Dei, Justin.; et mens Dei, Athenag. et virtus Dei, Justin.; estque

c) unigenitus, Cyrill. Hieros. Greg. Nyss.; et primogenitus Dei, Justin.

b) Concilia 1) Nicaen. 1. in symb.: „Credimus — in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei (του υἱὸν του Θεου), ex Patre natum, unigenitum (μονογενη),

id est, ex essentia Patris (ἐκ της οὐσιας του πατρος)." — 2) Constantinop. 1. oecum. 2. in symb. fid. vel. cap. 7: „Credimus — in unum Dominum Jesum Christum, unigenitum Dei Filium, genitum ex Patre, ante omnia saecula." — 3) Lateran. 4. C. 1: „Firmiter credimus — quod est — Filius a Patre solo. — Filius nascens."

Caput III.

Jesus Christus, Filius hominis et Theanthropos.

§. 40.

A) In *V. T.* occurrit nomen בֶּן אָדָם, filius hominis, quod nomen saepissime propheta Ezechiel ex ore Dei in revelandis oraculis futuris accipit Ezech. 2, 1; C. 3, 1; C. 4, 1; C. 5, 1; C. 6, 1; C. 7, 1. Huc referri placebit argumentum Josephi antiq. lib. 18. C. 4. ex emendatione Huetii in demonstrat. evang. propos. 3. §. 11. una cum versione.

Γινεται δε κατα τουτον τον χρονον Ἰησους, σοφος ανηρ, εἰ δε ἀνδρα ἀυτον λεγειν χρη. Ἠν γαρ παραδοξων ἐργων ποιητης, διδασκαλος ἀνθρωπων, των ἡδονη τ'ἀληθη δεχομενων, και πολλους μεν Ιουδαιους, πολλους δε και ἑλληνικων, ἐπηγαγετο. Ὁ Χριστος οὑτος ἠν. Και ἀυτον ἐνδειξει των πρωτων παρ' ἡμιν σταυρῳ ἐπιτετιμηκοτος Πιλατου, οὐκ ἐπαυσαντο, οἱ το πρωτον ἀγαπησαντες.	Fuit autem eo tempore Jesus, vir sapiens, si tamen virum illum dicere oportet. Erat enim mirabilium operum patrator, doctor hominum libenter vera suscipientium, et multos quidem Judaeos, multos etiam gentium ad se traxit. Christus hic erat. Et cum eum ex accusatione primorum inter nos cruci addixisset Pilatus, non quieverunt (= abstinuerunt a diligendo), qui primo

Ἐφανη γαρ αὐτοις τριτην ἐχων ἡμεραν, παλιν ζων, των θειων προφητων ταυτα τε και ἀλλα μυρια θαυμασια περι αὐτου εἰρηκοτων, εἰσετι τε νυν Χριστιανων ἀπο τουδε ὠνομασμενων οὐκ ἐπελιπε το φιλον.	amabant. Apparuit enim illis tertia die, redivivus, cum divini prophetae haec et alia infinita (seu innumerabilia) mirabilia de eo praedixerint, adhucdum Christianorum ab eo nominatorum non defecit amicum (scil. genus).

Authentiam hujus loci testantur argumenta

a) externa Euseb. Caesar. demonstrat. evang. lib. 4; hist. eccles. lib. 1. C. 12; Hieronym. de viris illustr. seu de script. eccles.; Rufin. in versione Eusebii; Sozom. hist. eccles. lib. 1. C. 1; Nicephor. hist. eccles. lib. 1. C. 39. etc.;

b) interna et quidem

α) non est verosimile, Josephum de Christo et Christianis eorumque origine nunquam mentionem fecisse, cum archaeol. 20, 8. de Jacobo mentionem fecisset eumque vocasset: „τον ἀδελφον Ἰησου του λεγομενου Χριστου" itidemque de Joanne Baptista disseruisset;

β) series, in qua hic locus occurrit, consentit cum praecedenti;

γ) interpolator christianus, ut Jesum extolleret, longe aliis ac v. g. παραδοξων ἐργων ποιητης etc. verbis usus fuisset;

δ) singula verba in aliis locis ejusdem libri occurrunt v. g. ἡδονη τε τεχεσθαι occurrit antiq. lib. 18. C. 3, 4; C. 7, 10; C. 9, 4; ἐνδειξεν consentit cum ἐνδεικνυμι in antiq. lib. 19. C. 1, 5; τουτον ἐνδεικνυσι τιμαδιος εχθρος ων, quoad significatum;

ε) Josephus depraedicat bell. jud. lib. 3. C. 5. Judam quendam, Essenum, tanquam prophetam, cujus vaticiniis eventus semper respondit, ex quo patet, om-

nia praedicata, quae in loco citato Josephus de Christo enarrat, historice vera esse;

ζ) ponamus (sed non concesso), ut hic locus non sit authenticus, et Josephus altum teneat de Jesu silentium; hoc ipsum silentium argumentum pro re et facto praestabit positivum; nam si Jesus defraudator fuisset, Josephus nunquam tacuisset, et dolum certissime aperuisset, uti in aliis locis fecit antiq. lib. 20. C. 2. et 3.

Reliqua Judaeorum pars, Messiam ex virgine clausa nasci, autumnat Bereschith rabba minor ad Gen. 4, 25. ad verba זרע אחר dixit R. Tanchuma: „Hoc est illud semen, quod venit de alio loco. Et quod est istud? Est rex Messias" cfr. ad Gen. 19, 32; quam ob causam in Nezach Israel cap. 30. fol. 43. C. 1. corpus Messiae a semine humano non producendum appellatur הריה חדשה, substantia nova et הצירה האלהית הקדשה, forma divina sancta cfr. glossa ad Bereschith rabba Gen. 37, 22; Bereschith Ketannah ad Gen. 38, 1: „Tribus erant occupati (scil. fratres Josephi) circa venditionem Josephi; Josephus autem negotiosus circa saccum et jejunium suum; Juda vero sollicitus erat de uxore ducenda. Deus autem optimus maximus erat procreans carnem regis Messiae, sicut dictum est (Is. 66, 7.): antequam paturiret, peperit"; quae dicta mentem authoris, quid de primordiis vitae Messiae corporeae cogitaverit, satis distincte declarant.

B) *N. T.* Verbum, λογος, Filius Dei caro = homo factum est, ut munere legationis in terra opus sibi impositum perficeret Joan. 1, 14: „Verbum caro factum est" cfr. ad Hebr. 5, 7: „In diebus carnis suae" et 1 Joan. 1, 1. 2; — ad Rom. 8, 3: „Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati" cfr. v. 32; ad Gal. 4, 4; ad Phil. 2, 6. 8; 1 ad Tim. 3, 16. vide supra. — Ad Hebr. 4, 15: „Tentatum autem (habemus pontificem)

per omnia pro similitudine absque peccato" cfr. Luc. 22, 28; — 1 Joan. 4, 2: „Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est" quae sententia est contra Doketas.

1) Jesus Christus, λογος, Filius Dei expresse homo dicitur:

a) Christus se ipsum hoc nomine designat Joan. 8, 40: „Nunc autem quaeritis me interficere, hominem (ἀνθρωπον), qui veritatem vobis locutus sum."

b) Apostoli Act. 17, 31: „Eoquod statuit (Deus) diem, in quo judicaturus est orbem in aequitate, in viro (ἐν ἀνδρι), in quo statuit"; ad Rom. 5, 15: „Donum in gratia unius hominis (τῃ του ἑνος ἀνθρωπου) Jesu Christi in plures abundavit"; 1 ad Tim. 2, 5: „Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo (ἀνθρωπος) Christus Jesus"; hinc s. Paulus ad Phil. 2, 7. his verbis utitur: „semetipsum exinanivit formam servi accipiens."

c) Coaevi ejus Luc. 23, 4. ait Pilatus: „Nihil invenio causae in hoc homine (ἐν τῳ ἀνθρωπῳ τουτῳ)"; Centurio Jesum morientem videns exclamat v. 47: „Vere hic homo (ὁ ἀνθρωπος οὑτος) justus erat."

2) Christus homo factus et natus est ad Rom. 1, 3: „Qui (filius Dei) factus est ei ex semine David secundum carnem" cfr. C. 9, 5. et 1 Petr. 4, 1. — Ad Gal. 4, 4: „Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege"; inde veniunt genealogiae Christi Matth. 1, 1—17. et Luc. 3, 23—38., quarum prior generationem Josephi a patre Jacob et Jesu a patre suo nutritio Josepho per Salomonem ex David pro Judaeis in Palaestina commorantibus; altera generationem Josephi patris et Jesu, filii, respective nepotis Heli, cujus filia erat virgo Maria, per Nathan ex Davide, pro Judaeis etiam extra Palaestinam versantibus describit, ita,

ut Maria per Nathan, Jesu pater nutritius per Salomonem ex David generatus videatur.

3) Christus humano indutus erat corpore una cum omnibus attributis physicis Marc. 14, 8: „Quod habuit haec (mulier), fecit: praevenit ungere corpus meum (μου το σωμα) in sepulturam"; Luc. 24, 39: „Videte manus meas et pedes (text. gr. addit: μου, meos), quia ego ipse sum; palpate (text. gr. addit: με), et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (ἐχοντα, habentem)"; Joan. 2, 21: „Ille autem dicebat de templo corporis sui (του σωματος αὐτου)" cfr. 1 Petr. 2, 24; Christus esuriebat Matth. 4, 2; sitiebat Joan. 19, 28; cibum potumque sumebat Luc. 24, 43; Joan. 2, 2; C. 21, 10; lacrymas effundebat Luc. 19, 41; Joan. 11, 35; sudore et sanguine perfusus Luc. 22, 44; capax defatigationis Joan. 4, 6. somni Matth. 8, 24; Marc. 4, 38. et vulnerationis Joan. 19, 34; quidquod, sicut mortalium quisque, sed voluntarie morti subditus ad Phil. 2, 8; ergo Jesus corpus habuit verum et subsistens, non ἐν δοκησει, quam doctrinam Apostoli vehementer impugnarunt ad Hebr. 2, 14: „Quia ergo pueri (scil. discipuli Jesu) communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter (παραπλησιως, consimiliter) participavit eisdem" cfr. C. 4, 15; 2 Joan. v. 7: „Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem (ἐρχομενον ἐν σαρκι, venientem in carne): hic est seductor et Antichristus" cfr. Joan. 19, 34. et 1 Joan. 4, 2.

4) Christus humana praeditus anima cum effectibus, quin tamen virtus ejus, pietas et divinitas minima aspersae fuerint macula Matth. 26, 38: „Tunc ait illis: tristis est anima mea (ἡ ψυχη μου) usque ad mortem"; Luc. 2, 40: „Puer autem crescebat et confortabatur (text. gr. addit: πνευματι, spiritu), plenus sapientia et gratia Dei erat in illo" cfr. v. 52; C. 23, 46: „Jesus

ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum (το πνευμα μου)"; hinc affectus in eo existentes v. g. zeli sancti Matth. 21, 12; tristitiae, animi moeroris Matth. 26, 38; Marc. 14, 34; fremitus et consternationis Joan. 11, 33. 38; quo respectu dicitur Jesus Adam secundus, novissimus ad Rom. 5, 14—19.

Christus etsi se vocat in hoc respectu praedicto Filium hominis, τον υἱον του ἀνθρωπου; hoc non ubique naturam ejus humanam, sed naturam sublimiorem, divinam designat; nam

a) Jesus hunc titulum sibi soli κατ' ἐξοχην assignat, quo se prae aliis hominibus distinguere velit Matth. 8, 20; C. 10, 23; C. 11, 19; C. 16, 13; C. 17, 9. 12. 21; C. 18, 11; C. 20, 18; C. 26, 2. 24. 45; Luc. 6, 22; C. 22, 48; Joan. 8, 28;

b) attribuendo functiones et praedicata sibi soli propria Matth. 9, 6; C. 12, 8. 32. 40; C. 13, 37. 41; C. 19, 28; C. 20, 28; C. 24, 30; Marc. 8, 38; Luc. 17, 22; C. 19, 10; Joan. 3, 14; C. 5, 27; C. 6, 27. 54. 63; C. 12, 23. 34; C. 13, 31;

c) commutando hoc nomen cum illo regis Matth. 25, 31. 34., aut cum illo Filii Dei Matth. 26, 63. 64;

d) extollendo se super angelos Dei Joan. 1, 51;

e) nomen: Filius hominis ipsi ab Apostolis et aliis tribuitur Luc. 24, 7; Act. 7, 55; Apoc. 1, 13.

Incarnatio Jesu testibus Evangelistis modo supernaturali, miraculoso, extraordinario, nobis incomprehensibili accidit et est et manet mysterium; argumenta praecipua sunt:

1) Matth. 1, 18. 20: „Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto — (ait angelus Domini): quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est";

2) Luc. 1, 30. 31. 32. 35: „Et angelus ei (Mariae): ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum — paries filium, — hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur. — Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.“ De generatione supernaturali hic sermonem esse, perlegenti subito occurret; nam

a) generatio fit absque cooperante marito α) uti Matth. v. 18. innuit; β) Maria ipsa impossibilitatem generationis angelo proponit dicendo Luc. 1, 34: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (γινωσκω = συνελευθω, συνερχομαι)?“ γ) hinc Maria desponsata Matth. v. 18. et virgo Luc. v. 27. vocatur;

b) influente Deo et quidem Spiritu s. α) Matth. v. 18; ergo Spiritus s. est principium et causa efficiens; β) Luc. v. 35: „Spiritus s. superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi (id est), immediato virtutis Altissimi in te influxu corpus hujus Filii formabitur in te)“; ergo influxus specialis et extraordinarius a Deo sic productus apparet, ut ab Adam usque adhuc nullum in revelatione reperiatur exemplum;

c) hinc, quod natum, non est Filius vulgaris et naturalis, sed vocatur α) Filius Altissimi Luc. v. 32; β) Sanctum v. 35; γ) Filius Dei ibid.

Ex his dictis apparet, Jesum Christum, Filium Dei esse ens ex duabus naturis, humana scilicet et divina consistens; ergo merito est Theanthropos (θεανθρωπος sive θεανθρος), id est: Deus — homo, οὐ ψιλος ἀνθρωπος, non nudus homo, quae unio in Christo est hypostatica seu personalis (ἑνωσις ὑποστατικη) Matth. 16, 13; Joan. 1, 14; C. 3, 16; C. 17, 5; ad Phil. 2, 6. et datur in eo idiomatum communicatio (κοινωνια), quae est praedicatio mutua naturae divinae et humanae atque proprie-

tatum utriusque naturae tum de se invicem, tum de supposito, facta in concreto Joan. 3, 13; 1 Joan. 3, 16; aut aliis verbis: id, quod fuit permansit et quod non erat, assumsit, non commixtionem passus, neque divisionem ad Hebr. 1.

C) *Traditio* I) Ss. patres Jesum Christum factum esse hominem publice confitentur 1) Ignat. ad Trall. C. 9: „Qui (Jesus Christus) factus est per Mariam ex semine David, qui vere ex virgine, quia hoc ipsum est, quod et Deus; suscepit enim vere corpus — manducavit enim vere et bibit et crucifixus est et mortuus" cfr. ad Eph. C. 18. et 20; ad Smyrn. C. 1. — 2) Polycarp. ad Phil. C. 7: „Omnis — qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est." — 3) Justin. apol. 1. (al. 2.): „Filius Verbum est, quod quomodo per incarnationem homo sit factum (σαρκοποιηθεις ανθρωπος γεγονε) deinceps dicemus" cfr. dial. c. Tryph. — 4) Tatian, orat. ad Graec. C. 35: „Non desipimus, o Graeci, neque nugas vobis proferimus, Deum sub hominis forma natum (Θεον εν ανθρωπου μορφῃ γεγονεναι) annuntiantes." — 5) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 18: „Hic autem est, qui ex Maria natus est; oportet enim, inquit, Filium hominis multa pati et reprobatus est et crucifigi et die tertio resurgere; non ergo alterum Filium hominis novit Evangelium, nisi hunc, qui ex Maria, qui et passus est." — 6) Tertull. de carn. Christi C. 5: „Christus homo et Filius hominis, aut cur homo Christus et Filius hominis, si nihil hominis et nihil ex homine?" C. 21. — 7) Orig. de princip. praef. n. 4: „(Christus) novissimis temporibus se ipsum exinaniens, homo factus incarnatus est, cum Deus esset et homo factus mansit, quod erat Deus. Corpus assumsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex virgine et Spiritu s. est." — 8) Athan. de incarn. Christ.: „Dictum est, Verbum carnem esse factum, quoniam caro, Verbi caro

facta est (του λογου γεγονεν ἡ σαρξ) et non hominis alicujus, hoc est: Deus homo factus (ὁ Θεος ἀνθρωπος γεγονε) et caro dicitur factus esse, ne omitteretis carnis vocabulum" cfr. de salut. advent. — 9) Greg. Naz. orat. 5. de Filio 2: „(Jesus) Filius — hominis dicitur tum propter Adamum, tum propter virginem, ex quibus ortus est." — 10) Greg. Nyss. contr. Eunom. orat. 2: „Creatus est vere in novissimis diebus ille, qui propter nos secundum nos creatus est. Qui in principio Verbum cum esset et Deus, postea caro et homo factus est (μετα ταυτα δε σαρξ γενομενος και ἀνθρωπος), carnis autem natura creata est: cujus per omnia factus particeps secundum similitudinem, excepto peccato, creatus quidem, secundum Deum, non secundum hominem, sicut ait Apostolus, novo quodam modo, non humano more (καινον τινα τροπον, και οὐ κατα την ἀνθρωπινην συνηθειαν)" cfr. orat. catech. C. 5. et 15. integr. et orat. 38. in Christ. nativ. — 11) Ambros. in Prov. C. 31: „Si non erat (Christus) homo, ergo mortuus non est, crucifixus non est, ergo non resurrexit, — procul dubio falsae cicatrices illae fuerunt, si vera vulnera non praecesserunt. Si autem vera praecesserunt vulnera, vera erat caro; si vera caro, vera mors, vera crux, verus homo." — 12) Epiphan. ancor. pag. 509: „Non solum nostra onera suscepit sanctum Verbum, ubi propter nos venit, sed etiam sub contactum venit, et carnem suscepit, et homo inventus est et a scribis comprehensus est et dorsum flagris praebuit — sed et flevit — et constitutus in anxietate sudavit, et puer crescebat et confortabatur Spiritu et proficiebat aetate ac sapientia Jesus" — 13) Hieron. in Ps. 109: „Si hominis corpus assumsit, necesse est, ut et hominis verba suscipiat, homo est Christus, et vere homo est; secundum assumtiones carnis dicimus; si ergo homo est secundum corpus, vides corpus et non scandalizaris et miraris, si hominis verbis loquitur." — 14) Augustin. sermm. de temp. serm. 3: „(Credimus)

suscepisse Dominum nostrum Jesum Christum non imaginarium corpus, aut sola forma compositum, sed solidum; atque hunc et esurisse et doluisse et flevisse et omnia corporis exercitia sensisse — hunc Filium hominis nunc vocari" cfr. de civ. Dei lib. 14. C. 9; ep. 3. ad Volus. — 15) Cyrill. Alex. de recta fide ad Theodos.: „Nonne manifestissimum est et nulli obscurum, quod unigenitus factus est nobis similis, hoc est, perfectus homo?" — 16) Greg. M. epp. lib. 11. ep. 67. ad Quiric. episc.: „Perfectus homo, id est, in veritate carnis et animae rationalis, natus est per uterum virginis unigenitus Filius Dei" cfr. moral. lib. 18. (in C. 28. Job.) C. 52. n. 85.

Secundum ss. patres Jesus Christus

a) natus est ex virgine Maria, Ignat. Iren.; per uterum virginis, Greg. M. et ex Spiritu s., Orig.; sub forma hominis, Tatian.;

b) creatus modo novo, non humano more, Greg. Naz.;

c) vere caro factus, Justin. Athan. Greg. Nyss. Ambros.; vere homo factus, Orig. Athan.; in carne veniens, Polycarp.;

d) vocatur homo, Tertull.; seu homo inventus est, Epiphan.; et quidem verus seu perfectus homo, Ambros. Hieron. Cyrill. Alex. Greg. M.; ac verum assumsit corpus, Ignat. Orig.; et solidum, August.; hinc α) profecit aetate et sapientia, Epiphan.; β) esuriit, Augustin.; manducavit et bibit, Ignat.; γ) flevit, anxius doluit, Epiph. Augustin.; δ) corporis exercitia sensit, Augustin.; multa passus, Iren.; et onera nostra suscipiens, Epiph.; ε) flagellatus, Epiphan.; crucifixus, Ignat. Iren.; vere vulneratus, Ambros.; et vere mortuus, Iren. Ambros.; quo respectu

e) vocatur Filius hominis in sensu sublimiori, Iren. Tertull. Greg. Naz. Augustin.

II) Secundum doctrinam eorum Jesus Christus vere est Theanthropos; sic a) ss. patres 1) Justin. dial. c. Tryph.: „Ex aliis item verbis, per Davidem itidem editis, quod ostensum sit, eum e summis coelis progressurum, et in eadem loca rediturum, in memoriam revocate, ut et Deum coelitus profectum, hominemque inter homines factum (και Θεον ἀνωθεν προελθοντα και ἀνθρωπον ἐν ἀνθρωποις γενομενον) et rursus illum rediturum esse cognoscatis.“ — 2) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 18: „Misit Deus Filium suum — ut sit — Filius Dei, hominis Filius factus, ut per eum adoptionem percipiamus, portante homine et capiente et complectente Filium Dei.“ — 3) Tertull. adv. Prax. C. 27: „Videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum, in una persona Deum et hominem Jesum“ cfr. C. 17; apol. C. 21; de carn. Christ. C. 5; C. 11; C. 18. — 4) Clem. Alex. cohort. ad gent. C. 1: „(Christus) solus uterque Deus et homo (Θεος τε και ἀνθρωπος) est, ut omnimodam nobis felicitatem daret“ cfr. paedag. lib. 3. C. 1. — 5) Orig. de princip. lib. 2. C. 6. n. 3: „Ipsa cum ea, quam assumserat, carne, Dei Filius, et Dei virtus, Christus et Dei sapientia appellatur: et rursum Dei Filius, per quem omnia creata sunt, Jesus Christus et Filius hominis nominatur“ cfr. supra praef. n. 4. — 6) Cyprian. adv. Jud. lib. 4. C. 10: „Et homo et Deus Christus, ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos et Patrem posset“ cfr. tract. 4. de idol. vanit. — 7) Lactant. instit. div. lib. 4. C. 25: „Igitur Deus et homo inter Deum atque hominem medius constitutus“ cfr. C. 13. — 8) Hilar. enarr. in Ps. 2: „Qui Filius hominis est, idem et Filius Dei est“ cfr. de trin. lib. 9. et 10. — 9) Athan. de incarn. Christ.: „Adpellabitur perfectus Deus et perfectus homo Christus (τελειος κατα παντα Θεος και ἀνθρωπος ὁ αὐτος)“ ibidem asserens: „Christum unam esse personam, non duas“ cfr. ep. ad Antioch. — 10) Cyrill. Hieros. cat. 4. C. 9: „Duplex erat Christus (διπλους ἠν

ὁ Χριστος): homo quidem quantum ad id, quod videbatur, Deus vero, quantum ad illud, quod latebat“ cfr. hom. in paralyt. C. 6. — 11) Greg. Naz. orat. 51. de fide: „Est in Christo sicut gemina et duplex, divina scilicet humanaque substantia, ita una eademque persona, sed constat, immortale esse, quod Dei est, hominis, quod caducum“ cfr. orat. 36; et orat. 42. in Pasch. 2. — 12) Greg. Nyss. contra Eunom. orat. 4: „Dicitur Deus et homo, Filius Dei et Filius hominis: forma enim Dei et forma servi partim quidem secundum naturam existentem cum sit, partim vero cum sit factus secundum humanitatis dispensationem; sic etiam unigenitus cum sit, primogenitus omnis creaturae efficitur“ cfr. orat. catech. C. 11; de eo, quod sit ad imag. Dei et similitud. — 13) Ambros. de fide lib. 1. C. 6: „Utramque naturam hic significare videtur in Christo, et divinitatis et carnis, divinitatis ex Patre, carnis ex matre, illamque ante omnia, istamque ex virgine“ cfr. lib. 2. C. 4; de incarnat. C. 5; lib. 10. in Luc. C. 20. — 14) Epiphan. ancor. pag. 515: „Sic (Christus) est mediator Dei et hominum, Deus existens et homo factus, non mutatus naturam, sed secundum utraque ad ambo medius existens“ cfr. pag. 555; haer. 7; haer. 57; haer. 77. — 15) Chrysost. de ascens. serm.: „Se medium Christus ingessit et sociavit utramque naturam.“ — 16) Hieron. in ep. ad Gal. C. 1: „*In* commune audiant (haeretici) Christum et Deum esse et hominem, non quod alius Deus sit et alius homo, sed qui Deus semper erat, homo ob nostram salutem esse dignatus est“ cfr. in Matth. C. 24; in ep. ad Eph. C. 4; adv. Pelag. lib. 2. C. 5. — 17) Augustin. enchir. ad Laurent. C. 35: „Christus Jesus, Dei Filius et Deus et homo est. Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo“ sermm. de temp. serm. 193: „Hic jam sollicitus auditor attendat, ut sciat unam eandemque personam, juxta suscepti hominis veritatem“ cfr. de civ. Dei lib. 11. C. 2; ep. 57. ad Dardan.; epist. 137; tract. in Evang.

Joannis tract. 2; tract. 79; de trinit. lib. 2. C. 6; sermm. de verb. Apost. serm. 14. C. 9. — 18) Cyrill. Alex. de fide recta ad regin.: „Filius vere existens Dei secundum aeternam ex Deo nativitatem, factus est Filius hominis secundum nativitatem ex virgine et est unus idem perfectus Filius secundum Deitatem et consubstantialis Patri et perfectus homo idem secundum nativitatem et consubstantialis hominibus secundum carnem“ cfr. de incarn. unigen. C. 12; epist. ad Nest.; liber apolog.; thesaur. lib. 10. C. 3. — 19) Theodoret. dial. 1: „(Ostendit propheta Mich. 5.), non solum Deum, sed etiam hominem. Hominem quidem ut qui ex Juda secundum carnem germinavit et in Bethlehem natus est, Deum autem, ut qui est ante saecula.“ — 20) Greg. M. in Ezech. lib. 1. hom. 8. n. 24: „Mox ut Verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super angelos fuit. — Unus quippe in utraque natura, quoniam qui Deus ante saecula extitit, homo factus est in fine saeculorum“ cfr. n. 25.

Secundum doctrinam ss. patrum Jesus Christus est

a) Deus coelitus profectus, homo inter homines factus, Justin.; ergo Deus existens, homo factus, Epiphan.; solus uterque, Deus et homo, Clem. Alex. Cyprian. Lactant. Cyrill. Hieros. Greg. Nyss. Hieron. Augustin. Theodoret. Greg. M.; et quidem perfecte, Athan.; hinc Deus homo, Greg. M.;

b) Filius Dei et Filius hominis, Iren. Orig. Hilar. Greg. Nyss.; et quidem perfecte, Cyrill. Alex.;

c) in una persona, Tertull. Athan. Greg. Naz. Augustin.;

d) at in divina et humana substantia, Greg. Naz.; seu duplici natura, divina scilicet et humana, Ambros. Greg. M.; socians utramque naturam, Chrysost.

b) Concilia 1) Nicaen. 1. oecum. in symb.: „(Credimus) in unum Dominum Jesum Christum, — qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit,

et incarnatus est et homo factus (και σαρκωθεντα και ἐνανθρωπησαντα); passus est." — 2) Constantinop. 1. oec. 2: „Et homo factus est." — 3) Ephes. oecum. 3. anno 431. Cap. 13: „Dicimus, quod — (Dei natura) carnem anima rationali sibi copulaverit verbumque substantialiter, ineffabiliter factus sit homo, et nuncupatus sit etiam Filius hominis" — 4) Chalcedon. oecum. 4. anno 451. act. 5. symb. fid.: „Edocemur eundem in Deitate perfectum, in humanitate perfectum, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali, et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem — unum et eundem Christum Filium, Jesum Dominum, unigenitum, quem in duabus naturis inconfuse, et immutabiliter, indivise, atque inseparabiliter (ἐν δυο Φυσεσι ἀσυγχυτως, ἀτρεπτως, ἀδιαιρετως, ἀχωριστως), omnes agnoscimus, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, sed potius utriusque naturae proprietate servata atque in unam concurrentem personam non in duas deductum divisumque personas." — 5) Constantinop. 3. oec. 6. anno 553. (aut al. 680.) Act. 17: „Duas voluntates in eo (Christo) et duas naturales operationes (και δυο θελησεις [ἡ θεληματα] ἐν αὐτῳ και δυο Φυσικας ἐνεργειας) indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum patrum doctrinam aeque praedicamus." — 6) Lateran. 4. Cap. 1: „Et tandem unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota trinitate communiter incarnatus ex Maria virgine, Spiritus s. cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitae manifestius monstravit." — 7) Constantiens. sess. 14. inter damnatos articulos Joannis Huss erat art. 4: „Duae naturae, divinitas et humanitas unus est Christus."

CAPUT

Caput IV.

Jesus Christus generis humani redemtor.

§. 41.

A) In *V. T.* redemtio hominum vel in praefiguratione vel in vaticiniis sistitur; hinc in oeconomia mosaica singuli ritus, singulae ceremoniae, singulae formulae Exod. 24, 6. 7. 8: „Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis et misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen foederis, legit audiente populo' (באזני העם, in auribus populi): qui dixerunt, omnia, quae locutus est Dominus, faciemus et erimus obedientes. Ille vero sumtum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis (הנה דם־הברית, ecce sanguis foederis), quod pepigit Deus vobiscum super cunctis sermonibus his"; inde ortum est magnum expiationis festum Lev. 16., in quo praescriptum erat v. 3: offerre cum vitulo pro peccato (בפר בן־בקר לחטאת, in juvenco, filio bovis, in peccatum) v. 5: duos hircos pro peccato (שני־שעירי עזים לחטאת, duos hircos caprarum in peccatum) et arietem unum in holocaustum (איל אחד לעלה); deinde dicitur v. 29. et 30: „Eritque vobis hoc legitimum sempiternum (לחקת עולם, in statutum saeculi): mense septimo, decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena, qui peregrinatus inter vos (בתוככם, in medio vestri). In hac die expiatio erit vestri atque mundatio (יכפר עליכם לטהר אתכם, expiabit [scil. sacerdos] super vos, ad mundandum vos) ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini: sabbathum enim requietionis est (text. hebr. addit: לכם,

vobis) et affligetis animas vestras religione perpetua (חֻקַּת עוֹלָם, statuto, saeculi)."

B) *N. T.* Quam diverse a V. T., quam praeclarius et sublimius in oeconomia christiana redemtionis opus apparet? Mysterium redemtionis est actus et effectus determinationis liberae divinae, qua Deus homini resipiscenti vi mortis Christi remissionem peccatorum quoad poenam (quae est vel damni vel sensus, id est, vel damnalis vel positiva) et culpam (quae est jactura amoris et amicitiae Dei, mors animae, malum morale), favorem et benevolentiam suam cum poenarum aeternarum indulgentia, sanctificationem internam cum gratia conjunctam et beatitudinem inde secuturam concedit.

Jesus Christus *) morte sua remissionem peccatorum procuravit; en

1) effata Jesu Christi

a) Matth. 26, 28: „Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (ἐκχυνομενον εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων)" cfr. Marc. 14, 24; Luc. 22, 20; effusio sanguinis = mors, qua multis = omnibus remissio peccatorum procuratur;

b) Luc. 24, 46. 48: „Sic oportebat Jesum pati — et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes"; ergo mors Christi pro omnibus remissionem peccatorum vi poenitentiae (μετανοια) procurat, discipulis quippe sacrificiorum ideae jam assuetis et verba Christi probe intelligentibus;

c) hanc remissionem peccatorum sequitur favor Dei antea per peccatum amissus et vita aeterna inde se-

*) De quaestione, quatenus Jesus doctor et emendator hominum fuit, jam in introductione paululum memoratum est.

cutura Joan. 3, 14. 15. 16: „Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam (ἐχῃ ζωην αἰωνιον)“; exaltari, רום, רמם in lingua syro-chaldaica = זְקִיף, crucifigi, in altum erigi; hinc mori, ex quo salus et vita aeterna exoriatur;

d) C. 6, 52: „Panis, quem ego dabo, caro mea (text. gr. addit: ἡν ἐχω δωσω, quam ego dabo) est pro mundi vita (ὑπερ της του κοσμου ζωης)“; caro = corpus mundo vitam procurat aeternam.

2) Effata Apostolorum et aliorum

a) Joan. 1, 29: „Vidit Joannes (Baptista) Jesum venientem ad se et ait: ecce agnus Dei (ὁ ἀμνος του Θεου), ecce, qui tollit peccatum mundi“ cfr 1 Petr. 1, 19; Christus vocatur agnus = sacrificium mactandum pro salute mundi = omnium hominum;

b) ad Rom. 4, 25: „Qui (Christus) traditus est (παρεδοθη scil. ad mortem crucis) propter delicta nostra“;

c) 1 ad Cor. 15, 3: „Tradidi enim vobis inprimis, quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro (ἀπεθανεν ὑπερ) peccatis nostris secundum scripturas“; Christus, ait Apostolus, salvator noster Matth. 1, 21., ut nos omni poena liberaret, mortuus est, uti scriptura V. T. Luc. 24, 26. 27. coll. Is. 53. et N. T. Luc. 24, 46. 47. meminit;

d) ad Gal. 1, 4: „Qui (Christus) dedit semetipsum pro (δοντος ἑαυτον περι) peccatis nostris“;

e) ad Eph. 1, 7: „In quo (Christo) habemus redemtionem per sanguinem ejus (δια του αἱματος αὐτου), remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus“ cfr. ad Col. 1, 14;

f) ad Hebr. 9, 28: „Christus semel oblatus est (ἁπαξ προσενεχθεις scil. tanquam victima) ad multorum (= omnium exhaurienda peccata";

g) 1 Petr. 2, 24: „Qui (Christus) peccata nostra ipse pertulit (αὐτος ἀνηνεγκε) in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus, cujus livore sanati estis"; omnia haec loca confirmant effatum Christi Matth. 26, 28. per mortem ipsius nobis remissionem peccatorum et vitam aeternam fuisse procuratam.

Haec remissio peccatorum per mortem Jesu procurata in s. scriptura variis formulis exprimitur, quas enumerare juvabit.

1) Christus mortuus est pro hominibus Joan. 10, 11. 15: „Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis — et (ego) animam meam pono (την ψυχην μου τιθημι) pro ovibus (Vulg. addit:) meis"; animam ponere = mori; mori pro (περι, ὑπερ) aliquo = morte salvare aliquem; ergo Jesus, moriens pro omnibus, salutem et vitam aeternam omnibus procuravit. — Ad Rom. 5, 9: „Christus pro nobis mortuus est (ὑπερ ἡμων ἀπεθανε)"; — 2 ad Cor. 5, 15: „Pro omnibus mortuus est (ὑπερ παντων ἀπεθανε, Vulg. addit:) Christus"; — 1 Petr. 3, 18: „Quia et Christus semel pro peccatis (Vulg. addit:) nostris mortuus est (text. gr. ἐπαθε, passus est = ἀπεθανε), justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu"; Christus justissimus morte sua injustis remissionem procuravit; — 1 Joan. 3, 16: „In hoc cognovimus charitatem Dei (Patris), quoniam ille (Jesus) animam suam pro nobis posuit (ὑπερ ἡμων την ψυχην αὐτου ἐθηκε)."

2) Christus morte sua homines cum Deo reconciliavit ad Rom. 5, 10. 11: „Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: — gloria-

mur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus"; *καταλλασσειν* sive *καττaλλαττειν*, reconciliare est hic anthropopathice sumtum, et idem est, ac: Deus homini non amplius in persona judicis severi et punitivi pertimescendus est; — 2 ad Cor. 5, 18. 19: „Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per (text. gr. addit: Ἰησουν) Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum et posuit in nobis verbum reconciliationis"; reconciliare explicatur per illud: non reputare delicta; ideoque per Christum peccatorum poenae sublatae sunt; — ad Eph. 2, 16: „Ut — reconciliet ambos (scil. populos) in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso (id est, per semetipsum)"; — ad Col. 1, 19. 20. 22: „In ipso (Christo) complacuit (scil. Deo Patri), — per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus (text. gr. addit: δι' αὐτου, per eum), sive quae in terris, sive quae in coelis sunt, — nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso"; effectus reconciliationis est sanctitas ac immaculata, inculpabilis vita coram Deo.

3) Christus sanguine suo homines ab omnibus peccatis mundavit ad Tit. 2, 14: „(Christus) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret (καθαρισῃ) sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum"; — 1 Joan. 1, 7: „Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato (καθαριζει ἡμας ἀπο πασης ἁμαρτιας)"; — Apoc. 1, 5: „Qui (Christus) dilexit nos et lavit (λουσαντι, lavanti) nos a peccatis nostris in sanguine suo"; cum peccatum quasi macula lavanda sistitur; verbum metaphoricum: mundare optimo jure adhibetur.

4) Christus pro salute hominum se ipsum poenae reum tractari permisit 2 ad Cor. 5, 21: „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei (= justi coram Deo) in ipso"; — ad Gal. 3, 13: „Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum"; maledictum, κατάρα, חרם = poena divina Gen. 3, 17; C. 4, 11; Deut. 7, 15—26; ergo Christus se damnari et quasi agi passus est, ut nos poenis divinis liberaret, has pro nobis sustinendo.

5) Christus factus est pro nobis redemtio, pretium redemtionis, λυτρον, ἀντιλυτρον, λυτρωσις, ἀπολυτρωσις, pretium, τιμη; vox enim λυτρωσις, ἀπολυτρωσις in genere designat a) liberationem a captivitate per pretium oblatum Ex. 34, 20; liberationem a morte Ex. 21, 30; ad Rom. 3, 24; b) liberationem a quovis malo Luc. 1, 68; 1 Petr. 1, 18; α) a persecutione Job. 33, 28; Luc. 21, 28; ad Hebr. 11, 35; β) a miseriis hujus vitae corporis nostri ad Rom. 8, 23; ad Eph. 1, 14; C. 4, 30; γ) a servitute judaica ad Gal. 4, 5; at hic in sensu longe alio sumi debet haec vox et quidem in sensu isto: Christus morte sua homines poenis aeternis liberavit Matth. 20, 28: „Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam, redemtionem (λυτρον) pro multis (= omnibus)": 1 ad Cor. 6, 20: „Emti enim estis pretio (τιμης, Vulg. addit:) magno" cfr. C. 7, 23; — ad Eph. 1, 7: „In ipso habemus redemtionem (την ἀπολυτρωσιν) per sanguinem ejus, remissionem peccatorum"; — 1 ad Tim. 2, 6: „Qui (Christus) dedit redemtionem (ἀντιλυτρον) semetipsum pro omnibus"; — ad Hebr. 9, 12: „Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemtione inventa (αἰωνιαν λυτρωσιν εὑραμενος, aeternam redemtionem inveniens)"; — Apoc. 5, 9: „Quoniam occisus es et redemisti (ἠγορασας) nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione" cfr. 1 Petr. 1, 18. 19; hinc dicitur de Christo: factus

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ad Phil. 2, 8; cfr. 1 Petr. 2, 21.

6) Christus pro hominibus sponte se obtulit ad Gal. 1, 4: „Qui (Christus) dedit semetipsum pro peccatis nostris“ — ad Eph. 5, 2: „Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam (*προσφοραν και θυσιαν*) Deo in odorem suavitatis“ cfr. Ex. 29, 18. — Ad Hebr. 7, 27: „Qui (Christus) non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo (*ἑαυτον ἀνενεγκας*, seipsum offerens)“; cfr. C. 9, 14. 15. 28; C. 10, 10. 12. 14. 18; hic locus alludit ad servitium leviticum V. T. Lev. 16, 33; Num. 19; 2 Reg. 24, 25; 3 Reg. 3, 14. Ex hactenus dictis variae oriuntur denominationes splendidissimae, quae de Christo enuntiatae ad doctrinas prolatas spectant; nam dicitur

a) pontifex, *ὁ ἀρχιερευς*, pontifex magnus, *ὁ ἀρχιερευς ὁ μεγας*, sacerdos magnus, *ὁ ἱερευς ὁ μεγας* ad Hebr. 2, 17; C. 3, 1; C. 4, 14; C. 5, 6. 10; C. 6, 20; C. 7, 3. 26; C. 8, 1; C. 9, 11; C. 10, 21; queis in locis Christus cum sacerdotibus V. T. Gen. 14, 18. et 1 Reg. 3, 1. comparatur, simul vero ostenditur, illum his excellentiorem et majorem esse *α*) quoad vocationem ad Hebr. 5, 5. 6; *β*) quoad originem C. 7, 16. 23. 24; *γ*) quoad munus C. 9, 11—15; nec locus 1 Petr. 2, 5. huic comparationi derogare potest;

b) mediator, *μεσιτης* 1 ad Tim. 2, 5; ad Hebr. 8, 6; C. 9, 15; C. 12, 24; sicut enim jam in V. T. Moyses Deut. 5, 5. coll. ad Gal. 3, 19. 20. mediator inter Deum et populum Israeliticum fuit; sic in sensu proprio et sublimiori Christus in N. T. mediator inter Deum et homines sistitur; hinc Christus mediator novi foederis, et sicut in V. T. Deus *α*) genti Judaicae *β*) certa bona huic nationi reservata et de-

stinata γ) sub conditione observandae legis mosaicae largitus est; sic per Jesum α) omnibus gentibus β) remissionem peccatorum et felicitatem aeternam γ) sub conditione exercendae fidei et pietatis promisit;

c) sponsor, ὁ ἐγγυος ad Hebr. 7 22;

d) salvator, ὁ σωτηρ, Ἰησους Matth. 1, 21; Luc. 2, 11; Joan. 4, 42; Act. 5, 31; ad Phil. 3, 20; ad Tit. 2, 13; 1 Joan. 4, 14;

e) praecursor, ὁ προδρομος ad Hebr. 6, 20;

f) interpellator, advocatus, ἐντυγχανων ὑπερ ἡμων, παρακλητος ad Rom. 8, 34; ad Hebr. 7, 25; 1 Joan. 2, 1;

g) propitiatio, ἱλασμος, ἱλαστηριον ad Rom. 3, 25; 1 Joan. 2, 2; ex queis locis citatis luculenter apparet, effectum mortis Jesu universalem fuisse et quidem

1) respectu subjecti, cum ad homines omnes se extenderet ad Rom. 3, 23: „Omnes enim peccaverunt" C. 8, 32; — 2 ad Cor. 5, 14: „Unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt"; — ad Eph. 2, 16. en supra cfr. C. 1, 10. et ad Col. 1, 20; — 1 Joan. 2, 2: „Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem, sed etiam pro totius mundi (περι ὁλου του κοσμου)";

2) respectu objecti, cum ad omnia peccata dimanaret ad Rom. 3, 26: „Quem proposuit Deus propitiationem — propter remissionem praecedentium (των προγεγονοτων, praefactorum) delictorum" — ad Hebr. 9, 15: „Ut morte intercedente, in redemtionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis"; 1 Joan. 2, 2. supra;

3) respectu temporis, cum ad omnia tempora vim suam exsereret ad Hebr. 7, 24. 25: „Hic autem eoquod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium: unde et salvare in perpetuum potest acceden-

tes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis (text. gr. αὐτων, eis, quod idem est)" cfr. C. 9, 25. 26.

Haec doctrina

a) minime est accommodatio ad opiniones plebis judaicae, sacrificiis utique assuetae; idquod C. 9. et 10. ep. ad Hebr. satis superque refutant;

b) mors Jesu non merum exemplum moralitatem efficiens cogitanda est, sed est aliquid, quod fieri debuit; ergo mors necessaria per peccata hominum posita Matth. 16, 21; Luc. 24, 26; Joan. 18, 11. eo magis necessaria, cum nec Judaei nec ethnici Jesu doctrinae assentirentur et faverent Matth. 21, 32; Joan. 3, 11. 12;

c) Christus licet innocentissimus mori debuit, quod factum ratione nostra minime perscrutandum Deo soli reservatum est; hinc in Jesu moralis peccati imputatio non est cogitanda, ne dicam quaerenda, sed modo respectu hominum peccantium et respectu generis humani maledicto subjacentis imputatio activa;

d) haec doctrina bene intellecta moralitati non nocebit, cum μετανοια, vitae emendatio non ad mortem usque sit proroganda; absit omnis abusus reconciliationis per Jesu mortem factae; praeterea notandum, fidem in remissionem peccatorum per mortem Jesu multo efficaciorem ac digniorem et animo humano tranquilliorem esse, quam rationis sibi relictae, Deum fore propitium, spem, quae nullam nobis concedit certitudinem apodicticam.

S. scriptura, Jesum Christum mortuum usque ad resurrectionem ad inferos redemtionis causa descendisse meminit in his locis: a) ad Eph. 4, 8—11: „Propter quod dicit: ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi, quia et descendit primum in inferiores

partes terrae (εἰς τα κατωτερα μερη της γης)? Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia" cfr. ad Phil. 2, 10; sub voce: inferiores partes terrae et inferni ad Phil. sunt intelligendi defuncti, separati ab inferno et a coelo in loco quodam separato versantes; — b) 1 Petr. 3, 18. 19: „Christus semel pro peccatis nostris mortuus est (text. gr. ἐπαθε passus est) justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu: in quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit (ἐν ᾡ και τοις ἐν φυλακῃ πνευμασι πορευθεις ἐκηρυξε), qui increduli fuerant aliquando"; carcer nec est שאול Hebraeorum, ubi manes reservatae erant Ps. 15, 10; nec tartarus 2 Petr. 2, 4., nec coelum, sed locus quidam specialis, in quem Jesus post mortem ingressus animas adhuc liberandas et praedicatione accepta (Matth. 10, 7; C. 11, 1; Marc. 1, 38; C. 3, 14; Luc. 4, 44. praedicare quippe est = promulgare religionem) et poenitentia suscepta redemtione dignas liberavit cfr. 1 Petr. 4, 5. 6; hinc Christus, mortis et inferni devictor, post resurrectionem et ascensionem clarissimis, quos vivus jam habuit, insignitur titulis et quidem dicitur

a) exaltatus, ὑψωθεις, ad Phil. 2, 9;

b) glorificatus, δεδοξασμενος Luc. 24; 26; Joan. 7, 39; C. 12, 16; 1 Petr. 1, 21; hinc

c) Dominus, ὁ κυριος κατ' ἐξοχην, cum articulo ὁ Luc. 1, 76; Act. 2, 36; C. 10, 36; 1 ad Cor. 8, 6; C. 12, 3. 5; 2 ad Cor. 3, 16; ad Eph. 4, 5; ὁ δεσποτης 2 Petr. 2, 1;

d) caput, ἡ κεφαλη ad Eph. 5, 23;

e) pastor, ὁ ποιμην Joan. 10, 16; pastor magnus, ὁ ποιμην ὁ μεγας ad Hebr. 13, 20; princeps pastorum, ὁ ἀρχιποιμην 1 Petr. 5, 4; inde deducendum erit reg-

num ejus coeleste et aeternum 2 ad Tim. 4, 18; 2 Petr. 1, 11.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Clem. Rom. 1 ad Cor. 7: „Animum intendamus in sanguinem Christi cernamusque, quam pretiosus Deo sit sanguis ejus, qui propter nostram salutem effusus (τι δια την ἡμετεραν σωτηριαν ἐκχωθεν) toti mundo poenitentiae gratiam obtulit" cfr. C. 12. et 21. — 2) Ignat. ad Magnes. C. 9: „Mortis in Christo facta victoria." — 3) Polycarp. ad Phil. C. 8: „Christus — sustulit peccata nostra in corpore super lignum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, sed propter nos omnia sustinuit, ut vivamus in ipso." — 4) Justin. apol. 1. (al. 2.): „(Christus) nostra causa homo factus, pati (παθεις) et contumeliis affici sustinuit" — dial. c. Tryph.: „Sunt expiati (καθαριζομενοι) — fide per sanguinem Christi et mortem ejus (δια του αἱματος του Χριστου και του θανατου αὐτου)" cfr. C. 91. et 106. — 5) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 18: „Rursus (Paulus) significans Christum passum et ipsum esse Filium Dei, qui pro nobis mortuus est et sanguine suo redemit nos in praefinito tempore — Unus et idem est Christus Jesus Filius Dei, qui per passionem reconciliavit nos Deo" cfr. lib. 5. C. 1. et 17. — 6) Tertull. adv. Jud. C. 13: „Hunc (Christum) oportebat pro omnibus gentibus sacrificium fieri, qui tanquam ovis ad victimam ductus est et velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum" cfr. de fuga in persecut. C. 12; de patient. C. 3. et 9; de pudicit. C. 9. et 13. — de anim. C. 55: „(Christus) descendit in inferiora terrarum, ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret" cfr. C. 7. — 7) Clem. Alex. cohort. ad gent. C. 1: „Quid ergo instrumentum hoc Dominus noster Dei verbum —

corruptionem tollere, mortem vincere, filios denique immorigeros Patri reconciliare (διαλλαξαι πατρι)" cfr. C. 11; strom. lib. 7. C. 2. — strom. lib. 6. C. 6: „Revelata eis veritate ipsi quoque poenitentia ducti sunt propter ea, quae fecerant; quamobrem praedicavit Dominus iis quoque qui erant apud inferos (ὁ κυριος εὐηγγελισατο και τοις ἐν ᾀδου)." — 8) Orig. comment. in Joan. tom. 1: „Subjungit etiam (Joannes), quod sit (Jesus) reconciliatio (ἱλασμος) pro peccatis nostris, — adhaec praedicatus etiam a Paulo — sanctificatio — et redemtio (ἁγιασμος — και ἀπολυτρωσις) — quin etiam sacerdotem magnum (ἀρχιερεα μεγαν) eundem esse docet nos. — Ipsa sanctificatio — et redemtio Christus nobis factus est et unusquisque nostrum illa sanctificatione sanctificatur et illa redemtione redimitur (κατ' ἐκεινην ἀπολυτρωσιν ἀπολυτρουται) cfr. comment. in Matth. tom. 16. de fil. Zebed. C. 8; contr. Cels. lib. 1. n. 31; lib. 2. n. 43. — 9) Cyprian. epp. lib. 4. ep. 6: „Quam vero gravis causa sit hominis Christiani servum pati nolle, cum passus sit prior Dominus et pro peccatis nostris nos pati nolle, cum peccatum suum proprium ille non habens passus sit, ille pro nobis. Filius Dei passus est, ut nos filios Dei faceret et filius hominis pati non vult, ut esse Dei Filius perseveret" cfr. serm. 1. de eleemos. — 10) Arnob. adv. gent. lib. 2: „Unius pontificium Christi est, dare animis salutem et spiritum perpetuitatis apponere." — 11) Lactant. instit. div. lib. 4. C. 27: „Non amplius quam biduo apud inferos fuit (Christus)" cfr. C. 10; C. 12; C. 25. et 26. — 12) Euseb. demonstr. evang. lib. 10. C. 1: „Factus est pro nobis execratio (καταρα) ille agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, quem non agnoscentem peccatum Deus pro nobis peccatum fecit (ἁμαρτιαν ἐποιησε), dum illum pretium animatum ac vi-

vum pro nostris omnium animis (ὑπερ παντων ἡμων) tradit, ut nos efficiamur justitia Dei in ipso — condemnavit peccatum in carne — utpote qui pro nobis et mortem subierit, et verbera et probra et contumelias, quibus nos digni eramus, in se ipsum transtulerit et execratio (κατἀρα) pro nobis factus, execrationem, quae nobis debebatur, ad se ipsum attraxerit; quid enim aliud ille, quam pro animis nostris pretium (ἀντιψυχον)" cfr. lib. 2. C. 10. — 13) Hilar. de trinit. lib. 1: „Carnem peccati recepit (Jesus), ut in assumtione nostrae carnis delicta donaret, dum ejus fit particeps assumtione, non crimine, delens per mortem sententiam mortis, ut nova in se generis nostri creatione constitutionem decreti anterioris aboleret; crucifigi se permittens, ut maledicto crucis obliterata terrenae damnationis maledicta configeret omnia" cfr. lib. 10; enarr. in Ps. 53; in Ps. 67; in Ps. 118. lit. 20. — 14) Athan. de incarn. verb. Dei: „Periisset plane mortale genus, nisi omnium Dominus et salvator Dei Filius pertendisset ad extrema mortis (παρεγεγονει προς το του θανατου τελος). — Immolatione — sui corporis (τῃ του ἰδιου σωματος θυσιᾳ) et legi nobis infestae finem imposuit et primordium vitae nobis reparavit, spe resurrectionis nobis data; quandoquidem ex hominibus adversus homines vires suas collegerat mors; ideo rursus per hominis naturam a Verbo Dei susceptam mortis dissolutio facta est et vitae resurrectio (ὁ του θανατου καταλυσις γεγονε και ἡ της ζωης αναστασις)" — ibid: „Morte enim opus erat (θανατου γαρ ἡ χρεια) et mortem pro omnibus inferri necessum erat, ut quod ab omnibus debitum erat, lueretur" cfr. in pass. et cruc. Dom. — de incarn. Christi: „Hoc Christus incorruptibile expiatoriumque mortis ostendit, ut in terra potestatem dimittendi, et in sepulchro incorruptibilitatem

et in descensu inferorum solvendae mortis potestatem ostenderet et annuntiandi omnibus resurrectionem (ἐν (ἐπιβασει ᾁδου λυειν θανατον και εὐαγγελισασθαι πασι την ἀναστασιν)." — 15) Basil. in Ps. 48. n. 4: „Unum inventum est, pro omnibus simul hominibus sufficientissimum, quod in pretium redemtionis animae nostrae datum est, sanctus ille ac pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi (το ἁγιον και πολυτιμητον αἱμα του κυριου ἡμων Ἰησου Χριστου), quem pro nobis omnibus (ὑπερ ἡμων — παντων) effudit; quamobrem pretio etiam emti sumus; itaque si frater non redimit, redimet homo? Si vero redimere nos non potest homo, qui redemit nos, homo non est (ὁ λυτρωσαμενος ἡμας οὐκ ἀνθρωπος)" cfr. in Ps. 61. n. 3. — 16) Cyrill. Hieros. catech. 13. C. 33: „Assumsit Christus peccata in corpore super lignum, ut nos per mortem ejus peccatis mortui, justitiae viveremus. Non minimi pretii erat, qui pro nobis moriebatur non erat ovis sensibilis, non erat nudus homo, non erat, solummodo angelus, sed Deus inhumatus" — catech. 4. C. 11: „Descendit ad subterranea (κατελθεν εἰς τα καταχθονια), ut illinc justos redimeret." — 17) Greg. Naz. orat. 4. de Filio 1: „(Jesus) mundum redimit ac magno sane pretio, proprio nimirum sanguine" cfr. orat. 5. de Filio 2; orat. 24. in laud. Caesar.; — orat. 42. in Pasch. 2: „Si in infernum descendat (Christus), simul descende. Ea quoque mysteria agnosce, quae Christus illic designavit: quod duplicis descensus consilium, quae ratio fuerit: utrum omnes sine ulla exceptione adventu suo salvos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui crediderunt?" — 18) Greg. Nyss. orat. catech. C. 23: „Ea de causa eum mavult fieri pretium redemtionis (λυτρον) eorum, qui in carcere mortis erant inclusi" cfr. orat. 2. et orat. catech. C. 32; ad Theophil. episc. Alex. adv.

Apollin. — 19) Ambros. in Genes. enarr. 2: „Hic (Christus) quia non habuit peccatum, ut pro se offerret, pro universo mundo se obtulit et per sanguinem suum intravit in sancta" cfr. de Abel et Cain lib. 2. C. 3; de Joseph patriarch. C. 4; in Ps. 48; lib. 4. Luc. C. 7; de vocat. gent. lib. 2. C. 6; epp. lib. 9. ep. 77; de fug. saec. C. 7. — 20) Chrysost. hom. 4. ad Hebr. C. 2: „In epistola ad Romanos dicit: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, non pro fidelibus solum, sed pro universo orbe terrae; nam ipse quidem mortuus est pro omnibus" cfr. hom. 17. ad Hebr. C. 10; hom. 10. in ep. ad Rom. C. 5. — hom. 4. ad Hebr. C. 2: „Vidisti quemadmodum ei (Christo) omnia adaptaverit (Paulus)? Nam illud modico, cui magis, quam ipsi congruerit, qui tres dies solos fuerit apud inferos." — 21) Hieron. in Is. C. 53: „(Christus) oblatus est, quia ipse voluit; non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit." — 22) Epiphan. haer. 55: „(Christus) se ipsum obtulit, ut solveret sacrificium veteris testamenti, quum perfectius et vivens pro toto mundo obtulerit ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret" cfr. haer. 77. — haer. 69: „Volebat Deitas (Christi) omnia perficere, quae ad passionis mysterium pertinent et cum anima descendere ad inferna, ad operandum salutem eorum, qui illic praedormierunt, sanctorum patriarcharum." — 23) Augustin. in Evang. Joan. tract. 92: „Christi sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delère, quo fusus est" cfr. tract. 120; in 1 ep. Joan. tract. 1; en-

chir. ad Laurent. C. 48; de trin. lib. 13. C. 11. et 15; serm. de temp. 101. — 24) Cyrill. Alex. de rect. fid. ad Theodos.: „(Christus) nullo cogente a se ipso animam suam pro nobis posuit, ut et mortuis et viventibus dominaretur; carnem quidem suam in redemtionis pretium pro carne omnium impendens et animam suam similiter pro omnium anima redemtionis pretium constituit, quamvis iterum revixerit, vita secundum naturam existens, utpote Deus" cfr. ibidem al. loc.; de rect. fide ad reginas, quod Deus sit Christus; comment. in Joan. lib. 9. C. 47; contr. Julian. lib. 10; thesaur. lib. 4. C. 5.

Summa omnium horum locorum haec est:

a) Christus factus est reconciliatio pro peccatis nostris, redemtio et sanctificatio, Orig.; pretium redemtionis, Greg. Nyss. Cyrill. Alex.; pro animabus nostris Euseb.; execratio et peccatum, Euseb; hinc sacerdos magnus, Orig.;

b) mortuus est pro omnibus, Chrysost.; offerens se pro universo mundo, Ambros. Epiphan. Chrysost.; mundum redimens, Greg. Naz.; animam suam pro omnium anima ponens, Cyrill. Alex.; et sanguinem suum pro nobis omnibus effundens, Basil.; ergo sacrificium pro omnibus gentibus factus, Tertull.; pro omnibus quippe morte opus erat, Athan.;

c) in specie pro nobis mortuus, Iren. Euseb. Cyrill. Hieros.; animam suam pro nobis ponens, Cyrill. Alex.; pro nobis omnia passus, Polycarp. Justin. Cyprian.; et propter salutem nostram sanguinem effundens, Clem. Rom.;

d) voluntarie, non necessitate, crucem sustinuit, Hieros.; a se ipso animam ponens, Cyrill. Alex.;

e) effec-

e) effectus effusi sanguinis et mortis Jesu sunt: α) ut solvatur sacrificium V. T. Epiph.; β) ut damnatio obliteretur, Hilar.; et corruptio tollatur, Clem. Alex.; γ) ut mors vincatur, Ignat. Clem. Alex.; et dissolvatur, Athan.; sententia deleta, Hilar.; δ) ut anima quaevis redimatur, Iren. Orig. Basil.; poenitentiae gratia oblata, Clem. Rom.; ε) ut remissio peccatorum efficiatur, August.; ζ) ut Deo expiemur et reconciliemur, Justin. Iren. Clem. Alex.; ne mortale genus pereat, Athan; η) ut filii Dei fiamus, Cyprian; et justi coram eo, Euseb. Cyrill. Hieros.; ϑ) ut vivamus in ipso, Polycarp.; salute animis data, Arnob. Athan. Epiph.; et primordio vitae reparato Athan.;

f) Jesus post mortem descendit ad inferos, Greg. Naz.; in salutem ss. patriarcharum, Tertull. Epiph.; et justorum, Cyrill. Hieros.; praedicandi, Clem. Alex.; atque mortem solvendi et resurrectionem annuntiandi causa, Athan.; versatus ibi biduo, Lactant.; aut triduo, Chrysost.

b) Concilia 1) Nicaen. 1. in symb.: „Credimus — in Jesum Christum, — qui propter nos homines et propter nostram salutem (δι' ἡμας τους ἀνϑρωπους και δια την ἡμετεραν σωτηριαν) descendit — et homo factus"; conferatur symb. Athanas.: „Qui (Christus) passus est pro salute nostra (ὀς ἐπαϑε δια την ἡμετεραν σωτηριαν)" — 2) Lateran. 4: „Qui (Christus) cum secundum divinitatem sit immortalis, et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis, quin etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus." — 3) Trident. sess. 6. de justificat. C. 2: „Hunc (Christum Jesum) proposuit Deus

propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi" — Cap. 3: „Ille pro omnibus mortuus est. — Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii delectionis suae, in quo habemus redemtionem et remissionem peccatorum." — Cap. 7: „Qui (Christus) cum essemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit"; inde orta est doctrina de gratiarum thesauro.

Sectio VI.

Oeconomia salutis biblica

seu

doctrina de gratia et sacramentis.

Caput I.

Gratia.

§. 42.

Subsidium supernaturale supernum homini utile, immo necessarium esse, ipsa ratio concedit; nam

a) datur providentia in salute et moralitate hominis promovenda;

b) homo tanquam ens sensuale et rationale indiget subsidio supernaturali sublimiori ad permanendum in statu moralitatis; ipse Kantius, gratiarum effectus dari, fatetur; id quod s. scriptura melius et loculentius probat.

In *V. T.* conceptus gratiae non in eo, quo in N. T., sensu occurrit; nam vox hebraica חֵן designat

a) favorem, benevolentiam Gen. 6, 8; C. 18, 3; C. 19, 19; C. 30, 27; C. 32, 5; C. 39, 21; C. 47, 29; C. 50, 4; Ex. 3, 21; C. 11, 3; C. 12, 36; Tob. 1, 13; Esth. 2, 15. 17; Prov. 13, 15; Eccles. 4, 25; Dan. 1, 9;

b) amoenitatem, aliquid gaudio vel deliciis plenum Prov. 1, 9; C. 5, 19; C. 31, 30; Eccles. 10, 12; Eccles. 7, 21; C. 21, 19; C. 26, 19; C. 40, 22;

c) pretiositatem, decorem, donum gratis datum Esth. 15, 17; Ps. 44, 3; Prov. 3, 22; C. 16, 23; C. 17, 8; C. 22, 11;

d) beneficium cuidam praestitum Ps. 83, 12; Prov. 4, 9; Eccles. 7, 37; C. 29, 20;

e) praemium a Deo exspectandum Prov. 12, 2; 2 Macch. 12, 45;

f) mutuum officium, grates 2 Macch. 2, 28. etc.

Haec doctrina est et manet objectum revelationis et quidem

A) *N. T.*; hic designat vox: χαρις, gratia

a) favorem, benevolentiam Act. 2, 47; C. 24, 27; C. 25, 9;

b) amoenitatem, delicias, gaudium Luc. 4, 22; ad Eph. 4, 29;

c) praemium a Deo exspectandum 1 Petr. 2, 19;

d) mutuum officium, grates Luc. 6, 32, 33; 1 ad Cor. 10, 30; ad Col. 3, 16; ad Hebr. 12, 28;

e) donum gratis datum 1 ad Cor. 12, 4; ad Eph. 4, 7; 1 Petr. 4, 10;

f) donum supernaturale Deo gratum faciens Luc. 1, 28; C. 2, 40, 52; Joan. 1, 14. 16; ad Rom. 1, 7; 1 ad Cor. 16, 23; 2 ad Cor. 1, 12. 15; ad Gal. 5, 4; ad Hebr. 13, 9; Jac. 4, 6;

g) religionem christianam ad Rom. 6, 14. etc.;

h) subsidium supernaturale, supernum, per mortem Jesu procuratum, illuminans intellectum, movens voluntatem et trahens animum ad bonum, de quo hic sermo.

I) Subsidium supernaturale supernum, quod vocatur gratia, dari ad promovendam moralitatem et exercendam pietatem, testatur

1) effatum Jesu Joan. 15, 5: „Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere (ὅτι χωρις ἐμου οὐ δυνασθε ποιειν ὀὐδεν; in graeco quippe duae negationes magis duplicant et confirmant negatum)."

a) Jesus ait: χωρις ἐμου, id est, sine meo subsidio nihil (οὐ — ὀὐδεν) ad convertendos Judaeos et ethnicos facere potestis; negotium enim conversionis ejusmodi nationum sane est gravissimum et difficil-

limum, ad quod perficiendum non commune donum, sed subsidium quoddam supernaturale requiritur;

b) effatum Jesu est generale et nihil facere posse idem est, ac non solum exequi, sed et in — et suscipere nihil, quo universali significatu omnes bonae, Deo placentes, actiones absque immediato interventu Dei, omnis salutis et felicitatis nostrae fontis, excluduntur.

2) En effata Apostolorum, in specie s. Pauli;

a) 1 ad Cor. 1, 6. 7. 8: „Testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita, ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem, sine crimine (ὅς και βεβαιωσει ὑμας ἑως τελους ἀνεγκλητους, qui et confirmabit vos usque fines inculpatos), in die adventus (quae vox in text. gr. omittitur) Domini nostri Jesu Christi"; ut inculpatus quis et sine crimine servetur et confirmetur, requiritur certissime gratia Dei, quam hic s. Paulus Corinthiis exoptat et affirmat, existentia quippe subsidii supernaturalis nulli dubio subjacente;

b) ad Phil. 2, 12, 13: „Itaque charissimi mei — cum metu et tremore vestram salutem operamini; Deus est enim, qui operatur (ὁ ἐνεργων, efficiens) in vobis et velle et perficere (και το θελειν, και το ἐνεργειν) pro bona voluntate"; id est, omne bonum, quod agitis, quidquod ut agere velitis, operatur Deus in vobis et per vos; initium quippe boni operis et complementum ejusdem est liber gratiae divinae effectus; ergo etc. cfr. C. 1, 9. 11; ad Rom. 8, 29. 30; C. 9, 16, 18; C. 11, 5. 6. 32. 35;

c) 2 ad Thess. 2, 15. 16: „Ipse autem Dominus noster Jesus Christus et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia, exhortatur corda vestra, et confirmet

in omni opere et sermone bono (παρακαλεσαι ὑμων τας καρδιας και στηριξαι ὑμας ἐν παντι λογῳ και ἐργῳ ἀγαθῳ)"; confirmatio in omni opere et sermone bono, id est, agnitio veritatum religionis et exercitium earumdem usque ad mortem est extra vires humanas et nonnisi gratia succurrente et adjuvante possibile cfr. ad Col. 1, 9 — 13; 1 ad Thess. 5, 23 — 25;

d) ad Hebr. 13, 20. 21: „Deus autem pacis — aptet vos in omni bono (καταρτισαι ὑμας ἐν παντι ἐργῳ ἀγαθῳ, aptet vos in omni opere bono), ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram se (ποιων ἐν ὑμιν το εὐαρεστον ἐνωπιον αὐτου, faciens in vobis beneplacitum coram se) per Jesum Christum"; cfr. ad Eph. 2, 10; ad Phil. 4, 19; hic eadem ratio ut supra: ergo idem argumentum: consequenter datur gratia divina homini ad omne opus bonum perficiendum et exercendum et ad permanendum in statu morali necessaria;

e) 1 Petr. 5, 10: „Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque (text. gr. αὐτος καταρτισαι ὑμας, στηριξαι, σθενωσαι, θεμελιωσαι, ipse perficiat vos, confirmet, roboret, fundet)"; en pulchram gradationem, ex qua patet, dari subsidium supernaturale, gratiam scilicet, homini cum animi passionibus luctanti animum et vires suppeditantem ad perseverandum in bono, ne nutet Christianus, sed perduret usque in finem.

Ex his locis omnibus apparet:

α) hominis operationem, cum Deus operetur, omnino secludi;

β) hominem, creaturam Dei, ab ipso penitus dependere;

γ) ex essentia Dei jam sequi, eum semper operari debere, ut in naturae regno, sic et in regno morali;

δ) Deum solum operari haec omnia.

Variis omissis gratiae divisionibus has notare placebit:

a) gratia actualis, quae est operatio Dei transiens cum actu, quem operatur;

b) habitualis, quae est operatio Dei in homine permanens, etiam, dum cessat actio, ad quam inclinat;

c) interna, quae est donum in ipso homine receptum ad ipsius salutem atque animam immediate afficiens;

d) externa, quae est donum extra hominem positum eumque ad bonum diversimode provocans;

e) sanctificans, justificans, qua quis in statu justitiae, rectitudinis seu amicitiae cum Deo ponitur, qua malum et mali fons in nobis deletur et nos filii Dei reddimur; haec est

α) actualis, dum quis actu ipso per hanc gratiam in statu justitiae ponitur;

β) habitualis, dum quis per gratiam Dei in statu justitiae positus in hoc statu permanet.

II) Effectus gratiae sese exserit diversimode

1) respectu operis redemtionis et peccati originalis ad Rom. 5, 20. 21: „Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, ut, sicut regnavit peccatum in mortem: ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum."

2) respectu agnitionis et exercitii religionis christianae ad Eph. 1, 16. 17. 18: „Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus et quae divitiae

gloriae haereditatis ejus in sanctis"; cfr. Act. 20, 32; ad Col. 1, 9—11; inde dicitur Deus

a) aperuisse cor Act. 16, 14; oculos Act. 26, 18;

b) replere nos gaudio et pace in credendo ad Rom. 15, 13;

c) dare incrementum 1 ad Cor. 3, 7;

d) operante spiritu s. ad Eph. 3, 16;

3) respectu removendorum virtutis impedimentorum (quae in sensu s. scripturae defectus virium, imbecillitas naturalis Joan. 5, 44; C. 8, 43; 1 ad Cor. 2, 14; repugnantia naturalis ad Gal. 5, 17. aut natura in genere dicuntur), ex parte fidei et emendationis v. g. remotio ignorantiae ad Eph. 4, 18., errorum, excoecationis (τυφλωσις, 2 ad Cor. 4, 4; σκοτος, ad Eph. 4, 18.), affectionum et cupiditatum (το ἐπιθυμητικον, Joan. 3, 19); hinc

a) per gratiam libertas hominis nec limitatur nec tollitur, cum saepissime rectus libertatis usus in scriptura commendetur et inculcetur Joan. 6, 45; 1 ad Thess. 5, 21; Jac. 1, 21; 2 Petr. 2, 10;

b) gratia Dei virtuti hominis non nociva est, sed potius salutaris et proficua, Deo quippe cuivis bono operi favente; quidquod sit, ut damnum emergat, non est gratiae, sed hominis ea abutentis;

c) gratia si non ubivis parem sortitur effectum; non est gratiae, sed hominis ipsa se indignum reddentis opus; consilia enim Dei, gratiam suam in diversa mensura elargientis, penetrare nulli mortalium licet;

d) extra sphaeram humanam est, determinare, quid et quantum Deus, quid et quantum homo operetur, ubi vel quomodo Deus vel homo operari incipiat et desinat, an Deus solus agat aut homo aliquid conferat; id unicum certum est, hominem obligari, ut gratiae divinae cooperetur.

III) Gratia justificationis seu internae supernaturalis sanctificationis, vi cujus a Deo non solum justi constituimur, sed et revera sumus, per mortem Jesu procurata fuit; hinc ea peccatoris justificatio est liberum gratiae divinae donum;

1) ad Rom. 3, 23: „Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius (δικαιουμενοι δωρεαν τῃ αὐτου χαριτι) per redemtionem, quae est in Christo Jesu";

2) Et cap. 5, 9: „Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc justificati (δικαιωθεντες) in sanguine ipsius, salvi erimus (σωθησομεθα, salvabimur) ab ira per ipsum";

a) cum antecedat: omnes peccaverunt; per se patet, quid sub voce: justificati δικαιουμενοι, δικαιωθεντες sit intelligendum cfr. ad Rom. 5, 19: „Per unius obeditionem justi constituentur (δικαιοι κατασταθησονται) multi";

b) morti Jesu haec justificatio = sanctificatio tribuitur;

c) justificari in s. scriptura idem est ac filium Dei esse Matth. 5, 9. 45; Joan. 1, 12; ad Rom. 8, 16. 17; ad Gal. 3, 26; ad Col. 1, 13. 14.

3) 1 ad Cor. 6, 11: „Et haec (scil. impii homines) quidam fuistis; sed abluti estis (ἀπελουσασθε), sed sanctificati estis (ἡγιασθητε), sed justificati estis (ἐδικαιωσθητε) in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri";

a) ablui = liberari a peccatis, a sceleribus Matth. 1, 21; sanctificari = ad virtutem, et quod sequitur, ad servitium Dei initiari; justificari = liberari a quavis peccati poena, praecipue pro vita futura et favoris et amicitiae Dei participem esse;

b) omnia haec fiunt in nomine Domini, id est, per confessionem fidei Jesum pro nobis mortuum esse,

et in Spiritu Dei, id est, per sensa Deo bene placita ad Rom. 8, 11. 14; hinc

1) natura justificationis in eo consistit: peccato perpetrato oritur corruptio indolis moralis et Dei displicentia, et quod exinde sequitur, homo fit poenarum reus; e contra in vita emendanda et moralitate rursus exercenda (accedente peccatorum confessione) Deus remittit poenas vi mortis et meritorum Jesu sicque fit homo denuo renovatus, regeneratus, sanctificatus et capax, se sanctificandi; inde regeneratio et renovatio spiritus ad Eph. 4, 23; ad Tit. 3, 5; justificatio est actus divinus, per quem Deus nos culpam peccati Adae in nobis portantes justos constituit, filii sui imaginem in nobis renovat, formam humanitatis divinam, id est, originariam justitiam et sanctitatem, in qua nos creavit, restituit novumque animum donis fidei, spei et charitatis coelestibus exornatum in nobis creat ad Eph. 2, 1—10; C. 3, 14—17; ergo donum internum et inhaerens, dicente concilio Tridentino; consequenter

a) non est mera peccati poenarum abolitio; nam si Deus a peccatore poenam meritam removeat, ei quidquam inesse debet, vi cujus in eo statu versatur, ut poenae remissione dignus fiat;

b) non est sola declaratio, peccatorem esse justum, uti v. g. in reo coram judicio; nam Deus renes et corda scrutans hominem talem, qualis revera existit, agnoscere debet;

c) non est imputatio sanctitatis et justitiae Jesu Christi; is enim utique est causa, cur justificetur homo, sed non ipsa realis justificatio respectu hominis.

2) Causa justificationis est partim Dei, partim hominis opus.

3) Dispositio ad justificationem fit per fidem et opera, non per fidem solam ad Rom. 2, 13: „Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (i. e. Dei benevolentia fruuntur cfr. C. 6, 12—23.)"; ad Gal. 5, 6: „In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per claritatem operatur" cfr. v. 22. et ad 1 Cor. 7, 19; Jac. 2, 14: „Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit (μη δυναται, non potest) fides salvare eum?" et v. 24: „Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum (μονον)" cfr. 1 ad Cor. 13, 1. 2. 3; 2 ad Thess. 1, 3. 4.

S. Paulus etsi in pluribus locis v. g. ad Rom. 3, 22; C. 5, 1; ad Gal. 3, 11. 21—26. fidem solam nominat et ad implendam urget; per eandem tamen opera non excluduntur, sed potius lex universa implenda intelligitur et si opera excluduntur, id de operibus mosaicis intelligitur.

4) Gradus justificationis dantur diversa, cum gratia non sit eadem Apoc. 22, 11: „Qui justus est, justificetur (δικαιοσυνην ποιησατο justitiam faciat) adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc" cfr. ad Phil. 1, 9.

Ad consequendam justificationis gratiam requiritur,

a) ut homo credat, Deo displicere peccata eaque ab illo puniri;

b) ut agnoscat, se male egisse, et sic Jesu Christi meritis confisus peccati remissionem speret;

c) ut malum, quod peregerit, Deo displicens abominetur;

d) ut sequelas hujus mali in et extra se delere allaboret;

e) ut novum induat hominem, qui secundum Dei voluntatem versetur;

f) ut sanctificationis remediis a Jesu Christo institutis bene utatur ad Eph. 4, 22—31.

5) Nemo de justificatione physice certus esse potest, cum justificatio apud Deum non est actus forensis, sed actio interna per gratiam Dei producta; moralis tantummodo adest certitudo de ejus existentia et ipsa potest amitti et restitui nec in omnibus aequalis et eadem.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 1. (al. 2.): „Ut ab initio existeremus, non nostrum id fuit (*το μεν την αρχην γενεσθαι, ουκ ημετερον ην*); ut autem ea sequamur, quae grata ipsa sunt, adhibitis ad eligendum rationabilibus facultatibus, ab eo donatis, id ipse nobis persuadet et ad fidem nos perducit (*πειθει τε και εἰς πιστιν αγει ἡμας*).“ — 2) Theophil. ad Autol. lib. 1: „Si vis, potes sanari: da te medico, et punget (*παρακεντησει*) oculos mentis et cordis tui. Quis est hic medicus? Deus, qui per verbum et sapientiam sanat et vivificat (*ὁ θεραπευων και ζωοποιων*).“ — 3) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 76: „Si tradideris ei, quod tuum est, id est, fidem in eum et subjectionem, percipe ejus artem et eris perfectum opus Dei.“ — 4) Tertull. de anima C. 21: „Haec (scil. formatio filiorum Abrahae) erit vis divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod *αὐτεξουσιον* dicitur.“ — 5) Clem. Alex. strom. lib. 5. C. 1: „Gratia (*χαριτι*) servamur, sed non absque bonis operibus (*ουκ ανευ μεν τι των καλων ἐργων*), sed oportet quidem, cum natura apti simus ad bonum, ad id aliquod habere studium: oportet autem mentem quoque habere sanam et quae nulla retardetur poenitentia a pulchri venatione, ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia (*της θειας — χαριτος*), rectaque doctrina, casta-

que et munda affectione et patris ad ipsum attractione (ὁλκης)" cfr. lib. 4. C. 22; lib. 7. C. 7; quis dives salvetur C. 21. — 6) Orig. select. in Job. C. 22: „Et illud gratia divina (κατα την θειαν — χαριν) fit, ut intelligamus et ad divinarum doctrinarum receptionem corda aperiamus" cfr. select. in Psalmos ex tom. in Ps. 4; contr. Cels. lib. 3. n. 60; de princip. lib. 1. C. 8. n. 3. — 7) Cyprian. serm. de orat. dom.: „Oramus et petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quae, ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus et profectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est" cfr. epp. lib. 2. ep. 2. — 8) Hilar. tract. in Ps. 118. lit. 1: „Adjuvandi igitur per gratiam ejus dirigendique sumus, ut praeceptarum ordinem justificationum consequamur" cfr. lit. 14. — 9) Athan. contr. Arian. orat. 3: „Nulla omnino creaturae a creatura opitulatio inferri poterit, eo quod omnes indigent gratia Dei (δια το παντας δεισθαι της παρα Θεου χαριτος)." — 10) Basil. hom. in Ps. 33. n. 2: „Neque in potentia hominis neque in sapientia, sed in Dei gratia (ἐν τῃ χαριτι του Θεου) salus est" cfr. hom. in Ps. 32. n. 9; in Ps. 45. n. 1; comment. in Is. C. 6. n. 184; ep. 38. (al. 43.) ad Gregor. cfr. C. 4; ep. 203. (al. 77.) ad marit. episcop. n. 1. — 11) Cyrill. Hieros. catech. 4. C. 1: „Opus igitur nobis est gratia divina (χρεια τοινυν θειας ἡμιν χαριτος) vigili cogitatione et acutum videntibus oculis, ne — ex ignorantia vitium incurramus" cfr. procatech. n. 17; catech. 1. C. 3; C. 4; catech. 16. C. 19; C. 22. — 12) Greg. Naz. orat. 36: „His verbis (ad Rom. 9, 16.) eos (scil. superbos homines) docet Paulus, quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat, immo ut rectius loquar, propositum quoque ipsum et electio eorum, quae recta et eum officio conjuncta sunt; divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans" cfr. orat. 44. in Pentec.; in dict. Evang. Marc. 10, 40. — 13) Greg. Nyss. de scopo christian.: „Hinc edocemur,

non esse in mentem inducendum, in humano studio totam sitam esse coronam: verum ad Dei voluntatem referendam esse spem de fine obtinendo: porro Dei voluntas est, ut anima per gratiam purgetur (το καθαραι δια της χαριτος την ψυχην) et pura ac munda Deo offeratur; nam Dominus ejusmodi beatos praedicat, cum ait: beati mundi corde, quia ipsi Deum videbunt" cfr. in verba: faciamus hominem orat. 1; orat. catech. C. 30. et 31. — 14) Ambros. de vocat. gent. lib. 2. C. 2: „Reparabilem et sanabilem esse, de natura est; reparatum autem et sanatum esse, de gratia est" cfr. C. 3; C. 9; comment. in Luc. lib. 2. C. 3; de fuga saec. C. 1. — 15) Chrysost. hom. 12. in ep. ad Hebr.: „Nostrum quidem est, praeeligere et velle; Dei autem est, perficere et ad finem deducere" cfr. in Genes. hom. 22; in Ps. 58; hom. 24. in C. 7. Matth.; in Joan. hom. 9. in C. 1; hom. 16. in ep. ad Rom. C. 9; hom. 8. ad Phil. C. 2; in paralyt. demiss. per tect. serm. 65. — 16) Hieron. ad Eph. C. 2: „Addidit et dixit (Apostolus), fidem quoque ipsam non nostrae voluntatis esse, sed Dei muneris" cfr. adv. Pelag. ad Ctesiph. C. 3; ad Demetriad. ep. 8; in Eccl. C. 9; in Isai. C. 3. et 65; in Jerem. C. 20. et 26; in Ezech. C. 16. — 17) Augustin. ep. 104. ad Sixt.: „Quapropter ne se vel ipsius orationis meritum extollat; etiamsi — ad vincendas temporalium rerum cupiditates et diligenda bona aeterna atque ipsum fontem omnium bonorum Deum, adjutorium datur oranti; fides orat, quae data est non oranti, quae utique, nisi data esset, orare non posset" cfr. ep. 188. (al. 149.); enchir. ad Laurent. C. 31. et 32; de grat. Christ. C. 23. et 24; de corrupt. et grat. C. 6; de spir. et lit. C. 30. et 34; de fid. et operibus C. 15; contr. duas epist. Pelag. lib. 1. C. 3; lib. 4. C. 5; opus imperf. contr. Julian. lib. 1. C. 94; lib. 4. C. 126; contr. Julian. lib. 5. C. 6; de grat. et lib. arbitr. C. 6. — 18) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 11. C. 21: „Divina gratia, quae difficilia facilia facit

et

et arduam justitiae viam planam nobis reddit, necessario indigemus; nostra enim vis, nisi divinitus sustentetur, nulla penitus est" cfr. thes. lib. 3. C. 1. — 19) Theodoret. in ep. ad Rom. C. 3: „Paucis omnes reos esse ostendit (Paulus) et gratia egere."

Summa omnium locorum istorum haec est:

a) Omnes homines gratia divina indigent, Clem. Alex. Cyprian. Athan. Cyrill. Alex. Theodoret.; hinc Dei gratia est

b) existentia hominis, Justin.;

c) fides, Justin. Hieron.; quidquod oratio ad eam impetrandam, Augustin.; et doctrinarum divinarum, Orig.; et in filios Abrahae receptio, Tertull.;

d) animae purgatio, Greg. Nyss.; ac reparatio et sanatio, Ambros.;

e) vitiorum evitatio, Cyrill. Hieros.;

f) voluntas et electio boni, Greg. Naz.; et mentis ac cordis directio ad bonum, Theophil.;

g) justificatio, Hilar.; et perfectio hominis, Iren.;

h) perseverantia in bono usque ad finem, Chrysost.;

i) salus hominis, Basil.;

k) insuper requiritur, ut bona opera cum gratia conjungantur, Clem. Alex.

b) Concilia 1) Carthagin. anno 398. Can. 80: „Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod per liberum arbitrium facere jubemur, facilius possimus implere, per gratiam tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine ulla implere divina mandata; anathema sit" cfr. C. 78, 79. — 2) Arausican. 2. anno 441. Can. 5: „Siquis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis adfectum — non per gratiae donum — sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur"; et Can. 9: „Divini est muneris, cum et recte cogitamus et pedes nostros a falsitate et

injustitia tenemus, quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operetur, operatur" cfr. Can. 7. et 10. — 3) Tridentin. sess. 6. de justific. C. 4. definit: „(Justificatio) est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum" et C. 5. ait: „Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse — ut — per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se — disponantur, ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, — neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit." — In Cap. 7. magis explicatur, quid sit justificatio impii et quae ejus causae; in C. 13. de perseverantiae dono agitur, queis omnibus tractatis sequuntur Canones 33., quos hic recitare extra sphaeram voluminis esse puto.

CAPUT II.

Sacramenta in genere.

§. 43.

A) *N. T.* Vox latina: sacramentum, idem significat ac vox graeca: *μυστήριον*, videlicet: quodvis sanctum et inviolabile: en Matth. 13, 11; 1 ad Cor. 4, 1; C. 13, 2; ad Eph. 1, 9; C. 5, 32; 1 ad Tim. 3, 16.

1) Ad conceptum quod attinet; secundum doctrinam N. T. sacramentum est symbolum seu actio externa, et visibilis, a Jesu Christo ipso immediate vel mediate instituta, qua homini gratia Dei et sanctificatio interna confertur.

2) Essentiam seu requisita sacramenti constituunt, a) institutio a Jesu immediate vel mediate facta, b) actio externa seu materia et forma, c) collatio gratiae.

3) Effectus sacramenti fit ex opere operato, id est, effectus non activitate accipientis aut dispensantis, sive ex opere operantis, sed unice ex virtute ipsius actionis sacramentalis intrinseca producitur, dummodo ex parte accipientis nullum obstet impedimentum v. g. in baptismo parvulorum; nam Act. 22, 16. ablutioni soli venia peccatorum adscribitur: „Exurge et baptizare et ablue peccata tua invocato nomine ipsius (text. gr. του κυριου, Domini)“ cfr. Joan. 3, 5; C. 6, 55; C. 20, 22. 23; Act. 8, 17; ad Tit. 3, 5; ratio principalis continetur in loco 1 ad Cor. 4, 1: „Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei“; ex quo patet, sacerdotes esse tantum dispensatores, non gratiarum collatores. Hic effectus respectu finis varius ac diversus est; nam

a) quaedam sacramenta immutant hominem, ita, ut ex peccatore et injusto fiat sanctus et justus, peccatis mundatus v. g. baptismus, ad Rom. 6, 4; 1 Petr. 3, 21; et poenitentia Matth. 4, 17;

b) alia sacramenta immutatum jam hominem perfectum reddunt, ita, ut cum sit justus et sanctus, justior fiat et sanctior: aut, quod idem est, gratia Dei sic augetur, ut in virtute permaneat et perpetuo fiat virtute praestantior v. g. confirmatio, eucharistia, unctio, ordo, matrimonium;

c) rursus alia v. g. baptismus, confirmatio, ordo indelibilem conferunt characterem, qui est signum, vi cujus jam intus ab aliis distinguimur, ita, ut reiterari tale sacramentum non possit.

4) Minister vel dispensans similiter occurrit, in quo ad valorem sacramenti non requiritur fides ejus; nam v. g. baptismus ab haeretico collatus est validus; non probitas, cum non virtute propria, sed in nomine Christi sacramentum confertur, atque Christus et est et permanet causa principalis; sed requiritur intentio saltem

faciendi id, quod facit ecclesia; ergo actio ejusmodi, ubi deest probitas ex parte dispensantis, est utique vitio extrinseco mala, at non vitio intrinseco.

5) Subjectum vel accipiens adest, in quo requiritur vera et interna intentio, sive consensus in eum, quem percipit, ecclesiae ritum; et occurrit divisio in sacramenta (scil. moraliter) mortuorum v. g. baptismus et poenitentia, et in sacramenta (scil. non solum physice, sed potius moraliter) vivorum; vide supra.

6) Ad numerum sacramentorum quod attinet, in omnibus compendiis dogmaticis iisque catholicis ecclesiae tum orientalis tum occidentalis, septem esse sacramenta, quae hominem in hunc mundum intrantem usque ad exitum ex hac vita comitantur, affirmatur et demonstratur.

B) *Traditio* a) ss. patres respectu effectus ex opere operato sic loquuntur 1) Basil. de spir. s. C. 15. n. 35: Siqua est gratia in aqua: non ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia *εἰ τις ἐστιν ἐν τῳ ὑδατι χαρις, οὐκ ἐκ της φυσεως, ἐστι του ὑδατος, ἀλλ' ἐκ της του πνευματος παρουσιας*)." — 2) Ambros. de sacrament. lib. 4. C. 4: „Ergo auctor sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus? De coelo ista sacramenta venerunt" cfr. epist. lib. 4. ep. 33. — 3) Augustin. ep. 5. ad Marcellin.: „Nimis autem longum est convenienter disputare de varietate signorum, quae cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur." — 4) Cyrill. Alex. contr. Julian. lib. 7: „Neque — usque ad sensibiles et visibiles res tantum Christi sacramentum pertingit; subtilis et valde profundus de hoc sermo est et errantium cogitationibus non comprehensibilis."

b) Concil. Trident. sess. 7. de sacram. ait et definit 1) quoad effectum Can. 6, 8. et 9: „Siquis dixerit, sacramenta — non continere gratiam; — siquis dixerit,

per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferre gratiam; — siquis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non inprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelibile, unde ea iterari non possunt; anathema sit." — 2) Quoad ministrum Can. 11, et 12: „Siquis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia: — siquis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia, essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum; anathema sit." — 3) Quoad numerum Can. 1: „Siquis dixerit, sacramenta — aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum; anathema sit."

Caput III.

I. Baptismus.

§. 44.

In *V. T.* variae mundationes per aquas sive lustrationes, cultus divini functioni adhibendae, dispositae fuerant;

a) sic ante publicationem legis divinae populus lavari et sanctificari jussus fuit Exod. 19, 10. 14. 15: „Qui dixit ei (text. hebr. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־מֹשֶׁה, et dixit Dominus ad Moscheh): vade ad populum et sanctifica illos (וְקִדַּשְׁתָּם et sanctificabis eos: 70 legunt: *και ἁγνισον αὐτους*, ubi *ἁγνιζειν* idem est ac mundare per piacula) hodie et cras, laventque vestimenta sua. — Descenditque Moyses de monte ad populum et sanctificavit eum (text. hebr. אֶת־הָעָם, populum). Cum-

que lavissent (text. hebr. וַיְכַבְּסוּ et laverunt) vestimenta sua, ait ad eos: estote parati in diem tertium"; attamen vox hebraica: קַדֵּשׁ in Piel non solum actum externum, sed et munditiem internam significat cfr. Is. 1, 15. 16; Zach. 13, 1. S. Paulus Israelitas jam sub nube baptizatos fuisse, asserit 1 ad Cor. 10, 1. 2. coll. Exod. 13, 21.

b) Sacerdotibus ac Levitis ablutiones religiosae legitime praescriptae fuerunt Exod. 29, 4: „Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii, cumque laveris patrem cum filiis suis aqua (text. hebr. וְרָחַצְתָּ אֹתָם בַּמָּיִם, et lavabis eos in aquis)" cfr. C. 30, 17—22; Lev. 8, 6: „Statimque obtulit (Moyses, quod addit text. hebr.) Aaron et filios ejus, cumque lavisset eos (text. hebr. וַיִּרְחַץ אֹתָם בַּמָּיִם et lavit eos in aquis)." — Num. 8, 21: „Purificatique sunt (Levitae, quod addit text. hebr.) et laverunt vestimenta sua."

c) Aliae ablutiones magis objectum disciplinae publicae medicinalis, quam cultus fuere cfr. Lev. 15. Num. 19.

d) Huc tanquam praefiguratio baptismi (licet in masculis tantum filiis) refertur circumcisio a Deo Abrahamo ejusque posteris praecepta Gen. 17, 10. 11: „Hoc est pactum meum (בְּרִיתִי), quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum (text. hebr. הִמּוֹל לָכֶם כָּל־זָכָר, circumcidi [id est, ut circumcidatur] vobis omne masculum): et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos" cfr. ad Rom. 4, 11; inde

α) circumcisio in oeconomia mosaica in signum pacti cum Deo initi et custodiendi legitime praescripta fuit: hac enim suscepta masculus in communionem hebraicam receptus ad legem mosaicam tenebatur

Lev. 12, 3; Deut. 10, 16; C. 30, 6; Jos. 5, 2. 3; Jer. 4, 4. (cfr. Luc. 2, 21; Joan. 7, 22; Act. 16, 3.);

β) haec circumcisio quoddamodo cum baptismo in N. T. conferri potest ad Col. 2, 11;

γ) ita tamen, ut differentia inter circumcisionem et baptismum permagnum sit 1 ad Cor. 7, 18. 19; ad Gal. 6, 15;

δ) Sic et ss. patres Justin. dial. c. Tryph. — Iren. adv. haer. lib. 4. C. 30. — Tertull. lib. adv. Jud. C. 3. — Athan. orat. in illud: omnia mihi etc. — Epiphan. haer. 28. — Chrysost. in Gen. hom. 27. et 39. — Cyrill. Alex. lib. 7. adv. Julian. circumcisionem tanquam imaginem et symbolum baptismi per Moysen praefigurati interpretantur.

§. 45.

I. Baptismus Joannis.

A) *N. T.* 1) Actus baptismi Joannis nil aliud fuit, quam praeparatio ad baptismum Christi Marc. 1, 4. 5: „Fuit Joannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judaeae regio, Jerosolymitae universi et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua" cfr. Matth. 3, 1. 5. 6. et Luc. 3, 3. — Luc. 7, 29: „Et omnis populus audiens et publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis (βαπτισθεντες το βαπτισμα του Ἰωαννου)." — Joan. 1, 28: „Haec in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans (βαπτιζων)" cfr. C. 3, 23; inde nomen ejus Baptista, ὁ βαπτιστης Matth. 3, 1. et Act. 19, 3.

2) Essentia baptismi Joannis erat immersio, verbis adjectis: in eum, qui venturus est Act. 19, 4: „Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens (text. gr. τῳ λαῳ λεγων, populo dicens):

in eum, qui venturus esset post ipsum (εἰς τον ἐρχομενον μετ' αὐτον), ut crederent, id est, in Jesum (text. gr. εἰς τον Χριστον Ἰησουν)" cfr. Joan. 1, 25—28. et 33; C. 3, 26.

3) Origo Joannis baptismi ex verbis ejus patet Joan. 1, 33: „Qui (scil. Deus) misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit"; ergo Joannes a Deo missus fuit C. 1, 6. et ad illum verbum Dei factum est Luc. 3, 2., ex quo potestas, ritum hunc instituendi deduci potest; nam

a) immersio a Joanne facta verbis adjectis: in eum, qui venturus est, singulare quid indicavit, eo quod

b) confluxus Judaeorum ex omni regione ritus recenter instituti testimonium fuit;

c) inde venit objectio Judaeorum Joan. 1, 25: „Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta", opinantium, solum illum, qui vel propheta vel Messias ipse esset, hunc ritum exercere et posse et debere;

d) baptismus Joannis longe alius fuit ac baptismus proselytarum sic dictus, cujus origo adhuc in incerto est.

4) Praeparatio et obligatio ad baptismum Joannis fiebat per poenitentiam et hac peracta per vitam moralem, hinc Matth. 5, 8. provocatio ad Pharisaeos et Sadducaeos facta: „Facile ergo fructum dignum poenitentiae"; hinc doctrinae ejus ad hunc finem relatae Luc. 3, 11. 13. 14; ex quo patet, baptismum Joannis adultis tantum applicari potuisse.

5) Effectus et finis hujus baptismi fuit

a) baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum, βαπτισμα μετανοιας εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων, statu quippe peccati praesupposito et effectu quovis alio interno secluso Matth. 3, 11: „Ego — baptizo vos in aqua in poenitentiam (εἰς μετανοιαν)" cfr. Marc. 1, 8;

Luc. 3, 16; Joan. 1, 26. — Act. 13, 24: „Praedicante Joanne ante faciem adventus ejus (scil. Jesu) baptismum poenitentiae omni populo Israel;"

b) baptismus Christi ejusque effectus a Joanne ipso baptismo suo longe praefertur Matth. 3, 11: „Qui — post me venturus est, fortior (ἰσχυροτερος) me est; — ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (ἐν πνευματι ἁγιῳ και πυρι)" cfr. Joan. 1, 30; Act. 1, 5; C. 11, 16; inde a Joanne baptismo initiati sunt rebaptizati Act. 19, 5;

c) baptismus Joannis fiebat in Messiam, ut hic innotesceret Judaeis Joan. 1, 31: „Ut manifestetur (ἱνα φανερωϑη Ἰησους) in Israel; propterea (δια τουτο) veni ego in aqua baptizans."

6) Ratio Joannis baptismi ad Jesu baptismum in eo consistit, ut uterque α) sit originis divinae Matth. 21, 25—28; Marc. 11, 30. etc.; Luc. 20, 4. 9; β) fiat per immersionem; γ) cum poenitentia (μετανοια), quae est conditio ad accipiendum, et cum vita sancta posthac gerenda; attamen magnum inter baptismum Joannis et inter baptismum Jesu discrimen est: nam

a) in utroque diversae adhibentur formulae verbis expressae;

b) ille provocavit ad mundationem internam; hic eam efficit;

c) ille fuit praeparatio ad Christi baptismum vere virtualem et efficaciorem, quo applicato prior cessare per se debuit;

d) ille tangebat modo adultos; hic adultos et parvulos;

e) ille hypothetice, hic absolute necessarius, sine quo nemo vitam consequi potest aeternam.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. de bapt. C. 10: „Quod si poenitentia humanum est, et baptismus ipsius (Joannis) ejusdem conditionis fuerit, necesse est; aut

daret Spiritum s. et remissionem delictorum, si coelestis fuisset; sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus." — 2) Orig. in Joan. tom. 8; „Et hoc insuper notandum, quod Joannis baptismus Jesu baptismo — inferior erat (ὑποδεέστερον ἐτύγχανε). Qui ergo in actis baptizati erant in Joannis baptismo, — denuo ab Apostolo baptizantur, quia regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat." — 3) Basil. de spir. s. C. 15. n. 36: „Joannes quidem baptizavit in aqua ad poenitentiam (ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν); Dominus autem noster Jesus Christus in Spiritu sancto (ἐν τῷ πνεύματι ἁγίῳ)" cfr. de bapt. lib. 1. C. 2. n. 5; hom. 13. exhort. ad bapt. C. 1. — 4) Cyrill. Hieros. catech. 20. mystag. 2. C. 6: „Joannis baptisma solam peccatorum remissionem conferebat" cfr. catech. 17. C. 8. — 5) Greg. Naz. orat. 39. in s. lumina: „Baptizavit etiam Joannes — (non enim in aqua solum, sed etiam ad poenitentiam), nondum tamen prorsus spiritualiter; nec enim addidit: in Spiritu. Baptizat quoque Jesus, sed in Spiritu." — 6) Ambros. serm. 8: „Quis ad Joannis poenitentiae baptismum veniat, cum possit salvatoris baptismo salvari?" — 7) Chrysost. in Matth. hom. 12: „S. Spiritus gratia in Christi baptismate est, Joannis vero baptisma hac donatione privatur" cfr. hom. 10. — 8) Hieron. ad Ocean. epist. 83. C. 3: „Qui Joannis acceperant baptisma, quia Spiritum s. nesciebant, iterum baptizantur, nequis putaret, gentibus ac Judaeis aquas sine Spiritu ad salutem posse sufficere" cfr. in Joel C. 2; contr. Luciferian. C. 3. — 9) August. enchir. ad Laurent. C. 49: „Non renascebantur, qui baptismate Joannis baptizabantur, a quo et ipse (Christus) baptizatus est, sed quodam praecursorio illius ministerio, qui dicebat: parate viam Domini: huic uni, in quo solo renasci poterat, parabantur." — 10) Cyrill. Alex. in Joan. lib. 2. C. 57: „Baptismus Joannis ad baptismum Christi collatus praeparationis vim obtinebat."

Summa horum locorum est:

a) Joannis baptismus erat praeparatorius, Cyrill. Alex.;

b) in remissionem peccatorum collatus, Basil. Cyrill. Hieros. Greg. Naz.;

c) nec erat regeneratio, Orig. August.; nec peccata dimisit nec Spiritum s. largitus, Tertull.; indeque non vis salvifica, Ambros.;

d) baptizati in Joannis baptismate rebaptizati sunt, Orig. Hieron. Augustin.; ergo

e) baptismus Joannis inferior baptismo Jesu, Orig.;

b) Concil. Trident. definit. sess. 7. de baptismo, Can. 1: „Siquis dixerit, baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit."

§. 46.

II. Baptismus Christi.

Baptismus Christi est sacramentum N. T., primum et maxime necessarium, quo homo externe juxta praescriptum Jesu aqua ablutus a peccato mundatur et ecclesiae christianae associatur, vel quo per ablutionem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti factam gratia sanctificans confertur.

I. Institutio baptismi.

Institutio baptismi est a Jesu immediate facta, dicente ante ascensionem in coelum discipulis suis Matth. 28, 19: „Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes (βαπτίζοντες) eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti"; ergo baptismus in Christum ad Gal. 3, 27. est ritus ab ipso pro oeconomia christiana institutus, quem Apostoli imitati publice dispensarunt Joan. 3, 22. 26: Venit Jesus et discipuli ejus in terram Judaeam — et baptizabat (ἐβάπτιζε). — Et venerunt ad Joannem et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum, trans Jordanem,

cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat (οὗτος βαπτίζει).“ — Hic locus cum alio conferendus C. 4, 1. 2: „Audierunt Pharisaei, quod Jesus plures discipulos facit et baptizat (βαπτίζει), quam Joannes (quanquam Jesus [text. gr. addit: αὐτος, ipse] non baptizaret, sed discipuli ejus).“ Provocante s. Petro, ut unusquisque auditorum suorum baptizetur in nomine Jesu legitur Act. 2, 41: „Qui ergo (text. gr. addit: ἀσμενως, libenter) receperunt sermonem ejus, baptizati sunt ἐβαπτισθησαν).“ — C. 8, 12. dicitur: „Baptizabantur (ἐβαπτιζοντο) viri ac mulieres“; v. 13: „Philippus baptizat Simonem; v. 38. eunuchum, potentem Candacis reginae Aethiopum. — Ananias baptizat Saulum C. 9, 18. coll. C. 22, 16. — Petrus baptizari jubet Cornelium et auditores C. 10, 47. 48: — Lydia purpuria cum domo sua baptizatur C. 16, 15. et v. 33. carceris custos cum domo sua tota; Crispus cum omni domo sua et multis Corinthiis praesentibus C. 18, 8. — Discipuli Joannis rebaptizantur C. 19, 5; a Paulo praeter Crispum Cajus baptizatur 1 ad Cor. 1, 14., uti et Stephanae domus v. 16; ergo βαπτιζεσθαι εἰς τινα, εἰς ὀνομα τινος, ἐπι τῳ ὀνοματι τινος, ἐν τῷ ὀνοματι τινος in significatu non est diversum, sed unum idemque ab una eademque re usurpatum, quod et ss. patres effantur; inde s. Paulus baptismum inter doctrinas religionis elementares refert ad Hebr. 6, 2. coll. ad Eph. 4, 5.

§. 47.

II. Essentia baptismi.

A) *N. T.* Ad essentiam baptismi requiritur

1) aqua et quidem naturalis Matth. 3, 6: „Baptizabantur ab eo in Jordane (ἐν τῳ Ἰορδανῃ).“ — Joan. 3, 5: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua (ἐξ ὑδατος)“ — v. 23: „Aquae multae (ὑδατα πολλα) erant illinc et veniebant et baptizabantur“ — Act. 8, 36: „Ecce aqua (ἰδου ὑδωρ), quid prohibet me baptizari“ cfr. v. 37—40;

C. 10, 47: „Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur."

2) Immersio in aquam, vi vocis: βαπτιζειν, quod significat immergere, intingere, lavare, abluere aqua, purgare per aquam Marc. 7, 4; Luc. 11, 38. (sensus vocis hujus metaphoricus Marc. 10, 38. 39. et Luc. 12, 50. huc non pertinet). — Matth. 3, 16: „Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua (ἀνεβη — ἀπο του ὑδατος)" cfr. Marc. 1, 10; Act. 8, 38. 39: „Uterque Philippus et eunuchus descenderunt in aquam — et ascenderunt de aqua"; hinc baptismus vocatur

α) sepulchrum ad Rom. 6, 4; ad Col. 2, 12;

β) lavacrum aquae, λουτρον του ὑδατος ad Eph. 5, 26;

γ) exemplar correspondens (ἀντιτυπον) diluvii 1 Petr. 3, 21.

An immersio unica vel trina fiat; s. scriptura nil definit.

3) Quum essentia baptismi in usu aquae, non in modo, quo adhibeatur, consistat; cumque immersio personis nonnullis v. g. captivis, aegrotis nullo modo applicari possit; congruentius et rectius concludi potest, baptismum alio aquam adhibendi modo collatum fuisse, scil. per affusionem vel aspersionem; nam

a) Act. 10, 47. 48. respondit Petrus: „Nunquid aquam quis prohibere potest, ut baptizentur. — Et jussit eos baptizari." Cum Cornelius in domo, non publice baptizaretur; allatam aquam fuisse, non inepte concludi poterit.

b) Act. 16, 33. de baptismo carceris custodis dicitur: „Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum (scil. Pauli et Silae) et baptizatus est ipse et omnis domus ejus (text. gr. οἱ αὐτου, qui ejus scil. erant) continuo (παραχρημα)." Cum haec actio noctu susciperetur, sine strepitu, sine praeparatione; cumque omnis familia baptizaretur in ipso momento, statim;

valde probabile est, baptismum ea, qua plagae duorum lotae fuerant, hora collatum fuisse; insuper immersio nec ex principiis Jesu, nec ex praxi ejus et Apostolorum erui potest, cum jam in V. T. aspersio tanquam ritus religiosus in usu fuisset Exod. 24, 8; Num. 8, 7.

4) Verba inter baptizandum pronuntianda haec sunt: „in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti“ Matth. 28, 19; haec formula a Jesu ipso praescripta semper retinenda est et sic adhibita dicitur: baptismus in Christum, in nomine Jesu Christi, in nomine Domini Jesu Act. 2, 38, C. 8, 12. 37; C. 10, 48; C. 19, 5; quae verba non propria baptizandi formula habenda sunt, sed baptismus ipse respectu materiae adjecta in Christo fiducia cfr. Act. 3, 6; 1 ad Cor. 1, 13. 15. secundum s. Augustini (tract. 80. in Joan.) adagium: „accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.“

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 1. (al. 2.) C. 61: „Deinde (scil. post institutionem) eo ducuntur a nobis, ubi aqua (ὑδωρ) est, atque regenerationis modo, quo et ipsi sumus regenerati, regenerantur (ἀναγγυνωνται). — Nam in nomine (ἐπ' ὀνοματος) parentis universorum et Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus sancti lavacrum in aqua tunc recipiunt (τον ἐν τῳ ὑδατι τοτε λουτρον ποιουνται). — Vocatur vero hoc lavacrum illuminatio (φωτισμος).“ — 2) Tertull. de bapt. C. 4: „Nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane et quos Petrus in Tiberi tinxit. — Igitur omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo“ cfr. C. 13. — adv. Prax. C. 27: „Non semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur.“ — 3) Orig. de princip. lib. 1. C. 3. n. 2: „Salutaris baptismus non aliter, nisi excellentissi-

mae omnium trinitatis auctoritate P. et F. et Sp. s. cognominatione completur et ingenito Deo Patri et unigenito Filio, nomen quoque Spiritus s. copulatur." — 4) Cyprian. ep. ad Cler. rom. apud Mansi tom. 1. pag. 796: „Dominus dixit, in nomine Patris et Filii et Spiritus s. gentes tingi et in baptismo praeterita peccata dimitti" cfr. ad Jubajan. — epp. lib. 4. ep. 7. ad Magnum: „Nec quenquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur. — Unde (scil. ex locis Num. 8. et Ezech. 36.) apparet, aspersionem quoque aquae instar lavacri salutaris obtinere, et quando haec in ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra, stare omnia et consummari et perfici posse Domini majestate et fidei veritate." — 5) Hilar. de trin. lib. 2: „Baptizare jussit (Jesus) in nomine P. et F. et Sp. s., id est, in confessione et auctoris et unigeniti et doni. Auctor unus est omnium; unus est enim ingenitus Deus Pater, ex quo omnia, et unus unigenitus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia; et unus Spiritus, donum in omnibus." — 6) Athan. contr. Arian. orat. 3: „Salvator non quovis modo baptizandum praecepit, sed primum dixit: docete, ac deinde: baptizate in nomine (εἰς ονομα) P. et F. et Sp. s., ut ex doctrina recta fides oriretur et cum fide baptismatis integra initiatio perficeretur" cfr. orat. 2; epist. ad Serap. — 7) Basil. de spir. s. C. 15. n. 35: „Tribus demersionibus (ἐν τρισι — καταδυσεσι) ac totidem invocationibus magnum baptismatis mysterium peragitur" cfr. C. 12. n. 28. contr. Eunom. lib. 3. — 8) Greg. Nyss. qui diff. bapt. orat.: „Omnis aqua est apta ad usum baptismatis, si modo invenerit fidem ejus, qui id accepit et benedictionem sacerdotis sanctificantis" cfr. in bapt. Christi; orat. catech. C. 35. integ. — 9) Ambros. de spir. s. lib. 1, C. 3: „Unum baptisma, ubi autem non est plenum baptismatis sacramentum, nec principium vel species aliqua baptismatis aestimatur, plenum

autem est, si Patrem et Filium, Spiritumque fatearis." — 10) Chrysost. in Ps. 22. et 116. hom.: „Aqua catholica, in qua ostenditur fons aeternus, qui reficit, id est, iterum, quomodo generatio et regeneratio reficit animas, quia innovat in fide." — 11) Hieron. in ep. ad Eph. C. 4: „In Patrem et in Filium et in Spiritum s. baptizamur et ter mergimur." — 12) Augustin. tract. in Joan. tr. 15: „Audi Apostolum: sicut Christus, inquit, dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquae in verbo etc. — Mundans eam. Unde? Lavacro aquae in verbo. Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbum, non est baptismus" cfr. tract. 80; de bapt. l. 3. C. 15. — 13) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 2. C. 42: „Spiritu sancto spiritus hominis, aqua vero corpus sanctificatur — Spiritus s. operatione ad divinam aquae reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt."

Summa locorum ad haec puncta reducitur:

a) baptismus confertur in aqua naturali, Justin. Tertull. Greg. Nyss. Augustin. — Cyrill. Alex.;

b) per trinam immersionem, Basil, Hieron.; in honorem ss. trinitatis, Tertull.;

c) aspersione itidem adhibita, Cyprian.;

d) invocato Deo, Tertull.; in nomine ss. trinitatis P. et F. et Sp. s. secundum praescriptum Jesu, Orig. Cyprian. Hilar. Athan. Hieron.; aqua et verbo conjunctis, Augustin.; per quae Spiritus s. gratia efficitur, Cyrill. Alex.; sub alia invocatione sacramentum non est validum, Ambros.;

e) baptismus dicitur illuminatio, Justin.; lavacrum aquae, Augustin.

b) 1) Canon. apostol. 48. (al. 49.): „Siquis episcopus vel presbyter ex ordinatione Domini (κατα την του

κυριου

κυρίου διαταξιν) non baptizaverit in (εἰς) Patrem et Filium et Spiritum s. — deponatur." — 2) Can. apost. 50: „Siquis episcopus aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate — deponatur." — 3) Concil. Toletan. 4. sub Honorio P. Cap. 5: „Videat in eo unitatem divinitatis et trinitatem personarum ostendi; unitatem dum semel mergimus, trinitatem dum in nomine Patris et Filii et Spiritus s. baptizamus." — 4) Lateran. 4. Cap. 1: „Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae trinitatis, videlicet P. et F. et Sp. s., consecratur in aqua." — 5) Florent. in decret. Eugenii: „Forma est: ego te baptizo in nomine P. et F. et. Sp. s. — 6) Trident. sess. 7. de bapt. Can. 2: „Siquis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, — anathema sit." Hinc

a) aqua naturalis praescribitur a concil. Trident.;

b) immersio trina a can. apost. 50;

c) formula: In nomine P. et F. et Sp. s. a can. apost. 48. concil. Tolet. Lateran. Florent. — Si concil. Constantinop. 1. Can. 7. collationem baptismi per trinam immersionem ab Eunomio susceptam rejiceret; ideo factum est, quod Eunomius ss. trinitatem impugnaret. Caussae immersionis abrogatae erant gravissimae α) periculum suffocationis parvulorum; β) copiosus baptizandorum et baptizantium parvus numerus; γ) scandalum decentiae et pudicitiae violandae; δ) persecutiones in primis ecclesiae temporibus Euseb. hist. eccles. lib. 6. C. 4.

Catechismus romanus part. 2. Cap. 2, 17. ait: „Retinendus est tamen a fidelibus is ritus, quem unusquisque in sua ecclesia servari animadverterit" citans Gregor. lib. 1. regist. ep. 41. ad Leandrum; ecclesia catholica cuivis ecclesiae particulari permittit, qualem trium horum baptizandi modorum adhibere velit; insuper no-

tandum, quod Fabianus P. unctionem cum chrismate instituerit, qui usus certe ab aevo apostolico deducendus erit.

§. 48.

III. Effectus baptismi.

A) *N. T.* 1) Baptismus aperit januam ad regnum Christi, id est, ecclesiae et coetui Christianorum associat Matth. 28, 19. ut supra — Act. 2, 41: „Qui ergo receperunt sermonem ejus (Petri), baptizati sunt, et appositae sunt (προσετεθησαν) in die illa animae circiter tria millia" — 1 ad Cor. 12, 13: „In uno Spiritu omnes nos in unum corpus (εἰς ἐν σωμα) baptizati sumus" — ad Gal. 3, 27: „Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (Χριστον ἐνεδυσασθε)" id est, vos omnes Christo vos dedistis, doctrinam, vitae morumque rationem ejus imitandam suscepistis cfr. ad Eph. 4, 5.

2) Remissionem peccatorum, sanctificationem internam et gratiam sanctificantem, non meram habitualem (contra novellas Ulmenses) operatur, qua fit, ut homo cum Deo de novo reconcilietur et conjungatur Act. 2, 38: „Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum (εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων) vestrorum (quod addit Vulg.) et accipietis donum (την δωρεαν) Spiritus s."; secundum hunc locum, uti patet, baptismus cum remissione peccatorum intime connexus est. — Ad Eph. 5, 25. 26: Christus dilexit ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae (καθαρισας τῳ λουτρῳ του ὑδατος) in verbo (Syr. legit: et verbo) vitae (sic Vulg.)"; hic expresse dicitur, quo signo sanctificatio efficiatur, scil. lavacro aquae = baptismo. — Ad Tit. 3, 5: „Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti (δια λουτρου παλιγγενεσιας και ἀνακαινωσεως πνευματος ἁγιου)." — Ad Hebr. 10, 22. 23: „Aspersi

corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda (λελουμενοι το σωμα ὑδατι καθαρῳ), teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem"; hic de baptismo sermonem esse, ex eo patet, quod s. Paulus baptismum, ut supra dixi, aeque ac redemtionem inter doctrinas religionis elementares recenseat. — 1 Petr. 3, 21: „Vos (text. gr. ἡμας, nos) nunc similis formae salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio (ἐπερωτημα, effectus pro causa = pactum) in Deum per resurrectionem Jesu Christi"; hic locus de baptismo agit, ubi carnis depositio sordium effectum externum, conscientiae vero bonae interrogatio in Deum = promissio, aut confessio in Deum cum baptismo connexa et ex bona conscientia orta, id est, pactum in baptismo cum Deo initum, effectum indicat internum.

3) In specie baptismus delet peccatum originale Joan. 3, 5: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto (sic Vulg.); non potest introire in regnum Dei"; cum peccatum originale et concupiscentia non sint unum idemque; per baptismum reatus concupiscentiae, macula homini a nativitate inhaerens = peccatum originale deletur, sed non ipsa concupiscentia, quae post baptismum remanet; jam vero ante deletum peccatum originale homo est peccator coram Deo et omni jure coelo privatur; ergo per baptismum rursus fit nova creatura Deo beneplacens, alia ac diversa per generationem corporalem; quod dicitur renasci, regeneratio = immutatio, renovatio supersensualis qua νουμενον.

4) In adultis poenas peccato debitas remittit et sic operatur liberationem ab omnibus peccatorum poenis pro vita futura, et exemtionem a servitio diaboli ad Rom. 6, 3. 4: „An ignoratis, quia, quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem:

ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus (ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν)"; si collato baptismo poena remaneret; ecclesia baptizatis opera satisfactoria certe imposuisset; id quod post baptismum, si peccaverit homo, accidit.

5) Hominem felicitate aeterna dignum reddit Marc. 16, 16: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (σωθεσεται)" id est, salvabitur ab omni poena merita et fiet felicitatis aeternae particeps. Tali modo homo fit filius Dei 1 Joan. 3, 1; fit haeres coeli et fruitur jure beatitudinis aeternae ad Rom. 8, 17; ad Gal. 4, 7; inde mos singularis, pro mortuis baptizari 1 ad Cor. 15, 29: „Alioquin quid facient, qui baptizantur pro (ὑπερ) mortuis; si omnino mortui non resurgunt, ut quid et baptizantur pro illis (text. gr. ὑπερ των νεκρων, pro mortuis)" id est, in salutem mortuorum, ut felicitatem aeternam consequantur. Hic mos viguit adhuc saeculo 2do et 3tio vid. Tertull. de resurr. carn. C. 48. — Ambros. in h. l. — Concil. Carthag. 3. can. 19; insuper hic locus est nil nisi argumentatio κατ' ἀνθρωπον.

6) Baptismus denique characterem indelebilem, vel signum spirituale indelibile aut inextinctum imprimit Joan. 3, 5; ad Tit. 3, 5.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. dial. cum Tryph.: „Elaborare oportet, ut cognoscatis, qua via vobis remissio peccatorum contingeret et spes haereditatis promissorum bonorum; est autem non alia, nisi haec, ut hunc Christum agnoscentes, ac abluti illo, quod ab Isaia promulgatum est, propter remissionem peccatorum lavacro sine peccato deinceps vivatis." — 2) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 19: „Corpora nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animae autem per spiritum." — 3) Tertull. de bapt. C. 5: „Proficiente itaque hominibus gratia Dei plus aquis et angelo

(moventi piscinam Bethsaidae) accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur; qui temporalem operabantur salutem, nunc aeternam reformant: qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum.“ — 4) Clem. Alex. paed. lib. 3. C. 6: „Vocatus hoc opus gratia (χαρισμα), illuminatio (φωτισμα), perfectum (τελειον) et lavacrum (λουτρον); lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus (δι' ου τας αμαρτιας αποῤῥυπτομεθα), gratia autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentur — baptizati abstersis peccatis, quae divino Spiritui quoddamodo tenebras offundebant, liberum, ab omnique impedimento vacuum et lucidum habemus spiritus oculum — remittuntur peccata, uno medicamento Paeonio, nempe baptismo secundum verbum. — Una est haec gratia illuminationis, quod non sunt iidem mores (τροπος, status), qui erant, antequam lavaremur.“ — 5) Orig. in cant. cant. lib. 4: „Amputantur et exsecantur ab hominibus peccata, cum in baptismo donatur remissio peccatorum“ cfr. in Gen. hom. 13; selecta in Gen.; in Jesu Nave hom. 15; in Ezech. hom. 6; in Luc. hom. 21; comment. in Joan. tom. 8. — 6) Cyprian. epp. lib. ep. 2: „Unde genitalis auxilio superioris aevi labe detersa in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infundit“ cfr. ep. ad Magn. — 7) Firmilian. ep. ad Cprian. apud Mansi tom. 1. pag. 918: „In multum — proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut, quicunque et ubicunque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. — Qui autem adhuc in saeculo permanent, baptizentur ecclesiae baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint.“ — 8) Lactant. div. instit. lib. 3. C. 26: „Uno lavacro malitia omnis abolebitur“ cfr. lib. 7. C. 5. — 9) Athan. in illud Evang. quicunque dixerit: „Qui baptizatur, tum veterem hominem exuit, tum superne renovatur, quasi de integro regeneratus Spiritus gratia (τῃ του πνευματος χαριτι)“

cfr. de sabb. et circumcis. — 10) Basil. adv. Eunom. lib. 5: „Per lavacrum regenerationis ac sancti Spiritus innovationem Deo adoptamur (*δια λουτρου παλιγγενεσιας και ἀνακαινωσεως πνευματος ἁγιου υἱοθετουμεθα Θεῳ*)“ cfr. lib. 3. C. 5; in Psalm. 28. n. 8; de spir. s. C. 10. n. 26; hom. 13. exhort. ad bapt. — 11) Hilar. comment. in Matth. can. 10: „Cum — innovamur baptismi lavacro, per virtutem ab originis nostrae peccatis atque authoribus separamur.“ — 12) Cyrill. Hieros. catech. 17. C. 16: „Aqua quidem exterius (corpori) circumfunditur, Spiritus autem interius animam baptizat sine ullo defectu. — Quid admiraris, si Spiritus s. in animae interiora ingreditur“ cfr. procatech. C. 16. — 13) Greg. Naz. orat. 40. in s. bapt.: „Atque haec baptismi gratia et facultas, non orbem terrarum, ut olim aquis obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones vel maculas, quae vitio contrahuntur, prorsus abstergens“ cfr. alia loca in ead. orat. — 14) Greg. Nyss. orat. in bapt. Christi: „Baptisma — peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis caussa (*ἁμαρτιων καθαρσις, ἀφεσις πλημμεληματων, ἀνακαινισμου και ἀναγεννησεως αἰτια*)“ cfr. orat. catech. C. 33. — 15) Ambros. lib. 4. in Luc. C. 4: „Dominus noster Jesus Christus per lavacrum regenerationis omnibus remissionem dedit peccatorum“ cfr. lib. 2. in Luc. C. 3; lib. 8. in Luc. C. 17; in Ps. 118. oct. 5; comment. in ep. ad Rom. C. 6; de vocat. gent. lib. 1. C. 5. — 16) Chrysost. hom. 12. ad Phil. C. 3: „Primum pharmacum, quasi antidotum quoddam, lavacrum dedit; ita omnem evomuimus vitiositatem“ cfr. hom. 4. ad Eph. C. 2; ad Neophyt. orat. — 17) Hieron. ad Ocean. ep. 83. C. 1: „Si baptismus novum hominem facit et ex toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reservatur; non potest novo imputari, quod in veteri quondam fuit“ cfr. C. 2; in Ps. 50; in cant. cant. hom. 4; in Ezech. C. 47. — 18) August. ep. 57. ad Dardan.: „Omnis renisus ipso-

rum (parvulorum) nil penditur, donec in eis sacramenta peragantur, quibus idquod de originali damnatione tractum est, expietur, nisi quia in tantum nesciunt, quid faciunt, ut nec facere judicentur" cfr. contr. 2. epist. Pelag. lib. 3. C. 3; hom. 27; tract. in Evang. Joan. tract. 5. — 19) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 6. C. 14: „Baptizatur (catechumenus) ut verum lumen agnoscat et remissionem omnium peccatorum accipiat" cfr. lib. 2. C. 42. — 20) Theodoret. in 1 ad Cor. C. 12: „Idem donum omnes in baptismo accepimus, remissionem peccatorum similiter accepimus, divinorum sacramentorum sumus ex aequo participes" cfr. in 2 ad Cor. C. 5. — de curat. graec. affect. lib. 7. de sacrif.

Summa omnium locorum ad haec puncta reducitur:

a) remissio et expiatio peccatorum, Justin. Clem. Alex. Orig. Firmil. Greg. Nyss. Ambros. Cyrill. Alex. Theodoret.; gratia Christi, Firmil.; animae sanctificatio per Spiritum s. Cyrill. Hieros.;

b) deletio peccati originalis, Cyprian. Hilar. Greg. Naz. Augustin.; abolitio omnis malitiae, Lactant.; omnis vitiositatis, Chrysost.; inde regeneratio et renovatio, Athan. Greg. Nyss.; qua homo fit novus, Hieron.; in alio statu collocatus ac ante baptismum, Clem. Alex.;

c) in adultis ablutio delictorum, Tertull.; remissio poenarum peccatis meritarum, Clem. Alex.;

d) Filiorum adoptio, Basil.; spes haereditatis promissorum bonorum, Justin.; aeterna salus et felicitas, Iren. Tertull.;

e) medela spiritus, Tertull. Clem. Alex.

b) Concilia 1) Nicaen. 1: „Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum." — 2) Constantinop. 1. oec. 2. anno 381. idem definit. — 3) Florentin. in decreto Eugenii 4: „Per baptismum spiritualiter renascimur. — Sanctum baptisma — vitae spiritualis janua est,

per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur ecclesiae. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur." — 4) Trident. sess. 5. decret. de pecc. orig. n. 5: „Siquis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; anathema sit. — Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem; haec sancta synodus fatetur et sentit." — sess. 7. de sacram. Can. 9: „Siquis dixerit, in — baptismo — non inprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelibile; — anathema sit."

§. 49.

IV. Necessitas baptismi.

A) *N. T.* Necessitas baptismi satis superque elucet

1) respectu praecepti ex Matth. 28, 19., ubi Jesus discipulos suos, omnes gentes sine discrimine, sine respectu loci et aetatis docere et baptizare jussit. — Marc. 16, 16: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit"; ubi praecedit v. 15: „Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae (*πασῃ τῃ κτισει*)";

2) respectu medii seu salutis ex Joan. 3, 3—7: „Respondit Jesus et dixit ei (Nicodemo): amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo (*ἀνωθεν*), non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: quomodo potest homo nasci, cum sit senex, nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci? Respondit Jesus: amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu (Vulg. addit:) sancto: non potest introire in regnum Dei (*οὐ δυναται εἰσηλθειν εἰς την βασιλειαν του Θεου*). Quod natum est

ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est" cfr. ad Tit. 3, 5; hoc in loco denuo nasci et renasci ex aqua et Spiritu sancto est conditio, sine qua non potest quisquam introire in regnum Dei; jam vero sive regnum Dei sit institutum a Christo ad salutem hominum erectum Matth. 11, 11; C. 13, 11; Luc. 7, 28; sive vita aeterna Matth. 25, 34; 1 ad Cor. 6, 10; 2 ad Tim. 4, 18; Jac. 2, 5; in utroque casu baptismus et est et manet remedium ad beatitudinem, quae homini hanc salutis oeconomiam ingresso competit, consequendam necessarium; ergo etc. haec necessitas magis elucet ex v. 6., quia ex carne iterum caro corrupta enascitur. — Pro argumento indirecto valere potest locus 1 ad Cor. 15, 29. supra citatus; hinc ob salutis necessitatem statim conferebatur baptismus Act. 2, 41., absque praeparatione aut praevia institutione C. 16, 15. 33; ergo ea necessitas est inventio nec aetatis recentioris (contra Doederlein), nec saeculi quinti (contra Semler). Kantius baptismum non gratiae remedium, sed solum solennitatem pro baptizando et testibus praesentibus agnoscit dicens, gratiam fide et pietate accedente acquiri, at, cum Kantiano gratiae conceptui falsum subjaceat suppositum, haec assertio erronea et revelationi contraria est; nam a) dari gratiam vel subsidium supernaturale, supernum, ratio et revelatio docent; en supra dictum; b) hi gratiarum effectus non sunt remedia passiva, sed et homo cooperari tenetur, Jesu et Apostolis saepissime hortantibus; c) libertas hominis nequaquam tollitur, qui semper, quaecunque vult, remedia seligere potest.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Iren. adv. haer. lib. 5: „Quoniam in illa plasmatione, quae secundum hominem est, in transgressione factus est homo, indigebat lavacro regenerationis" cfr. lib. 3. C. 19. — 2) Tertull. de bapt. C. 12: „Praescribitur, nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam" cfr.

C. 13. — 3) Orig. exhort. ad martyr. n. 30: „Meminerimus etiam nos peccasse nec posse remissionem peccatorum sine baptismate accipi (οὐκ ἔστιν ἄφησιν ἁμαρτημάτων χωρὶς βαπτίσματος λαβεῖν)“ cfr. in Gen. hom. 13; in Luc. hom. 14., de quo infra. — 4) Cyprian. adv. Jud. lib. 3. C. 25. ait: „Ad regnum Dei, nisi quis renatus fuerit, pervenire non posse in Evangelio secundum Joannem: nisi quis etc.“ — 5) Cyrill. Hieros. catech. 3. C. 10: „Siquis baptisma non recipiat, salutem non habet (σωτηρίαν οὐκ ἔχει).“ — 6) Ambros. de initiand. C. 4: „Nisi baptizatus fuerit (catechumenus) in nomine Patris et Filii et Spiritus s., remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiae munus haurire“ cfr. de Abraham. lib. 2. C. 11; de Elia et jejun. C. 22. — 7) Chrysost. hom. 3. in ep. 1. ad Cor.: „Ita etiam in baptismate fieri quidem non potest, ut absque eo salvi simus.“ — 8) Augustin. enchir. ad Laurent. C. 43: „A parvulo enim recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est a baptismo; ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo, sed parvuli tantum originali, majores autem etiam in omnibus moriuntur peccatis, quaecunque male vivendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt“ cfr. ep. 89. ad Hilarium; de anim. et ejus orig. C. 9; de peccat. mer. et remiss. lib. 3. C. 3—8; C. 12. et 13. — 9) Greg. M. moral. lib. 4. praef. C. 3: „Quia unusquisque cum primi parentis culpa concipitur, propheta testatur dicens: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et quia is, quem salutis unda non diluit, originalis culpae supplicia non amittit, aperte per semetipsum veritas perhibet dicens: nisi quis renatus etc.“: ergo secundum ss. patrum doctrinam baptismus est necessarius

a) ob transgressionem in paradiso, Iren.; et ob peccatum originale, Augustin. Gregor. M.;

b) ad remissionem peccatorum consequendam, Orig. Ambros. Augustin.;

c) ad gratiae spiritualis munus hauriendum, Ambros.;

d) ad salutem obtinendam, Tertull. Cyrill. Hieros. Chrysost.;

e) ad regnum Dei aliquando possidendum, Cyprian.

b) Concilia 1) Milevit. Cap. 2: „Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissione peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit." — 2) Trident. sess. 7. de bapt. Can. 5: „Siquis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit."

§. 50.

V. Minister legitimus seu collator baptismi.

A) *N. T.* Personae ad hunc actum valide exercendum idoneae sunt

1) Episcopi et presbyteri Matth. 28, 16. 19., ubi Christus undecim discipulis, id est, Apostolis praecepit: „Euntes docete — baptizantes (βαπτίζοντες)." — Joan. 4, 2. baptizant discipuli (οἱ μαθηταὶ) Jesu, ubi, utrum intelligendi sint soli Apostoli, an alii quoque discipuli secundum Luc. 10, 1., in incerto est.

2) Diaconi, uti v. g. Philippus diaconus (Act. 6, 5.) baptizavit Samariae incolas Act. 8, 12; Simonem Magum v. 13; Eunuchum v. 38; jam vero Philippus ab Apostolis delegatus et officium diaconi erat, Episcopo ministrare; ergo haec actio fiebat ex potestate delegata, praesertim cum in hierarchia diaconus Episcopo et Presbytero sit inferior.

3) Quivis laicus et Christi assecla cogente necessitate, Act. 9, 18. Saulus ab Anania baptizatur; et qui,

quaeso, fieri potuisset, ut in uno die tria millia baptizarentur C. 2, 41., nisi aliis personis, hoc in actu succurrere, fas fuisset. — C. 10, 48. (cfr. v. 23. et 24.) et C. 11, 12. Petrus non ipse baptizat, sed jubet baptizari; hinc Jesus non sine ratione aquae usum praescripsit; nihilominus haec laici actio semper est et manet jus extraordinarium in casu necessitatis licitum.

4) Quin adeo in hoc praedicto casu haereticus baptizare potest, dummodo id facit, quod facere jubet Jesus et ecclesia Joan. 1, 33: „Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit"; ex hoc loco saltem erui potest, quod effectus et valor baptismi non a moralitate dispensantis sive collatoris, non a societate, in qua actio fit, sed a Christo ipso, hoc sacramentum instituente, dependeat; nam ubi essentia rei est, ibi ipsa res sic, uti existere debet, existit.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Ignat. ad Smyrn. C. 8: „Non licet sine episcopo baptizare." — 2) Tertull. de bapt. C. 17: „Dandi quidem (baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter ecclesiae honorem. — Alioquin etiam laicis jus est. — Sufficiat scilicet, necessitatibus utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae conditio compellit." — 3) P. Stephan. in casu baptismi ab haereticis collati ait.: „Nihil innovetur, nisi quod traditum est. — 4) Firmilian. in ep. ad Cyprian. apud Mansi tom. 1. pag. 914: „In ecclesia — praesident majores natu, qui — baptizandi — possident potestatem." — 5) Chrysost. hom. 3. in ep. 1 ad Cor.: „Baptizare est cujuslibet, qui est praeditus sacerdotio." — 6) Innocent. P. ait: „Presbyterum absente episcopo baptizare debere." — 7) Hieron. adv. Lucifer. C. 4: „Sine — episcopi jussione neque presbyter, neque diaconus jus habet baptizandi, quod frequenter si tamen necessitas cogit, scimus etiam laicis licere." —

8) Augustin. ad Fortunat.: „In necessitate, cum episcopi aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur — etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.“ — lib. de bapt. C. 1. respectu litis Cyprianum inter et P. Stephanum: „Saluberrimam consuetudinem tenebat ecclesia, in ipsis schismaticis et haereticis corrigere, quod pravum est, non iterare, quod datum est. — Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem“ cfr. de bapt. contr. Donat. lib. 1. C. 14. et 15; lib. 3. C. 18; lib. 6. C. 20; ergo licite et valide baptismum conferunt

a) episcopi, Ignat. Tertull. Innocent. Augustin.; majores natu, Firmilian.; sacerdotes Chrysost.; presbyteri August.; cum jussione episcopi, Tertull. Innocent. Hieron.; si aliqui ss. patres ordinariam presbyteri negent potestatem; causa est, dignitas episcopi presbytero superioris, ut servetur ordo et subordinatio, quia origine tenus baptizare erat munus episcopi, deinde presbyterorum Luc. 10, 1;

b) diaconi cum auctoritate episcopi, Tertull. Hieron.; et alii ministri, Augustin.; Epiphanius licet diacono non concedat potestatem baptizandi, potestatem tamen extraordinariam concedit;

c) laicus quivis urgente necessitate, Tertull. Hieron. Augustin.; si alii v. g. Basil. et Epiph. potestatem eam denegant; casus iste subintelligendus est, ubi necessitas non urget, aut baptismus solenniter conferendus erat;

d) haereticus, Tertull.; probabiliter, P. Stephan. Augustin.; licet alii ss. patres contradicant, locis quippe s. scripturae perperam intellectis.

b) Concilia 1) canon. apostol. et quidem can. 48. et 49., vide supra 2) constitut. apost. lib. 3, C. 11: „Neque reliquis clericis potestatem baptizandi (subintellige: solenniter) facimus, ut lectoribus, cantoribus, janitoribus,

aut ministris, nisi tantum episcopis et presbyteris, ministrantibus diaconis (ἡ μονοις ἐπισκοποις και πρεσβυτεροις, ἐξυπηρετουμενων αὐτοις των διακονων)" cfr. C. 9, 10. et 16; lib. 6. C. 15. — 3) Eliberitan. anno 308. can. 38: „Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum." — 4) Laodicen. sub P. Sylvestr. can. 8: „Initiari et baptizari ab ecclesiae episcopis et presbyteris (ὑπο των της ἐκκλησιας ἐπισκοπων τε και πρεσβυτερων)." — 5) Lateran. 4: „Sacramentum baptismi — tam parvulis, quam adultis in forma ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad salutem." — 6) Trevir. anno 1227: „Gallici sacerdotes — doceant laicos, quomodo debeant baptizare pueros suos in necessitate." — 7) Florent. in decret. Eugen.: „Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare; in causa vero necessitatis, non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet ecclesiae et facere intendat, quod facit ecclesia." — 8) Trident. sess. 7. de bapt. can. 4: „Siquis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis — non esse verum baptismum; anathema sit."

§. 51.

VI. Subjectum baptismi seu accipiens baptismum.

A) *N. T.* Personae ad baptismum valide et licite accipiendum aptae sunt

1) omnes homines sine discrimine sexus, aetatis, nationis, originis etc. Matth. 28, 19: Euntes ergo docete omnes gentes (παντα τα ἐθνη) baptizantes eos (αὐτους)"; cum quivis ad regnum coeleste habilis sit, certe baptismo accipiendo idoneus esse debet. — Joan. 3, 5: „Nisi

quis (ἐὰν μή τις) renatus fuerit ex aqua et Spiritu s."; „Christus universaliter hic loquitur absque omni respectu nationis aut sectae.

Ad baptismum valide accipiendum certae requiruntur conditiones; scil. fides in Christum et solenne, ei adhaerendi, propositum Matth. 28, 20: „Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis"; ergo ille est assecla Jesu, qui una cum baptismo doctrinam ejus amplectens exequitur; idquod formula baptizatoria magis demonstrat, vi cujus quivis trinitatis doctrinam agnoscere tenetur, si in nomine ejus baptizari velit. — Marc. 16, 16. vide supra; hic πιστις et βαπτισμος conjunguntur. — Apostoli ubique institutionem adultorum baptismo praemittunt Act. 2, 38. 41; C. 8, 12. 37; C. 10, 34—44; C. 16, 13. 14., tunc. v. 30—34; C. 18, 8; C. 19, 4; inde officium adultis impositum, juxta Jesu praescriptum vitam ducendi ad Rom. 6, 1—5; 1 ad Cor. 6, 11. 19; ergo baptizandi sunt vivi, non defuncti, ut s. Paulus, in sensu utique tantum comparationis, argumentatur.

2) Parvuli infantes utriusque sexus; nam a) Jesu praeceptum Matth. 28, 19. universale parvulos non secludit, nec baptisma ejus ceu norma considerandum est; b) Joan. 3, 5. dicit Jesus iterato universaliter: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s."; quidquod ex hoc loco simul apparet necessitas baptismi parvulorum, cum isti peccato originali infecti sint et sic homini non baptizato impedimentum regnum coeleste consequendi obsistat; ergo lex baptismi est obligatoria pro omnibus hominibus, consequenter et pro parvulis, qui societatis populi Dei et beneficiorum regni Dei, ad quae beatitudo quoque aeterna Matth. 19, 14. spectat, capaces sunt; jam vero ad eam consequendam remedia quaedam sunt necessaria; ergo baptismus parvulorum eo magis necessarius, cum inscii in hoc peccatum incurrant et inscii ab

eo liberari possint et debeant, ecclesia quippe pro impubibus praedis vicibus fungente; c) Apostoli baptizant universas familias Act. 16, 15. 33; C. 18, 8; 1 ad Cor. 1, 16., inter quas parvulos non extitisse nemo affirmare audebit; praesertim cum Jesus collato baptismo institutionem omnimodam urgeat Matth. 28, 20. et Apostoli baptizandos ante baptismum summarie tantum instituerint nec iis ritus circumcisionis parvulorum apud Judaeos incognitus fuerit; d) inprimis ecclesiae temporibus parvulis eucharistia suppeditabatur; quanto magis probabile est, ab Apostolis baptizatos esse parvulos.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. dial. c. Tryph. baptismum cum circumcisione comparans ait: „Eam (circumcisionem) vero per baptismum, quandoquidem peccatores fueramus, propter misericordiam per Deum accepimus, omnibusque adeo illam ex aequo accipere integrum est." — 2) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 39: „Omnes — venit (Christus) per semetipsos salvari, omnes, inquam, qui per eum renascuntur (= baptizantur) in Deum, infantes et parvulos, et pueros, et juvenes et seniores." — 3) Orig. in Luc. hom. 14: „Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum: quorum peccatorum? Vel quo tempore peccaverunt? Aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum, de quo paulo ante diximus: nullus mundus a sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram? Et quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur: propterea baptizantur et parvuli; nisi enim quis renatus fuerit etc." cfr. in Levit. hom. 8; comment. in ep. ad Rom. C. 5. — 4) Cyprian. epp. lib. 3. ep. 8: „A baptismo atque a gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae (jam ab Adamo dominantis) prima nativitate contraxit." — 5) Greg. Naz.

orat.

orat. 40. in s. bapt.: „Quid autem de iis dices, qui adhuc tenera aetate sunt, — an eos baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum urgeat. Praestat enim sine sanctitatis sensu sanctificari, quam citra baptismum atque initiationem e vita decedere." — 6) Ambros. de vocat. gent. lib. 2. C. 8: „Non latet, quantum cordibus fidelium desidiae gigneretur, si in baptizandis parvulis nihil de cujusquam negligentia, nihil de ipsorum esset mortalitate metuendum, quandoquidem ut tales baptismo fraudarentur, nullo modo posset accidere." — 7) Chrysost. ad Neophyt. hom.: „Etiam infantulos baptizamus, licet non sint coinquinati peccato (και τοι ἁμαρτηματα [peccata scil. actualia] οὐκ ἐχοντες), ut iis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant." — Augustin. de bapt. contr. Donat. lib. 4. C. 23: „Traditum tenet universitas ecclesiae, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere" cfr. de gent. ad lit. lib. 10. C. 23; ergo baptizandi sunt

a) omnes, Justin.; sine discrimine aetatis, Iren.; cum α) omnes sint peccatores, Justin.; β) et salvi esse velint, Iren.;

b) parvuli infantes, Iren. Augustin.; α) ob sordes nativitatis, Orig.; β) ob contagium mortis antiquae, Cyprian.; γ) ob periculum, absque baptismo moriendi et pereundi, Greg. Naz. Ambros.; δ) ad recuperandam sanctitatem, justitiam, adoptionem etc. Chrysost.,

b) Concilia 1) Carthag. anno 263. praeside Cypriano definivit: „Quantum vero ad causam infantium pertinet, — judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam." — 2) Lateran. 4. Cap. 1: „Sacramentum baptismi — tam parvulis, quam adultis in forma ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad salutem." — 3) Trident. sess. 5. decret. de pecc. orig.

n. 3: „Siquis — negat, ipsum Christi Jesu meritum per baptismi sacramentum in forma ecclesiae rite collatum tam adultis, quam parvulis applicari; anathema sit" — n. 4: „Siquis parvulos recenter ab uteris matrum baptizandos negat, — nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam; — anathema sit; — propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt: nisi quis renatus fuerit etc." — sess. 7. de bapt. Can. 12: „Siquis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus erat, vel in ipso mortis articulo" — et Can. 13: „Siquis dixerit, parvulos — cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare, omitti eorum baptisma; anathema sit" cfr. Can. 14.

§. 52.

VII. Baptismus sanguinis et flaminis vel spiritus.

Quum baptismus aquae, supra demonstratum, omnibus ad salutem consequendam, necessarius sit, ideoque infantes omnes in lucem editi statim baptizentur; casus nonnulli existere possunt, in queis aquae baptismus impossibile est; hinc pro supplendo hoc baptismo tum s. scriptura, tum praesertim traditio nos edocet, dari baptismum sanguinis per martyrium, et baptismum flaminis vel spiritus vi voti cum ardenti in Christum charitate conjuncti.

A) *N. T.* 1) Baptismus sanguinis per martyrium ex amore in Christum et ex fide in eum ortus est, quasi cum Christo per sui ipsius abnegationem omnimodam conjunctio, quae ab omni peccato mundans abolet om-

nem et culpam et poenam, sicque hic baptismus est id realiter, quod baptismus flaminis idealiter, nomine quippe probabiliter ex Matth. 20, 22. 23. desumto. — Matth. 10, 32. praesertim 39: „Qui perdiderit (ὁ ἀπολεσας, perdens) animam suam (την ψυχην αὐτου in sensu proprio), propter me, inveniet eam", id est, qui propter me, propter fidei confessionem v. 32., vel aliam virtutem fortiter morti occubuerit; is se servatum salutemque aeternam sibi partam inveniet, et quidem eodem ipso mortis temporalis momento cfr. C. 16, 25. et Marc. 8, 35., ubi dicitur: „Propter me et Evangelium." — Joan. 15, 13: „Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis."

2) Baptismus flaminis vel spiritus per votum cum ardenti in Christum charitate conjunctum mundat hominem ab omni peccato non per fidei sacramentum, sed per sacramenti fidem Luc. 7, 47: „Remittuntur ei (peccatrici) peccata multa (= omnia), quoniam dilexit multum (= maxime)." — Joan. 14, 21: „Qui habet mandata mea et servat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum." — Act. 10, 34: „Non est personarum acceptor Deus" et v. 45: „Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, — quia et in nationes (τα ἐθνη, gentes) gratia (ἡ δωρεα, donum) Spiritus sancti diffusa est." — Ad Rom. 10, 11: „Omnis, qui credit in eum (Deum), non confundetur" et v. 13: „Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (σωθησεται, salvabitur scil. ab exitio aeterno cfr. Ezech. 18, 21. 30.)." — S. scriptura de infantibus sine baptismo extinctis nil commemorat, et sufficiet effatum Jesu Christi Joan. 3, 5.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. de bapt. C. 16: „Est quidem nobis etiam secundum lavacrum unum et ipsum sanguinis scilicet, de quo Dominus: habeo, inquit, baptismo tingi. — Hic est baptismus, qui lavacrum

(scil. aquae) et non acceptum repraesentat et perditum reddit" cfr. apol. C. 49. — 2) Clem. Alex. strom. lib. 4. C. 9: „Videtur — martyrium esse expurgatio peccatorum cum gloria (ἀποκαθαρσις — ἁμαρτιων μετα δοξης)." — 3) Orig. in Num. hom. 10. ait: „Per passionem martyrii remissionem fieri peccatorum" cfr. in Jud. hom. 7; comment. in Matth. tom. 16; in Joan. tom. 8. — 4) Cyprian. ad Jubajan.: „Sciant — fautores haereticorum, catechumenos martyrio coronatos — nec privari baptismatis sacramento utpote qui baptizantur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo Dominus dicebat, habere se aliud baptisma baptizari et passione sanctificatum consummari et divinae pollicitationis gratiam consequi." — 5) Euseb. hist. eccles. lib. 6. C. 4: „Rhais adhuc catechumena per ignem baptismum (δια πυρος το βαπτισμος) adepta ex hac vita migravit." — 6) Basil. de spir. s. C. 15. n. 36: „Sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate — mortem pro Christo (perpessi) nihil symbolis, quae sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio sanguine (ἐν τῳ ἰδιῳ αἱματι) baptizati." — 7) Greg. Naz. orat. 39. in s. lumina: „Est et quartum baptismi genus, quod martyrio et sanguine (δια μαρτυριου και αἱματος) comparatur, quo ipse quoque Christus tinctus est, et quidem eo caeteris augustius, quod nullis postea sordibus contaminatur" — orat. 40. in s. bapt.: „Nonne clemens et facilis est Deus, atque ut cogitationes humanas perspectas habet animi nostri cupiditates explorat, baptismique appetitionem pro baptismo ducit." — 8) Ambros. in obit. Valent. imper. com. funebr.: „Proxime baptizari se a me velle significavit (Valentinianus) et ideo prae caeteris causis me accersendum putavit. — Quodsi (martyres) suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas." — 9) Augustin. de civ. Dei lib. 13. C. 7: „Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur

sacro fonte baptismatis" citans dein Joan. 3, 5. et Matth. 10, 32. — de bapt. lib. 4. C. 22: „Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest" citans exemplum Cornelii jam ante baptismum justi nominati Act. 10, 2.

Secundum doctrinam ss. patrum datur

a) baptismus sanguinis, per ignem baptismus vocatus Euseb.; et vice aquae baptismi fungens, Cyprian., qui α) est secundum lavacrum, Tertull.; augustius caeteris baptismatis generibus, Greg. Naz.; et acceptum aquae lavacrum repraesentat et perditum reddit Tertull.; β) quo fit expurgatio peccatorum cum gloria, Clem. Alex.; et remissio ac dimissio peccatorum Orig. Augustin.; sicque γ) salus aeterna acquiritur, Basil.;

b) baptismus flaminis, qui α) fit per fidem conversionemque, August.; β) et pro aquae baptismo valet, Greg. Naz.; γ) abluens peccata, Ambros. Ad infantes sine baptismo extinctos quod attinet, major ac sanior pars docet, illos propter peccatum originale nec ad poenam, nec ad gloriam pervenire.

b) Concil. Trident. sess. 6. de justificat. Cap. 4: „Translatio — in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei — sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest." — Sess. 7. de sacram. Can. 4: „Siquis dixerit, — sine eis (sacramentis) aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; — anathema sit."

Caput IV.

Confirmatio seu manuum impositio ad confirmandos baptizatos.

§. 53.

Manuum impositio jam in V. T. fuit actus religiosus, quo benedictio divina efflagitabatur Gen. 48, 14. 15. 16: „Qui (Jacob) extendens (text. hebr. וַיִּשְׁלַח et misit = extendit) manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat: et ait: Deus — Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem: angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat (יְבָרֵךְ) pueris istis.“ — Sic legitur de presbyteris seu senibus judicibus respectu Susannae Dan. 13, 34: „Consurgentes duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas (ἐθηκαν τας χειρας) super caput ejus.“

Major et efficacior magisque religiosus actus in N. T. est manuum impositio ad confirmandos baptizatos, quae vulgo dicitur confirmatio et est sacramentum novae legis, vi cujus baptizato manuum impositione et chrismatis unctione ab episcopo facta gratia Spiritus s. confertur.

I. Institutio confirmationis.

A) *N. T.* Confirmatio cum virtute sua divina a nullo alio nisi a Jesu Christo ipso, fundatore oeconomiae salutis et authore gratiarum originem suam ducit, ita, ut Apostolis expressum, hunc actum exercendi, mandatum dederit et quidem probabiliter post resurrectionem suam, quia Apostoli statim post ascensionem Jesu, ut acta enarrant, hac potestate usi confirmarunt Act. 8, 15. 16. 17: „Qui (Petrus et Joannes) cum venissent, oraverunt pro ipsis (Samaritanis baptizatis), ut accipe-

rent Spiritum sanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus (ἐπετιϑουν τας χειρας) super illos, et accipiebant Spiritum sanctum"; ex hoc loco apparet, confirmationem cum baptismo conjungi et utrumque actum religiosum eumque diversum fuisse. — Cap. 19, 2. 4. 5. 6: „Dixitque (Paulus) ad eos (Ephesios): si (= num) Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus. — Dixit autem Paulus: — ut crederent, hoc est, in Jesum (text. gr. εἰς τον Χριστον Ἰησουν). His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus (ἐπιϑεντος αὐτοις του Παυλου τας χειρας, imponente illis Paulo manus), venit Spiritus sanctus super eos"; in hoc loco baptismum quoque subsequitur confirmatio, ex qua apparet, hanc ceremoniam aeque ac baptismum universaliter in usu ideoque inter doctrinas religionis christianae elementares receptas fuisse, dicente s. Paulo ad Hebr. 6, 1. 2: „Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum (ἐπιϑεσεως τε χειρων) ac resurrectionis mortuorum et judicii aeterni"; hic sermonem de confirmatione esse, patet ex eo, quod baptismum statim subsequatur; qui ritus Christianis antea hebraicis probe notus, accepto quippe Spiritu sancto, uti vers. 4. et 6. expresse effantur: „Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati (= baptizati) gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus sancti, — rursus renovari ad poenitentiam"; ergo mediate Christus hunc ritum instituit, Apostolis formam externam relinquens; sufficit enim, a Jesu Spiritum s. Apostolis Joan. 14, 16. 17. 26; C. 16, 7. 8. et omnibus fidelibus C. 7, 39. promissum fuisse; consequenter Apostoli Jesu

institutioni ac praecepto convenienter egerunt, si Spiritum s. fidelibus communicarent.

B) *Traditio* a) ss. patres hoc sacramentum clarissimis insigniunt titulis; dicitur 1) signatio Tertull. de resurrect. carn. C. 8; 2) signaculum dominicum Cyprian. ad Jubaj.; 3) signum spirituale, mysterium Ambros. de sacrament. lib. 3. C. 1. et 2; 4) sacramentum chrismatis, visibilium signaculorum sacramentum, Augustin. contr. lit. Petilian. lib. 2. C. 104; 5) signum et nota regia Theodoret. de queis infra.

b) Concil. 1) Constantinop. 1. oec. 2. sacramentum istud vocat signaculum Dei, signaculum spirituale. — 2) Trident. sess. 7. de confirm. Can. 1: „Siquis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum; — anathema sit."

§. 54.

II. Essentia confirmationis seu materia et forma.

A) *N. T.* 1) Manuum impositio (ἐπιθεσις των χειρων) expresse nominatur Act. 8. et 19., qua indicatur, manus ambas neo-confirmando impositas fuisse et quidem tactu immediato, cum tempore Jesu et Apostolorum is ritus ad hunc modum usitatus fuerit.

2) Unctio in s. scriptura non commemoratur; attamen ex eo, quod de ea non fit mentio, non sequitur, eam in usu non fuisse, cum plura adhuc in s. scriptura non sint literis exarata; plus quam probabiliter in hunc ritum et in hanc materiam cum manuum impositione conjunctam tendunt duo haec loca 2 ad Cor. 1, 21. 22: „Qui confirmat (βεβαιων, confirmans; inde confirmatio) nos vobiscum (text. gr. ὑμας συν ἡμιν, vos nobiscum, quod idem est) in Christo (text. gr. εἰς Χριστον, in Christum) et qui unxit (χρισας, ungens) nos Deus: qui et signavit (σφραγισαμενος, obsignans) nos et dedit pignus

Spiritus in cordibus nostris" cfr. ad Eph. 1, 13. 14. et 1 Joan. 2, 20: „Vos unctionem (χρισμα) habetis a Sancto (ἀπο του ἁγιου) et nostis omnia" cfr. v. 27; quomodo Apostoli his vocibus uti potuerint, quin ritus unctionis externus simul in usu fuisset, non est intelligendum; hinc in praxi manuum impositio et unctio chrismatis conjunguntur, et si posterior omissa fuerit, est supplenda.

3) Oratio ante manuum impositionem facta legitur, eo fine, ut Spiritum sanctum baptizati acciperent Act. 8, 15. 17.: „Oraverunt (προσηυξαντο) pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. — Tunc (τοτε) imponebant manus super illos"; ergo et oratio ad essentiam confirmationis requiritur, et quidem, ut hujus sanctae actionis finis attingatur tum oratio antecedens super omnes neoconfirmandos prolata, tum verba in unctione chrismatis expressa, iisque baptizatos praesto esse oportet.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertullian. de bapt. C. 7: „Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant — dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum s." cfr. de resurr. carn. C. 8. — 2) Cyprian. ad Jubajan.: „Quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis (Samaritanis baptizatis) habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus s., quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in ecclesia baptizantur, per praepositos ecclesiae offerantur et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur" — epp. lib. 1. ep. 12: „Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei — possit" — 3) Firmilian. epist. apud Cyprian. 75: „Nisi his episcopis — minor fuit Paulus, ut hi quidem possint per solam manus impositionem venientibus haereticis dare Spiritum sanctum,

Paulus autem idoneus non fuerit, qui ab Joanne baptizatis Spiritum s. per manus impositionem daret, nisi eos prius etiam ecclesiae baptismo baptizasset." — 4) Cyrill. Hieros. catech. 21. mystag. 3: „Vobis, postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus." — 5) Pacian. serm. sive ep. de bapt.: „Lavacro peccata purgantur; chrismate sanctus Spiritus superfunditur, utraque vero ista manu et ore antistitis impetramus; atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo." — 6) Greg. Naz. orat. 40. in s. bapt.: „Si tu antevertens per baptismum te ipsum obfirmaveris ac praeclarissimo et firmissimo auxilio tibi in futurum caveris animum scilicet et corpus unctione et Spiritu consignans — quid tibi accidet aut quod tibi praesidium comparatum erit!" — 7) Ambros. de sacram. lib. 3. C, 1: „Accipis mysterium, hoc est, unguentum supra caput." — C. 2: „Quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur" cfr. de spir. s. lib. 1. C. 6. — 8) Hieron. adv. Lucifer. C. 4: „An nescis, ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur et ita invocetur Spiritus s.? Exigis, ubi scriptura sit? In actis Apostolorum" cfr. in Ps. 67. — 9) Augustin. de bapt. lib. 3. C. 16: „Neque aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum s. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant" cfr. tract. in ep. 1. Joan. tr. 6. — 10) Theodoret. in ep. ad Hebr. C. 6: „Qui crediderunt, — accedunt ad divinum baptismum et per manum sacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt" — in cant. cant. lib. 1: „Qui initiantur (scil. per baptismum), post satanae abnegationem et Dei confessionem, veluti signo et nota quadam regia spiritualis unguenti chrismate inuncti."

In his locis citatis tria confirmationis requisita occurrunt:

a) manuum impositio, Cyprian. Firmilian. Hieron. August.; per benedictionem, Tertull.; quae vulgo dicitur manus sacerdotalis, Theodoret.; manus antistitis, Pacian.;

b) unctio, Cyprian.; cum oleo, Tertull.; unctio et spiritus, Greg. Naz.; unguentum, Ambros.; seu chrisma, Cyrill. Hieros. Pacian. spiritualis unguenti chrisma, Theodoret.;

c) oratio, Cyprian. August.; invocato Spiritu s.; Tertull. Cyprian. Hieron.; idquod significat: os antistitis, Pacian.; invocatio sacerdotis, Ambros.;

b) Concilia 1) Constitut. apostol. lib. 7. C. 44: „Postquam vero baptizaverit, — ungat unguento chrismatis, inquiens: Domine Deus etc. — C. 45: „Haec atque alia his consentanea dicat. Haec est enim vis manus impositionis (ἡ δυναμις της χειροθεσιας) in unoquoque (qui baptizatur); nisi enim unicuique eorum talis invocatio a pio sacerdote adhibeatur; in solam aquam descendit, qui baptizatur, ut Judaei, ac corporis tantum sordes, non autem animae deponit." — 2) Concil. Arelat. 1: „Placuit, ut, si ad ecclesiam aliquis de haeresi venerit, — et perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu s. esse baptizatum, manus ei imponatur, ut accipiat Spiritum s." — 3) Lugdunens. 2. anno 1274. in Michael. paleol. imper. literis: „Tenet ac docet s. rom. ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta: — aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismantes renatos." — 4) Florent. in decret. Eugen. P. 4: „Confirmationis materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, qui odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus s." ergo requiruntur ad essentiam sacramenti confirmationis haec tria: manuum impositio, unctio et oratio.

§. 55.

III. Effectus confirmationis.

A) *N. T.* Effectus confirmationis sunt

1) communicatio Spiritus sancti; ergo adest gratia sanctificans Act. 8, 17. 18: „Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum (ἐλαμβανον πνευμα ἁγιον). Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus (διδοται το πνευμα το ἁγιον), obtulit eis pecuniam.“ — C. 19, 6: „Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos (ἠλθε το πνευμα το ἁγιον ἐπ αὐτους)“; haec communicatio Spiritus sancti fuit effectus internus, non solum donum linguarum Act. 2, 4. prophetiarum C. 19, 6. sanitatis, miraculorum 1 ad Cor. 12: nam a) quotiescunque de Spiritu sancto effuso sermo est; hoc indicat gratiam sanctificantem; ergo aliquid internum, quod in homine efficitur, homini communicatur Act. 10, 44—48; C. 11, 4. 15; b) hic de gratia speciali sermo est, cum inter gratiam baptismi et inter gratiam confirmationis magnum sit discrimen, Apostolis quippe baptizatos interrogantibus, num Spiritum sanctum accepissent; c) testante s. Petro Act. 5, 32; C. 10, 44., si fideles per Spiritum sanctum id, quod Apostoli, impetrarunt; certissime majus quidquam et excellentius fuit, quam donum miraculorum et caetera dona externa, quae non omnibus necessaria erant; consequenter specialis et efficacior gratia, scilicet cognitio rerum divinarum, virtus et constantia in perferendis ob fidem persecutionibus et calamitatibus; inde ait s. Paulus ad Rom. 5, 5: „Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis“, varios Spiritus s. effectus 1 ad Cor. 12, 1—14. enumerans; insuper observandum erit, quod donum externum supponat donum internum; d) etiamsi dicas: gratia sanctificans minime per confirmationem conferri potest; vel enim illa gratia

a gratia baptismi differt, ergo non sanctificans, vel non differt, ergo superflua; nam notandum est, gratiam genere quidem eandem esse, sed specie diversam et nisi diversa fuisset gratia, missio Petri et Joannis ad Samaritanos absque omni consilio ac fine fuisset; hinc a Deo fonte gratiarum inexhausto datur quoddam gratiae augmentum, et confertur gratia ad finem specialem, ut in ordine, de quo infra;

2) character indelebilis ad Eph. 1, 13. 14: „Credentes signati estis (ἐσφραγίσθητε) Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae, in redemtionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius.“

Ex effectibus patet, hoc sacramentum pro omnibus fidelibus et pro omni tempore institutum, et, quod sequitur, necessarium esse; nam a) a s. Paulo manuum impositio inter doctrinas elementares refertur et Apostoli eorumque successores stricte et universaliter, donis miraculorum licet cessantibus, hoc ritu usi fuerunt; b) baptizati dono coelesti supernaturali exornantur; c) ad dispensandum hunc ritum Apostoli proprias missiones, ad baptizatos confirmandos, ordinaverunt.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. de bapt. C. 7: „In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur“ — de resurr. carn. C. 8: „Caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.“ — 2) Cyprian. ad Jubajan.: „Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in ecclesia baptizantur, — per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur“ — epp. lib. 1. ep. 12: „Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatur, ut accepto chrismate — habere in se Christi gratiam possit.“ — 3) Cyrill. Hieros. catech. 21. mystag. 3. C. 3: „Dum unguento visibili inungitur corpus, sancto

et vivifico Spiritu anima sanctificetur (τῳ δε ἁγιῳ και ζωοποιῳ πνευματι ἡ ψυχη ἁγιαζεται):" — 4) Ambros. de sacram. lib. 3. C. 1. et 2: „Sequitur spirituale signaculum, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Spiritus sanctus infunditur, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus sancti timoris." — 5) Augustin. de bapt. lib. 3. C. 16: „Invisibiliter et latenter intelligitur per vinculum pacis (in manus impositione) eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere: quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum s., qui datus est nobis" cfr. tract. in 1 ep. Joan. tr. 6. — 6) Theodoret. in ep. ad Hebr. C. 6: „Qui crediderunt, accedunt ad divinum baptismum, et per manum sacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt" — in cant. cant. 1, 3: „Spiritulalis unguenti chrismate inuncti sub ea visibili unguenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt, ergo secundum ss. patres confirmationis effectus sunt

a) unctio spiritualiter proficit, Tertull.; et ad perfectionem fit, Ambros.;

b) ea animus confirmatur, Tertull.; et divina charitate inspiratur, August.;

c) confirmatus Spiritu illuminatur, Tertull.; et sanctificatur, Cyrill. Hieros.; gratiam Dei habens, Cyprian.; seu accipiens Spiritum s., Spiritus sancti gratiam, Cyprian. Theodoret.; qualis sit hic Spiritus, eleganter exponit, Ambros.

b) Concilia 1) constitut. apost. lib. 7. C. 44. et 45: „Ungat eum unguento chrismatis dicens: Domine Deus — praesta, ut unguentum hoc (chrismatis) in baptizato efficax efficiatur (ἐνεργες γενεσθαι), ut bonus odor Christi tui firmus et omni parte sanctus in eo maneat, et Christo commortuus, idem sit consuscitatus ac convivificatus ipsi." — 2) Concil. Eliberit. anno 305. can. 38. mandat,

ut in necessitate fidelis baptizet, ita, ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducat (fidelis), ut per manus impositionem perficere (aliis: perfici) possit"; confirmatio enim perfectio vocatur Christianorum. — 3) Laodic. sub P. Sylvest. can. 48. respectu necessitatis definit: „Quod oportet (δεῖ) eos, qui illnminantur, post baptisma inungi super coelesti chrismate." — 4) Florentin. in decret. Eugen. 4: „Per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide. — Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus s. ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen." — 5) Trident. sess. 7. de confirm. can. 2: „Siquis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit." — Respectu characteris indelebilis definit idem concil. sess. 7. de sacram. can. 9: „Siquis dixerit, in — confirmatione — non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile; — anathema sit."

§. 56.

IV. Minister legitimus seu dispensans confirmationem.

A) *N. T.* Minister legitimus et ordinarius est episcopus, cum Apostoli soli fidelibus baptizatis manus imponere et gratiam Spiritus s. conferre potuerint, nec Philippus diaconus (ergo non antistes) Act. 8. hanc gratiam communicare valuerit, licet ecclesiam Samaritanam fundasset; neque huc referenda erit manuum impositio per Ananiam Saulo applicata Act. 9, 17., quippe quae tantum effecit, ut visum reciperet Saulus, non gratiam internam spiritualem; ergo successores Apostolorum ea potestate, ea praerogativa insigniti sunt, et presbyteros hunc ritum dispensasse, in s. scriptura nullibi fit mentio; consequenter iis potestas hunc ritum exercendi ordinarie et legitime non competit.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Cyprian. ad Jubaj. jubet: „Ut, qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae (= episcopis) offerantur." — 2) Firmilian. ad Cyprian. apud Mansi tom. 1. pag. 914: „In ecclesia praesident majores natu (= episcopi, ut statim sequitur), qui manum imponendi possident potestatem." — 3) Chrysost. hom. 18. in act. C. 8: „Hoc donum (Spiritum s. dare) solorum Apostolorum erat. — Hoc erat in Apostolis singulare, unde et praecipuos (κορυφαίους = episcopos) et non alios videmus hoc facere" cum quo loco et ille hom. 11. in ep. 1 ad Tim. conferri debet. — 4) Innocent. P. ep. 1. ad Decent. C. 3: „De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo fieri licere." — 5) Augustin. de trin. lib. 15. C. 26. vocat „hoc jus episcoporum antiquum morem ab Apostolis traditum, — quem morem in suis praepositis (= episcopis) etiam nunc servat ecclesia." — Si qua loca occurrant, ubi presbyteri potestatem manus imponendi jure ordinario exercuisse leguntur; plerumque de manuum impositione reconciliatoria intelligendum est (aliter Dr. Brenner), de qua hic disserere, cum sit historiae objectum, extra sphaeram hujus compendii est; presbyteros quidem simplices potestatem istam jure extraordinario et delegato exercere posse, probat praxis ecclesiae graecae, quae tamen in ecclesia romana nunquam valuit, nec unquam valebit.

b) Concilia 1) Eliberit. can. 38: „Episcopus" vide supra. — 2) Florentin. in decret. Eugen.: „Ordinarius minister est episcopus." — 3) Trident. sess. 7. de confirm. can. 3: „Siquis dixerit, s. confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit."

§. 57.

V. Subjectum seu accipiens confirmationem.

A) *N. T.* Secundum acta Apostolorum C. 8. et 19. hoc sacramentum accipere possunt

1) bapti-

1) baptizati; nemo enim ecclesiae commodorum particeps esse potest, nisi ad hanc initiatus fuerit, quod fit per baptismum, quo collato baptizatus ad Christianum perfectum confirmatur, ergo etc.

2) baptizati utriusque sexus, etiam infantes Act. 8. cum plerumque confirmatio cum baptismo simul collata fuit et effectus tum baptismi, tum confirmationis ex defectu rationis nullatenus tollitur; attamen melius et consultius est, hoc sacramentum (nisi necessitas urgeat) nonnisi plena ratione et aetate conveniente praeditis conferri.

B) *Traditio*; en ss. patres 1) Innocent. P. ep. 1. ad Decent. C. 3: „De consignandis infantibus etc.“ ut supra. — Hieron. adv. Lucifer.: „In ecclesia baptizatus nisi per manus episcopi non accipit Spiritum sanctum.“ — 3) Greg. M. epp. lib. 10. ep. 45. ad eccles. Clusin. episc: „Praeterea ecclesiis, ad quas sine labore potestis accedere, fraternitas vestra officium visitationis impendat, ut ii, qui illic Deo propitio baptizantur, inconsignati non debeant remanere“ et loca supra citata. — Ex praxi ecclesiae elucet, baptizatos utriusque sexus plenum rationis usum adeptos praevia dispositione et institutione ab episcopo confirmari et infantes ratione plena nondum praeditos, licet in ecclesia graeca iis conferatur confirmatio, merito et non sine causis gravissimis excludi.

Caput V.

III. Eucharistia.

§. 58.

Symbola eucharistiae in V. T. notanda sunt:

1) Man-hu sive Manna, panis Israelitis in deserto suppeditatus Ex. 16, 15. 16: „Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Man-hu (מָן הוּא), Vulg.

addit explicationem:) quod significat, quid est hoc? ignorabant enim, quid esset. Quibus ait Moyses: iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum (הוּא הַלֶּחֶם אֲשֶׁר נָתַן יְהוָה לָכֶם לְאָכְלָה“;

2) panes propositionis Exod. 25, 30: „Et pones super mensam panes propositionis (לֶחֶם פָּנִים) in conspectu meo semper“;

3) panes oblationis Lev. 24, 5. 7. 8. 9: „Accipies quoque similam et coques ex ea duodecim panes (חַלּוֹת, placentas) — et pones super eos (text. hebr. עַל־הַמַּעֲרֶכֶת, per ordines) thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini (לַלֶּחֶם לְאַזְכָּרָה אִשֶּׁה לַיהוָה, in panem in memoriale oblationis Domino). Per singula sabbatha mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel foedere sempiterno; eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini (מֵאִשֵּׁי יְהוָה) jure perpetuo“;

4) symbolum eucharistiae valere potest agnus paschalis Exod. 12, 3. 6. 7. 8. 11—15. cfr. 1 ad Cor. 5, 7.

Eucharistia in N. T. est sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini realiter contentorum ad spiritualem animarum nostrarum refectionem et ad recolendam dominicae passionis memoriam a Christo institutum.

I. Promissio instituendae eucharistiae a Jesu facta.

A) *N. T.* Promissio instituendae eucharistiae a Christo Jesu jam facta est Joan. 6, 51—60; nam v. 1—26. agitur de saturatione quinque mille hominum; v. 26—51. de saturatione Israelitarum in deserto per manna; v. 51—60. agit Jesus de proprio cibo suo, de proprio corpore et sanguine suo ad fruitionem tempore subsequente suppeditandis; id quod probatur

1) ex charactere et indole Jesu, ex qua elucet, ipsum hic ita se gessisse, uti in caeteris ritibus institutis et actibus gravissimi momenti, iisque praedictis v. g. de passione, morte et resurrectione Matth. 20, 19; de baptismo Joan. 3, 5; de missione Spiritus s. Joan. 14, 26. 29; Jesus enim juxta morem orientalem nonnunquam occasionem sumsit, ex objectis vulgaribus et naturalibus ad objecta spiritualia et supernaturalia ascendendi ac de iis prolixe tractandi;

2) ex contextu ipso v. 51: „Ego sum panis vivus (ὁ ἀρτος, ὁ ζων), qui de coelo descendi“ — v. 52: „Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis (text. gr. και ὁ ἀρτος δε = at quoque, vel: nunc autem panis), quem ego dabo (δωσω; ergo actus futurus) caro mea (ἡ σαρξ μου) est pro mundi vita.“ Jesus indigitat voce: δωσω momentum gravissimum, in quo actum hunc celeberrimum cum Apostolis suis celebrare intendit, et intelligit, sub carne corpus suum addens haud absque consilio: pro mundi vita, in text. gr. ἡν ἐγω δωσω ὑπερ της του κοσμου ζωης, quam ego dabo pro mundi vita“ — v. 53: „Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?“ Judaeis effatum Jesu sic paradoxum videbatur, ut de eo inter se rixantes verba ejus de carne in sensu literali intelligerent; nihilominus Jesus eos non refutat aut meliora edocet, sed potius verba praecedentia, in verbis gravioribus, confirmat dicendo v. 54: „Amen, amen dico vobis; nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis (text. gr. ἐχετε, habetis) vitam in vobis“; consequenter Jesus non rejecit sensum Capharnaitarum, de naturali corporis et sanguinis fruitione intelligentium, sed tantummodo sensum crudum et rudem, quem hi verbis Jesu substernebant; hinc addit v. 55: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego

resuscitabo eum in novissimo die v. 56: „Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus (ἡ γαρ σαρξ μου ἀληθως ἐστι βρωσις, και το αἱμα μου ἀληθως ἐστι ποσις)"; hic expresse nominantur partes materiales caro et sanguis, ex quibus apparet, non esse amplius dubium, quin Jesus de reali fruitione corporis et sanguinis sui aliquando suscipienda dixerit, ad quod magis confirmandum porro ait v. 57: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo" — v. 58: „Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me" — v. 59: „Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (ζησεται εἰς τον αἰωνα)"; Jesus neutiquam de esu carnis suae et de potu sanguinis sui loqui, neutiquam carnem suam cibum, sanguinem suum potum dicere potuisset, nisi utrumque sub speciebus panis et vini praesto esset; his enim sublatis nil esset, quod comederetur, et biberetur;

3) ex verbis subsequentibus et effectibus inde oriundis, cum discipulis ipsis verba Jesu paradoxa viderentur dicentes v. 61: „Durus est hic sermo, et quis potest eum audire (= intelligere)" et v. 67. dicatur: „Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro et jam (οὐκετι, amplius) non cum illo ambulabant"; at Jesus ne syllabam quidem revocans sensum literalem intellectum ac retentum vult; nec verba v. 64: „Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum (λαλω, loquor) vobis, spiritus et vita sunt" destruunt sensum priorem; nam caro hic nil aliud significat, nisi aut corpus hominis et externam, visibilem speciem in opposito spiritus et interni, invisibilis principii, aut sensuale sacrificii mosaici servitium, et exprimitur nil aliud, nisi hoc: quod doctrina Jesu longe aliam vim ac

lex mosaica et manna, quae quasi mortua erant, exserit et efficit, homines scilicet sensuales, rudes et imperfectos mutans in spirituales, illuminatos et Deo placentes ac procurans vitam aeternam: huc accedit elogium s. Petri, qui multis licet discipulis retro abeuntibus Jesu interroganti duodecim v. 68: „Nunquid et vos vultis abire?" in nomine horum et coram praesentibus respondit palam exclamans v. 69. et 70: „Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei (text. gr. addit: του ζωντος, viventis, vivi)";

4) ex conjunctione verborum promissionis cum verbis institutionis seu actus realis, cum historia institutionis quaevis dubia in loco Joan. 6. occurrentia dispergit, et clavem suppeditat, hoc caput Evangelistae Joannis in sensu sano intelligendi

B) *Traditio* a) ss. patres, verba Joan. 6, 51—60. de corpore et sanguine Jesu Christi intelligenda esse, expresse effantur 1) Hilar. de trin. lib. 8: „Ipse enim ait: caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo." — 2) Ambros. de fide lib. 4. C. 5. commentatur in vers. Et qui manducat me, et ipse vivet propter me. — 3) Hieron. in Is. C. 6. commentatur in Joan. C. 6. — 4) Augustin. tract. in Evang. Joan. tr. 26. prolixius explicat Joan. C. 6. — 5) Cyrill. Alex. in comment. in Joan. lib. 3. C. 36—40. tunc. lib. 4. C. 1—20. elegantissime in Joan. C. 6. commentatur. — 6) Theophylact. enarr. in Marc. C. 14: „Non enim figura Domini corporis panis est, sed in illud ipsum Christi corpus datur. Et Dominus ait: panis, quem ego dabo, caro mea est, et iterum: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis."

b) Concilia 1) Nicaen. 2, anno 787, tom, 3. lect. Epiph. Diac.: „Neque enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt evangelice dicentem eum: nisi manducaveritis etc.“ — 2) Trident. sess. 13. de s. euchar. Cap. 2: „Sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, et ipse vivet propter me.“

§. 59.

II. Institutio eucharistiae.

A) *N. T.* Institutio eucharistiae a tribus Evangelistis et ab Apostolo Paulo conformiter narratur et confirmatur Matth. 26, 27. 28: „Coenantibus autem eis accepit Jesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit; et dedit illis dicens; bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.“ — Marc. 14, 22. 23. 24: „Et manducantibus illis accepit Jesus panem et benedicens fregit et dedit eis et ait: sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.“ — Luc. 22, 19. 20: „Et accepto pane gratias egit et fregit et dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens; hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur“; horum versuum explicatio haec est: coenantibus vel manducantibus autem eis, *ἐσθιοντων δε αὐτων*, postquam coenavit, *μετα το δειπνησαι* = post coenasse; paschali convivio juxta praescriptum Moysis Exod. 12. nondum penitus absoluto, sed adhuc inter celebrandum, accepit Jesus panem scil. azymum (*ἄζυμον*) Matth. 26, 17. vel placentam

azymam; ergo haec actio sequens a paschali convivio omnino separanda est, cum Jesus iterum panem distribuit, qui antea jam fuerat distributus; et benedixit, *εὐλογησας*, benedicens = *εὐχαριστησας*, gratias agens, sic Luc.; inde nomen *εὐχαριστια*, ac fregit more orientali in frustra, deditque discipulis suis duodecim, Juda utique praesente, et ait: accipite et comedite; en mandatum expressum: hoc, *τουτο*, hoc, quod ante vos habetis, et quo frui vos jubeo, est, *ἐστι*, quod in hebraico vulgo omittitur, corpus meum, *το σωμα μου*, vere, realiter et essentialiter seu substantialiter = גופי הוא, corpus meum hoc; addente Luca: quod pro vobis = in vestram salutem datur, *το ὑπερ ὑμων διδομενον*, datum et dicente Paulo 1 ad Cor. 11, 24: *το ὑπερ ὑμων κλωμενον*, quod pro vobis frangitur, sive, ut Vulg. legit, tradetur; Lucas apponit: hoc facite in meam commemorationem (en infra). Et accipiens calicem, vino repletum quinquies, cum quater in convivio circumferri debuit; gratias egit et dedit illis dicens: bibite, ex hoc omnes; en mandatum expressum, Marco historice tantum dicente; et biberunt ex eo omnes: hic est enim sanguis meus, *τουτο γαρ ἐστι το αἱμα μου*; particula: enim, *γαρ* hic praecipue notanda ceu particula conjunctiva et declaratoria, novi testamenti, *το της καινης διαθηκης*, in opposito veteris testamenti, vel oeconomiae mosaicae ad Gal. 4, 24; ad Hebr. 9, 15. Lucas idem ait: hic est calix (continens pro contento) novum testamentum in sanguine meo; qui pro multis effundetur, *το περι πολλων ἐκχυνομενον*, text. gr. in praesenti = funditur, quod idem est; Lucas: pro vobis, *ὑπερ ὑμων*; in remissionem peccatorum.

Verba: „Hoc est corpus meum, — hic est sanguis meus" in sensu proprio ac literali sumenda esse, probatur

1) ex facto ipso

a) cum ipsa rei natura et gravitas ejusque finis sensum allegoricum neutiquam permittunt, permansuro quippe

in aeternum hoc foedere novi testamenti; nec a sensu literali prius recedendum, nisi absurdi quidpiam aut immorale ex eo sequitur; jam vero in hoc casu non est posterius; ergo etc.

b) haec actio jam dudum praenuntiata considerari debet tanquam pars essentialis instituti a Jesu ordinati;

c) huic actioni Joan. 16. et 17. oratio solennis praecedit quasi praeparatio ad eucharistiam; ergo actus a convivio praecedenti omnino diversus ac separatus, consequenter distinctus, extraordinarius et sanctus;

d) non tantum de corpore, pro salute hominum tradendo, est sermo, sed etiam de sanguine in remissionem peccatorum effundendo;

e) Apostolis corpus et sanguis ad fruendum offertur; ergo non figura tantum, sed vere realiter et essentialiter corpus et sanguis offertur; sensus enim allegoricus a propositione Christi longissime diversus est, et verba institutionis cum verbis promissionis intime connexa cohaerent; jam vero in his nulla existit allegoria; ergo et in illis nulla existere potest et debet;

f) in baptismo, poenitentia etc. Jesus verbis quodammodo allegoricis utitur; at his in locis omnia sunt plana et aperta, ita, ut ne minimum quidem existere possit dubium.

2) Ex persona Christi

a) Jesus expresse Joan. 16, 23—31. se paucos intra hos dies ante mortem non allegorice locuturum, ante instituendam eucharistiam discipulis promisit, quod et revera accidit, quidquod discipuli jam erant edocti, Christum sibi corpus suum ad manducandum et sanguinem ad bibendum daturum esse, sicque initiati gravibus religionis mysteriis; en Matth. 11, 25; C. 16, 16. 17; Joan. 6, 69. 70;

b) hanc doctrinam Joan. 6. gravissimi momenti proposuit Jesus; ergo monumentum solum aeternum sibi

erigere noluit, sed plus quidquam dare, corpus scilicet suum et sanguinem suum dare constituit;

c) ante convivium et in eo et post ipsum de passione et morte corporis sui aperte Jesus locutus fuit, nec in figura, nec in aenigmate; si enim figuram tantum corporis sui indicando dare voluisset, aequivocatione perniciosissima usus fuisset, quae facillime ad errorem et idololatriam perducere posset; addendo quoque verba: vere et proprie, veritati non magis accessisset pondus, ac sine hac additione iis accrescit, sicuti alibi dicit Joan. 10, 30: „Ego et Pater unum sumus", quin addatur: vere et proprie; insuper sapientiae divinae minime consentaneum fuisset, homines in objecto religionis gravissimo in errore versari permittere;

d) Jesus ex hac vita discessurus et ad Patrem ascensurus, sejungendus a suis, ecclesiam sanctificare intendens institutum permanens pro omni saeculo constituit, ut fideles hoc cibo divino satiati sanctificarentur sicque vitam aeternam aliquando haereditarent; num hanc sanctificationem symbolum quoddam aut figura quaedam etc. efficere et procurare potest? Ergo non solus baptismus est unicum a Jesu institutum symbolum (contra de Wette);

e) verba institutionis sunt verba testatoris, quae distincta, intelligibilia et in sensu proprio accipienda sint oportet, foedus enim novi testamenti in opposito veteri testamento aut oeconomia mosaica erigitur.

3) Vis argumenti est harmonia trium Evangelistarum, ipsissima Jesu verba recitantium; omnes enim Apostoli jam Joan. 6. ad hunc actum praeparati Jesum de sensu verborum minime interrogaverunt; hinc nullus Evangelista quidquam de sensu figurali locutus, sed verba Jesu ita, uti ab eo pronuntiata sunt, scriptis tradidit; quidquod harmonia horum trium Evangelistarum per-

fecta et fere literalis est, separata penitus hac actione a praecedenti convivio.

4) Commentarium optimum de his locis suppeditat s. Apostolus Paulus cum tribus Evangelistis harmonice referens 1 ad Cor. 11, 23. 24. 25: „Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit et dixit: accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur (text. gr. κλωμενον, frangitur); hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: hic calix novum testamentum est in meo sanguine (allusio ad Exod. 24, 8. et ad Hebr. 9, 20., queis verbis vetus testamentum tollitur): hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem" cfr. v. 27—31; alius locus s. Pauli est in eadem epistola cap. 10, 16. 17: „Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio (κοινωνια) sanguinis Christi est, et panis, quem frangimus, nonne participatio (κοινωνια, communio) corporis Domini (text. gr. του Χριστου) est? Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus; omnes, qui de uno pane participamus"; ergo panis et calix = vinum in calice, corpus et sanguis sunt objecta realia, externa, non idealia; ad quid enim communicatio et participatio, quae solam cogitationem de iis objectis penitus excludit? insuper vox: κοινωνια realem et veram conjunctionem rerum realium extra hanc connexionem simul existentium exprimit; consequenter id, cum quo quis in communionem venit aut in ea versatur, semper aliquid extra eum positum, nec ab eo, sed aliunde proveniens esse debet; en loca parallela, ubi vox: κοινωνια hunc significatum obtinet Luc. 5, 10; 2 ad Cor. 13, 13; ad Phil. 3, 10; ad Hebr. 2, 14; 1 Joan. 1, 6. 7. collata cum verbis institutionis Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Sensu horum locorum bene intellecto objectiones facillime solventur; nam

1) etsi impossibilitas eucharistiae videatur; non interest, possibilitatem declarare, sed interrogare, utrum consilium Jesu fuerit, ritum tam excellentem, tam insignem instituere, juxta notum illud adagium: Non curamus dogmaticum, sed practicum; sunt enim multa alia Jesu effata, quae discipulis videbantur paradoxa v. g. praedictio passionis, mortis, resurrectionis; sic et in hac doctrina; quis, quaeso, mortalium novit terminos potentiae et sapientiae divinae; nec haec doctrina contradicit revelationi, aut conceptui de Deo, cum Deus se manifestare possit, sive fiat per angelum, sive per ignem, sive sub speciebus panis et vini; modum non curamus; num hoc, quod supra captum nostrum, etiam impossibile est? Nec miracula multiplicari objiciatur, cum creatio continua et conservatio mundi etiam miraculum sit permanens.

2) Non negandum, loca plurima in s. scriptura esse, quae similibus verbis uti in instituenda eucharistia gaudent; nihilotamen minus iisdem subjaceat sensus allegoricus v. g. in V. T. Gen. 17, 10. 11; C. 41, 26. 27; Ex. 12, 11. 27; C. 13, 8. 9; Is. 40, 6; Ezech. 12, 10. 11; C. 37, 11; Dan. 2, 38; C. 7, 17; in N. T. Matth. 13, 37—40; Joan. 10, 7. 9; C. 15, 1; Act. 10, 17; 1 ad Cor. 10, 4; ad Gal. 4, 25. 26. 27; Apoc. 1, 11; at omnia haec loca longe diversa sunt a verbis institutionis eucharistiae; si enim Jesus allegorice locutus fuisset; nulla adesset, connexio praedicati cum subjecto; jam vero intima praedicati cum subjecto adest connexio; ergo omnis figura tollitur et id, quod hic indicatur, praesens est et sub oculos cadit nec indiget repraesentatione symbolica.

3) Id ipsum, quod Apostoli verbis Jesu nil objecissent, est signum, illos sensu mysterioso et sanctissimo occupatos verba Jesu ea, qua protulit, significatione accepisse, nec explicatione horum verborum Apostolis opus fuisse; et si Joannes de institutionis verbis altum teneat silentium, in capite tamen sexto, uti supra dictum, satis

prolixe tacentibus caeteris Evangelistis de hoc ritu agit; sufficiat, quod orationem ante hoc institutionis actum a Jesu habitam in scriptis suis legendam nobis reservaverit.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Ignat. ad Philadelph. C. 4: „Una est — caro Domini Jesu et unus ejus sanguis, qui pro nobis effusus est, unus etiam panis pro omnibus confractus et unus calix totius ecclesiae" cfr. ad Rom. C. 7. — 2) Justin. apoc. 1. (al. 2.): „Alimentum hoc apud nos appellatur eucharistia (εὐχαριστια). — Non ut communem panem, neque communem potum ista sumimus; sed — per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam, unde sanguis et carnes per mutationem (κατα μεταβολην, non per digestionem, ut Ernesti interpretatur) aluntur, illius incarnati Jesu et carnem et sanguinem (και σαρκα και αἱμα) esse edocti sumus." — 3) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 32: „Suis discipulis dans consilium — eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: hoc est corpus meum et calicem similiter, qui est ex creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est" cfr. C. 33. et 34; lib. 5. — 4) Tertull. adv. Jud. C. 10: „Sic — Christus revelavit, panem corpus suum appellans, cujus retro corpus in panem prophetes figuravit" — adv. Marc. lib. 5. C. 8: „Proin de panis et calicis sacramento jam in Evangelio probavimus (lib. scil. superiore) corporis et sanguinis dominici veritatem" cfr. lib. 4. C. 40; de resurr. carn. C. 8. — 5) Hilar. de trin. lib. 8: „Ipse ait: caro mea vere est esca et sanguis meus vere est potus. — De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus; nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est." — 6) Ephrem Syr. adv. scrutat.: „Certa plenissimaque fide sanctissimum agni immaculati, unigeniti Filii coelestis Patris corpus (το σωμα του ἀμνου του αἰωνιου του μονογενους υἱου του πατρος του οὐρανιου) manducat,

haud quaquam curiose divinam sanctamque fidem perscrutans. — Participa immaculatum corpus (σωματος ἀχραντου) et sanguinem (text. lat. addit: Domini tui) fide plenissima certus, quod agnum ipsum integre comedas (ὁτι αὐτον τον ἀμνον ἐσθιεις εἰλικρινως)." — 7) Basil. ep. 8. (al. 141.) apolog. de secess. ad Caesar. C. 4: „Edimus carnem ipsius et bibimus ipsius sanguinem, participes facti, per incarnationem et sensibilem vitam Verbi et sapientiae; carnem enim et sanguinem (σαρκα γαρ και αἱμα), totam suam mysticam in carne conversationem vocavit, et doctrinam ex practica et naturali et theologica notione constantem declaravit." — 8) Cyrill. Hieros. catech. 22. mystag. 4. C. 1. 2. 3. et 6: „Cum igitur ipse (Christus) pronuntiaverit et dixerit de pane: hoc est corpus meum; quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: hic est sanguis meus; quis unquam dubitaverit, ajens, non esse ejus sanguinem? — Et non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus et sanguinem suum fruenda donasse confitebimur? Quare cum omni persuasione corpus et sanguinem Christi sumimus. — Quamobrem ne tanquam nudis (elementis) pani et vino attende; sunt enim corpus et sanguis Christi (σωμα γαρ και αἱμα Χριστου) secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex gustu, sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse (σωματος και αἱματος Χριστου καταξιωθεις)." — 9) Greg. Nyss. orat. catech. C. 37: „Dictum est a Verbo: hoc est corpus meum (ὁτι τουτο ἐστι το σωμα μου)" — orat. in bapt. Christ.: „Panis item, panis est initio communis; sed ubi eum mysterium significaverit, corpus Christi dicitur et fit (σωμα Χριστου λεγεται τε και γινεται)." — 10) Ambros. de sacram. lib. 6. C. 1: „Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quam Filius ex substantia Pa-

tris; ita vera ejus caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus ejus sanguis est, quem potamus" cfr. lib. 4. C. 5. integr.; de initiand. C. 9. — 11) Epiphan. allegoricum explicandi modum Originis in comment. in Matth. et in orat. n. 27. refutans ait in ancorat.: „Videmus salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in Evangelio legitur: quod dixerit: hoc meum est hoc (τουτο μου ἐστι τοδε = hoc est corpus meum). — Nihilominus ex gratia pronuntiare voluit: hoc meum est hoc, neque quisquam est, qui ei sermoni fidem non adhibeat." — 12) Chrysost. hom. 83. in Matth. C. 26: „Quoniam ergo ille (scil. λογος) dixit: hoc est corpus meum; nulla teneamur ambiguitate, sed credamus et oculis intellectus id perspiciamus. — Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis (αὐτον ὁρας, αὐτον ἁπτῃ, αὐτον ἐσθεις); ipse vero se ipsum tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas et in te habeas" cfr. hom. 51: in Ps. 22. et 116; hom. 24. in 1 ep. ad Cor. C. 10. — 13) Hieron. in Eccl. C. 3: „Caro Domini verus est cibus, et sanguis ejus verus est potus; — hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne ejus cruoreque potemur" cfr. in Ezech. C. 41. et 45; in Matth. C. 26; ad Hedib. ep. 150. quaest. 2. — 14) Augustin. serm. 272: „Quod ergo videtis, panis est et calix, quod vobis etiam oculi nostri enuntiant. Quod autem fides nostra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi" cfr. enarr. in Ps. 33; contr. advers. leg. et prophet. lib. 2. C. 9; ad Bonifac. ep. 23. — 15) Cyrill. Alex. ep. ad Nestor.: „Ad mysticas accedimus benedictiones et sanctificamur, participes facti sanctae carnis pretiosique sanguinis servatoris nostri omnium Jesu Christi, nec ut communem carnem accipimus, absit, neque tanquam viri sanctificati, et verbo secundum dignitatis unitatem conjuncti, utpote velut divinam inhabitationem adepti, sed ut vere vivificatricem et ipsius Verbi propriam."

Summa locorum haec est:

a) ss. patres instituendae eucharistiae verba Matth. 26, 26. in sensu proprio ac literali intelligunt, Iren. Tertull. Cyrill. Hieros. Greg. Nyss. Epiphan. Chrysost.;

b) panis est caro Christi, Ignat. Justin. Greg. Nyss.; seu corpus Christi, Tertull. Ephrem syr. Augustin. Cyrill. Alex.; et quidem vere caro, vere corpus, Tertull. Hilar. Ambros. Hieron.; quod nobis fruendum donavit, Cyrill. Hieros.; et quod edimus, Basil. Cyrill. Hieros. Chrysost.; et cujus participes fimus, Cyrill. Alex.; ergo non est panis communis, Justin.; et caro communis, Cyrill. Alex.;

c) calix est sanguis Christi, Ignat. Justin. Cyrill. Hieros. Augustin.; et quidem vere sanguis, Tertull. Hilar. Ephrem Syr. Ambros. Hieron.; quem fruendum nobis donavit, Cyrill. Hieros.; quem bibimus, Basil. Cyrill. Hieros.; quo dignamur, Cyrill. Hieros.; et cujus participes fimus, Cyrill. Alex.; ergo non potus communis, Justin.

b) Concilia 1) Ephes. oecum. 3. ep. synod. Cyrill. Alex.: „Sanctificamur, participes s. corporis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum redemtoris effecti, non ut communem carnem percipientes, — sed ut vere vivificatricem et ipsius verbi propriam factam (ὡς ζωοποιον ἀληθως, και ἰδιον αὐτου του λογου).“ — 2) Nicaen. 2. tom. 3. lect. Epiphan. Diac.: „Liquide demonstratum est, quod nuspiam Dominus vel Apostoli aut patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, — sed ipsum corpus et ipsum sanguinem (αὐτο σωμα και αὐτο αἱμα) — post sanctificationem corpus et sanguis Christi dicuntur, sunt et creduntur (και εἰσι και πιστευονται).“ — 3) Lateran. 4: „Corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur.“ — 4) Constantiens. sess. 8. damnat articulum Wicleffi 3: „Christus non est in eodem sacramento identice et realiter in

propria praesentia corporali." — 5) Trident. sess. 13. Cap. 1. de euchar.: „Docet sancta synodus — post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, atque hominem vere (non symbolice), realiter (non idealiter), ac substantialiter (non solum quoad effectum, sed et quoad essentiam) sub specie illarum rerum sensibilium contineri"; inde can. 1: „Si quis negaverit, in sanctissimo eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem Christi, — anathema sit." — Haec doctrina gaudet praescriptione antiquissima et firma ac salva, a nemine impugnata permansit usque ad Berengarium, testante historia.

§. 60.

III. Essentia eucharistiae seu materia et forma.

A) *N. T.* 1) Materia eucharistiae est

a) panis et quidem α) triticeus, β) azymus Matth. 26, 17. in forma indefinita; alias panis usualis, a saec. 11. usque huc adhibetur massa minor, hostia nuncupata;

b) vinum Matth. 26, 29. et quidem α) naturale, de vite, β) mixtum aqua, ut in Oriente mos est et Christum in hoc actu sic egisse plusquam probabile est.

2) Forma est oratio sacerdotis et pronuntiatio verborum Christi, vi quorum fit transsubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Jesu Christi, influente vi et potentia sublimiori divina, quo facto cessat adesse panis et vinum et vere adest corpus et sanguis Christi; nam si panis et vinum remanerent; praedicatum et subjectum essent duo conceptus diversi; insuper nec admitti potest sensus: hic panis significat corpus meum, dicente expresse Christo: hoc est corpus meum; nec est aggregatum corporis et sanguinis Christi; ergo si panis et vinum existerent, prius, ut alterum de altero dici posset,

posset, moneri oportet, propositionem talem eo nec alio modo explicari et posse et debere; id quod institutionis verba penitus excludunt; sicuti etiam impanatio admitti nequit, cum dici posset: panis est natus, mortuus etc., quod esset absurdissimum; consequenter transsubstantiatio tanquam unice vera significatio hujus actus valet; hinc valere nequit

a) impanatio, id est, unio hypostatica;

b) consubstantiatio, id est, conjunctio, coexistentia substantiae panis et vini cum substantia corporis et sanguinis Christi (contra Luther. in libr. de captiv. babyl.);

c) Graeci admittunt μεταβολην, mutationem, transmutationem, de qua infra.

Transsubstantiatio

a) nec est rationi contraria, licet modum ignoremus; nam ob defectum pronuntiationis melioris vox alia eligi non potest, quin sequatur, falsam esse propositionem;

b) nec sensuum, qui fallunt, testimonium probare quidquam potest, interveniente quippe vi sublimiori divina et fide verbi Dei accedente, Christi quoque virtute et omnipotentia in sensus influente et animam nostram afficiente;

c) nec ex phaenomenis ad substantiam rei conclusio valet, cum alia sit existentia naturalis, alia sacramentalis; nec utrum substratum materiae prioris aut commune quid adsit, curamus; sufficit modo, conversionem fieri; hinc phaenomenon externum naturam ejus efficere nequit et quidem ea de causa, quia phaenomenon est;

d) nec impossibilitas transsubstantiationis ostendi nequit, cum objecta diversissima in ipso naturae regno cog-

nitionem nostram transcendant et supra captum humanum sint.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 1. (al. 2.): „Offertur panis et poculum aquae et vini.“ — 2) Iren. adv. haer. lib. 5: „Quando ergo et mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia.“ — 3) Cyprian. ep. 63. ad Caecil.: „Calix Domini non est sola aqua, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur“ — serm. de coen. Dom.: „Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus.“ — 4) Cyrill. Hieros. catech. 22. mystag. 4. C. 2: „Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Gallileae transmutavit (*μεταβεβληκε*) et eum parum dignum existimabimus, quum vinum in sanguinem transmutavit (*οἰνον μεταβαλων αἱμα*).“ — 5) Greg. Nyss. orat. catech. C. 37: „Corpus, Dei verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est dignitatem (*προς την θεικην ἀξιαν μετεποιηθη*). Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari (*εἰς σωμα του Θεου λογου μεταποιεισθαι πιστευομαι*).“ — 6) Ambros. de sacram. lib. 4. C. 4: „Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cujus sermonibus? Domini Jesu“ cfr. de initiand. C. 9. — 7) Chrysost. 2. hom. de prodit. Jud.: „Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo (dona) proposita consecrantur“ cfr. in Matth. C. 26; et hom. 51. in Matth. — 8) Augustin. serm. 227: „Panis ille, quem videtis, in altari, sanctificatus per verbum Christi corpus est Christi; calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per Verbum Dei sanguis est Christi.“ — 9) Joan. Damasc. theol. tract. C. 6: „Panis et vinum in Dei corpus et sanguinem convertuntur.“ — 10) Theophylact. in

Matth. C. 26: „Ineffabili operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis, — et ideo panis quidem apparet, sed caro est" cfr. in Marc. C. 14. — Hinc secundum doctrinam ss. patrum

a) respectu materiae panis et vinum aqua mixtum, Justin. Iren. Cyprian.;

b) respectu formae, per consecrationis verba fit corpus et sanguis Christi, Ambros. Chrysost. Augustin.;

c) respectu transsubstantiationis α) panis natura mutatus, Cyprian.; in carnem Christi transformatus, Theophylact.; in corpus Christi transmutatus, Greg. Nyss.; hinc corpus ad divinam dignitatem transmutatum, Greg. Nyss.; β) vinum in sanguinem transmutatum, Cyrill. Hieros.; γ) panis et vinum in corpus et sanguinem Dei convertuntur Joan. Damascen.

b) Concilia 1) Carthag. 3. C. 24: „Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aquae mixtum." — 2) Lateran. 4. Cap. 1: „Corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem, virtute divina." — 3) Lugdun. 2: „Sacramentum eucharistiae ex azymo conficit romana ecclesia — Romana ecclesia tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur (ἀληθῶς μετουσιοῦται) in corpus, et vinum in sanguinem." — 4) Constantiens. damnat sess. 8. hos duos articulos Joannis Wicleffi: „1) Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis manet in sacramento altaris; 2) accidentia panis non manet sine subjecto in eodem sacramento." — 5) Florent. in defin.: „Definimus — in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici" — in decret. Eugen. 4: „Eucharistiae sacramenti materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet." — 6) Tri-

dentin. sess. 13. Cap. 3: „Semper haec fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum"; hinc can. 4: „Siquis dixerit, peracta consecratione, in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. Ch. — anathema sit." — Cap. 4: „Sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Chr. D. N. et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica ecclesia transsubstantiatio est appellata"; hinc can. 2: „Siquis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. J. Chr. negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia optissime transsubstantiationem appellat; anathema sit"; vox quidem nova, at dogma est antiquum; ea voce ecclesia modum definivit et quidem hac de causa, quia, si de ejusmodi existentiae modo una cum ipsa substantiae realitate sermo sit, illa negata substantia ipsa negari debet; vox: transsubstantiatio (μετουσια, μετουσιωσις) jam usurpata fuit a Paschasio Radberto anno 831; saec. 11. a concil. Rom. dicente: „Panem et vinum — substantialiter converti in corpus et sanguinem"; saec. 12. a Petro de Blois et a Stephano monacho Cluniac. in tract. de sacram. altaris in precibus" ut oblatio panis et vini transsubstantietur in corpus et sanguinem J. Chr.; a concil. Lateran. 4. valide et publice agnita in ritum ecclesiasticum introducta fuit; huç quoque referendum Trident. sess. 22. de sacrif. miss. C. 7: „Praeceptum — sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo

miscerent, tum, quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur."

§. 61.

IV. Necessitas repetendae et modus sumendae eucharistiae.

A) *N. T.* 1) Eucharistiae ritus fuit ideo institutus, ut a fidelibus christianis in aeternam observaretur, simulque quoad formam externam et quoad pretium internum permanens esset

a) vi expressae Jesu voluntatis Luc. 22, 19: „Hoc facite in meam commemorationem (*τουτο ποιειτε εἰς την ἐμην ἀναμνησιν*)." — Joan. 6, 54: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis (text. gr. *ἐχετε*, habetis) vitam in vobis (*ζωην ἐν ἑαυτοις*)"; hoc in loco minatur Jesus infidelibus Judaeis jacturam vitae aeternae, nisi percipiant corpus et sanguinem ejus; sic et s. Paulus 1 ad Cor. 11, 24. 25. dicens: „Hoc facite — in meam commemorationem" mandatum Christi repetit;

b) vi historiae, quae ostendit, hunc ritum perpetuo repetitum fuisse Act. 2, 42. 46: „Erant enim perseverantes (*προσκαρτερουντες*) in — communicatione fractionis (text. gr. *και τῃ κλασει*, et fractione) panis et orationibus; — frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis." — C. 20, 7. et 11: „Una autem sabbathi, cum convenissemus, (text. gr. *συνηγμενων των μαθητων*, congregatis discipulis) ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis. — Ascendens autem frangensque panem et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est." — 1 ad Cor. 11, 26: „Quotiescunque (*ὡσακις*) enim manducabitis panem et calicem (text. gr. addit: *τουτο*, hunc) bibetis: mortem Domini

annuntiabitis, donec veniat"; cfr. C. 10, 20. 21. et Jud. v. 12; ex queis dictis necessitas repetendi hunc actum per se apparebit, cum praeceptum Christi omnes obligat, et natura et effectus, (vide infra) repetitionem urgent.

2) Modus percipiendae eucharistiae in regula fit per sumtionem sub utraque specie panis et vini; attamen hanc sumtionem sub utraque specie aut expresse praescriptam aut inconditionate necessariam esse, nuspiam demonstrari potest; nam

a) Matth. 26, 27: „Bibite ex hoc omnes" Apostolos tangit et Luc. 22, 19. est sumtio calicis quoad celebrationem praescripta;

b) Joan. 6, 58. 59. dicitur: „Qui manducat me, et ipse vivet propter me. — Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum"; ergo soli panis sumtioni vita aeterna attribuitur et gratiae effectus semper iidem sunt; insuper particula: καὶ, et; in vers. 54. etiam pro particula: ἢ, vel, accipi potest, uti v. g Matth. 12, 37; Act. 3, 6; C. 17, 21;

c) Act. 2, 42. et C. 20, 7. et 11. occurrit sola panis fractio et sumtio; in queis locis describitur, quid fideles, non quid Apostoli vinum consecrandi potestate gaudentes fecerint; ergo sola panis sumtio spiritualem hominis refectionem continet;

d) 2 ad Cor. 11, 27: „Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel (ἢ) biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis et sanguinis Domini" cfr. ad Hebr. 6, 6; particula: vel, indicat sumtionem sub una specie et sequitur propositio, hominem sive indigne sumat panem sive calicem, utriusque et corporis et sanguinis reum et v. 29. poena dignum esse;

e) essentialia sunt separanda ab accidentalibus; alias conclusio valeret, coenam et pedum lotionem praeire debere; alia quippe est sumtio in sacrificio, alia in

communione. Ad institutionem hujus sacramenti necessaria utique fuit sumtio sub utraque specie, quia Christus per hunc actum mortem suam repraesentare voluit, quin inde sequatur, caeteris incumbere, utroque et pane et vino frui; quidquod fidelibus nil essentiale deest, sive sumant corpus, sive sanguinem Christi solum, uti ex natura objectorum hujus sumtionis videre licet;

f) dantur casus, in quibus sumtio sub una tantum specie fieri possit v. g. in morbis quibusdam, in nausea gustus et odoratus vini invincibili, in defectu vini etc.; num sane saluti sumentium istorum minus prospiceretur, quam illorum, qui sub utraque specie fruuntur?

Exinde a) sequitur, Christum etiam extra sumtionem esse praesentem et post pronuntiationem consecrationis verborum adesse; quod nisi concederetur, verba Christi falsa essent; nam in uno eodemque momento et verba pronuntiare et duodecim distribuere, plane impossibile erat; ergo Christus fuit praesens ultimo percipienti aeque, ac primo, et nisi Christus prius verba pronuntiasset; Apostoli, quid perciperent, ignorassent, ex quo sequeretur, Christum ne in sumtione quidem, sed post sumtionem adesse, quod esset absurdissimum; ergo etc.; b) concessa Christi praesentia extra sumtionem concedi quoque propositio debet, Christum esse prosequendum publicae adorationis cultu.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) respectu necessitatis repetendae eucharistiae et persuasionis, Christum esse praesentem extra sumtionem, haec facta testantur:

a) de necessitate eucharistiae percipiendae convicti parvulis infantibus eam porrigi praescribunt August. de peccat. merit. lib. 1. C. 19: „Si parvulus percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommunicabiliter manens in aeter-

num justificatos praesentia creatoris illuminat" — Fulgent. de bapt. Aethiop. C. 22: „Nec — ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat";

b) eucharistiam mitti et portari narrant v. g. Hieron. ad Rust. monach. ep. 4: „Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro";

c) commendant cautelam, nequid de eucharistia in terram decidat Tertull. de cor. mil. C. 3: „Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur." — Orig. in Exod. hom. 13: „Cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur." — Cyrill. Hieros. catech. 23. mystag. 5. C. 21: „Advigilans, nequid ex eo tibi depereat; quod enim intercidere patieris, id tibi tanquam propriis membris deminutum puta." — Caesarius serm. 95: „Quanta sollicitudine observamus, quando corpus Christi nobis ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat";

d) enarrant diversa miracula per eucharistiam producta v, g. Cyprian. de laps. — Optat. Milev. contr. Donat. lib. 2. — Greg. Naz. orat. 25. in laud. Gorgon. sor. — Chrysost. de sacerd. lib. 6. — Augustin. de civ. Dei lib. 22. C. 8;

e) inculcant cultum adorationis et venerationis Christi in eucharistia praesentis Cyrill. Hieros. catech. 23. mystag. 5. C. 22: „Accede et ad sanguinis poculum — pronus adorationis ac venerationis in modum (κυπτων και τροπῳ προσκυνησεως και σεβασματος)." — Ambros.

de spir. s. lib. 3. C. 12: „Per terram intelligitur caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus et quam Apostoli in Domino Jesu — adorarunt.“ — Chrysost. hom. 62. ad pop. Antioch.: „Mensae igitur accumbe, adora, et communica“ cfr. hom. 2. in act. Apost. — Augustin. in Ps. 98: „Nemo istam carnem (Christi) manducat, nisi prius adoraverit“;

2) respectu modi percipiendae eucharistiae in regula sumtio sub utraque specie usitata fuit; en loca supra citata; exempla tamen aetatis antiquissimae adsunt, quod eucharistia, nisi sub utraque specie sumi posset; sub una tantum distribueretur et communicaretur v. g.

a) in infantibus, qui collato baptismo calicem bibendum acceperunt, Cyprian. epp. lib. 2. ep. 3. — Augustin. ep. 95. ad Innocent. P.;

b) in aegrotis, Paulin. in vita s. Ambros. — Dionys. Alex. ep. ad Tab.;

c) in aliis fidelibus eucharistiam domum portantibus, vel in itinere versantibus Tertull. ad uxor. lib. 2. C. 3; de orat. C. 14. — Basil. ep. 93. (al. 289.) ad Caesar.;

d) in persecutione fidelium, quibus non tam saepe ad eucharistiam accedere contigit et tamen omni die communicare cupiere; ad quod perficiendum panis solus tamdiu reservari potuit cfr. Euseb. hist. eccles. lib. 6. C. 43;

e) episcopi episcopis in signum amoris et fraternitatis eucharistiam sub una tantum specie, uti notum est, miserunt.

b) Concilia 1) respectu necessitatis repetendae eucharistiae et praesentiae Christi extra sumtionem cultusque adorationis a) Concil. Antioch. sub Jul. Cap. 2: „Omnes, qui ingrediuntur ecclesiam Dei et scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se a perceptione

sacrae communionis avertunt, hi de ecclesia removeantur." — b) Trident. sess. 13. C. 8. de euch.: „Paterno affectu admonet s. synodus, hortatur, rogat, et obsecrat, ut omnes et singuli — haec sacra mysteria corporis et sanguinis ejus, fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint." — Cap. 5: „Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum"; inde can. 6: „Siquis dixerit, in s. euchar. sacramento Christum — non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum; — anathema sit";

2) respectu modi percipiendae eucharistiae a) Concil. Toletan. 11. anno 675. Cap. 11. permittit aegrotis solam vini speciem, qui „solent tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus possint refici, sed vix tantundem illati delectetur poculi gratia sustentari." — b) Constantiens. sess. 13: „Sic et in primitiva ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen postea a conficientibus sub utraque et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri." — c) Basil. 1438. sess. 30: „Sive autem sub una specie, sive sub duplici quis communicet, secundum ordinationem seu observantiam ecclesiae, proficit digne communicantibus ad salutem. Nec ullatenus ambigendum est, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integre totus Christus." — d) Florent. 1439. in decret. Eugen. 4:

„Ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiae consecratae et vini consecrati separatione factus totus est Christus." — e) Trident. citat. sess. 21. de commun. Cap. 1. locum Joannis C. 6, 59; inde can. 1: „Siquis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem s. euchar. sacramen. sumere debere; anathema sit"; tunc Cap. 2. pergit: „S. mater ecclesia progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine gravibus et justis causis adducta (attamen justis etiam causis hoc praeceptum immutari potest) hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit et pro lege habendam decrevit" et Cap. 3: „Declarat — etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi"; hinc can. 2. et 3: „Siquis dixerit, ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse." — „Siquis negaverit, totum et integrum Christum — sub una panis specie sumi; — anathema sit"; quod patet ex missa praesanctificatorum, quam ecclesia graeca quadragesimae tempore singulis diebus sabbathi et dominicae celebrat, uti et in diebus magni jejunii; latina vero solum in parasceve; in qua missa communio in sola reservata panis specie fit juxta vetustissimam ecclesiae disciplinam" cfr. concil. Trullan. anno 692. can. 52.

§. 62.

V. Effectus eucharistiae.

A) *N. T.* Effectus eucharistiam digne percipienti sunt tum interni, tum externi

1) interni

a) unio cum Christo et sanctificatio Joan. 6, 57: „Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo (*ἐν ἐμοὶ μενει καγω ἐν αὐτῳ* = conjungitur mecum et sanctificatur) cfr. C. 14, 10; C. 15, 4; 1 Joan. 2, 5. 6; C. 3, 16. 17; C. 4, 12. 13. 15. 16;

b) hoc gratiae augmento augetur amor erga Deum et Christum, praeservato homine a peccatis mortalibus et remissis venialibus; exinde oritur abominatio mali cum bono proposito vitandi istud, et vigilantia sui in domandis cupiditatibus et reviviscit aestimatio religionis, robur in virtute et memoria passionis et mortis Christi 1 ad Cor. 11, 26;

c) vitae aeternae certitudo Joan. 6, 59: „Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (*ζησεται εἰς τον αἰωνα*)" cfr. v. 55;

2) externa

a) fides in Christum actibus externis in sui et aliorum aedificationem expressa;

b) communio fidelium inter se et mutuus amor 1 ad Cor. 10, 17;

c) certitudo beneficiorum externorum ex celebratione actionis promanantium, cui accedat hominis perfectio. Indigne e contra eucharistiam percipienti poenae debitae annuntiantur 1 ad Cor. 11, 27. 29: „Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne (*ἀναξιως*): reus erit (*ἐνοχος ἐσται*) corporis et sanguinis Domini (cfr. ad Hebr. 6, 6.)." — „Qui enim manducat et bibit indigne (*ἀναξιως*), judicium sibi manducat et bibit (*κριμα ἑαυτῳ ἐσθιει και πινει* = sibi ipsi nocet); non dijudicans corpus Domini" cfr. ad Hebr. 10, 2; inde monet s. Paulus v. 28: „Probet autem se ipsum homo: et sic (*οὑτως* scil. praevio conscientiae examine et confes-

sione facta) de pane illo edat et de calice bibat"; ex quo apparet, quomodo praeparatio ad eucharistiam comparata esse debeat, ut digna inde sequatur perceptio.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Ignat. ad Eph. C. 20: „Frangetis panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed vivendi." — 2) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 34: „Corpora nostra percipientia eucharistiam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia." — 3) Cyprian. epp. lib. 1. ep. 2: „Quum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus" cfr. serm. de coen. Dom. — 4) Hilar. de trin. lib. 8: „Haec accepta atque hausta (caro et sanguis) id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit." — 5) Ephrem syr. adv. scrutat. „Donavit nobis corpus suum sanctum et immaculatum (*το σωμα το ἁγιον και ἀχραντον*), ut eo vescamur, sitque ipsius nobis participatio in remissionem peccatorum (*εἰς ἁμαρτιων ἀφεσιν*)." — 6) Basil. ep. 8. (al. 141.) apolog. de secess. ad Caesar. C. 4: „Per quam (eucharistiam) nectitur anima (*τρεφεται ψυχη*) et ad eorum, quae sunt, contemplationem interim praeparatur." — 7) Cyrill. Hieros. catech. 22. mystag. 4. C. 4: „Sic etenim Christiferi (*χριστοφοροι*) efficimur, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine; sic juxta beatum Petrum divinae fimus consortes naturae (*θειας κοινωνοι φυσεως γινωμεθα*)" cfr. C. 1. — 8) Chrysost. hom. 24. in 1 ep. ad Cor. C. 11: „Haec mensa est nervi nostrae salutis, mentis vinculum fiduciae fundamentum, spes, salus, lux, vita" cfr. hom. 83. in Matth. — 9) August. enarr. in Ps. 98: „In ipsa carne hic ambulavit et ipsam carnem nobis manducandum ad salutem dedit." — 10) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 4. C. 17: „Qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum Christo ita conjungitur, ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur. — Parvula benedictio totum hominem in se

ipsam attrahit, et sua gratia replet: et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo"; ergo secundum ss. patres effectus perceptae eucharistiae sunt

a) remissio peccatorum, Ephrem;

b) tutela contra adversarium, Cyprian.; mentis vinculum et fiduciae fundamentum, Chrysost.;

c) unio cum Christo, Hilar. Basil. Cyrill. Hieros. et Alex.; divinae naturae participatio, Cyrill. Hieros.;

d) medicamentum immortalitatis, Ignat.; dans spem resurrectionis, Iren.; spes ipsa et salus, Chrysost. Augustin.; lux et vita, Chrysost.

b) Concilia 1) Florentin. decret. Eugen. 4: „Hujus sacramenti effectus — est unio populi christiani ad Christum." — 2) Trident. sess. 13. de euch. Cap. 2: „Sumi voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum — et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictus esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata" cfr. Cap. 7. de praeparatione ad eucharistiam; hinc can. 5: „Siquis dixerit, vel praecipuum fructum s. eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit."

§. 63.

VI. Minister legitimus.

A) *N. T.* Apostoli duodecim erant praesentes Matth. 26, 20., quando Jesus ait Luc. 22, 19: „Hoc (τοῦτο = consecrare panem et vinum in corpus et sanguinem id agendo, quod ipse egit) facite in meam commemorationem;" ergo successores eorum, episcopi et presbyteri,

sunt ministri legitimi et capaces ad repetendum consecrationis actum; consequenter laici sunt et manent exclusi, cum 1 ad Cor. 11, 25. 27. ad perceptionem, ergo ad laicos pertinent.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 1. (al. 2.): Ei, qui fratribus praeest (= episcopo) offertur panis et poculum aquae et vini." — 2) Chrysost. hom. 24. in 1 ep. ad Cor. C. 10: „Tu autem non in praesepi vides, sed in altari, non feminam eum tenentem, sed sacerdotem adstantem"; — hom. 51. in Matth.: „Quando igitur sacerdotem corpus tibi praebere videris, noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari." — 3) Ambros. de sacram. lib. 4. C. 4: „Jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed Christi utitur sermonibus; ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum." — 4) Hieron. in Sophon. C. 3: „Sacerdotes — eucharistiae serviunt" cfr. adv. Lucifer. C. 8; ad Heliod. ep. 1; ergo episcopi et sacerdotes sunt ministri legitimi et quidem dispensatores non autores gratiae.

b) Concilia 1) Nicaen. 1. can. 18: „Pervenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus, presbyteris gratiam sacrae communionis diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut, qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt (τοις προςφερουσι) dent corpus Christi." — 2) Lateran. 4. Cap. 1: „Hoc (eucharistiae) sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui fuerit rite ordinatus." — 3) Florent. defin. 5. synod.: „Definimus — sacerdotes in altari sive in azymo, seu fermentato pane triticeo ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem." — 4) Trident. sess. 22. Cap. 1., de quo infra et can. 2: „Siquis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut ordinasse, ut

ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit."

§. 64.

VII. Subjectum eucharistiae seu percipiens eucharistiam.

A) *N. T.* Subjectum eucharistiae, seu persona perceptionis capax est quilibet adultus utriusque sexus 1 ad Cor. 10, 14—18., praecipue C. 11, 28: „Probet (δοκιμαζέτο) autem se ipsum homo (id est, sic se praeparet, ne indecenter et indisposite ad hoc convivium accedat): et sic de pane illo edat, et de calice bibat"; jam vero conscientiae examen in infantibus fieri nequit; ergo ex hoc loco apparet, adultos tantum perceptionis capaces esse et infantes, quibus hoc quoque sacramentum per se non est necessarium, manere exclusos; pro his enim sufficit baptismus ad consequendam beatitudinem Marc. 16, 16. et Joan. 3, 5; quidquod finis eucharistiae, qui est excitatio et promotio moralitatis, suppressio sensualitatis et abominatio mali, agnitio pretii hujus sacramenti, personae Christi et operum ejus in salutem hominum peractorum una cum beneficiis innumeris ex digna perceptione oriundis, satis indicat, hoc s. sacramentum ad adultos pertinere; ex quo simul patet, peccatori non esse licitum, eucharistiam prius accipere, quam Deo reconciliatus fuerit praevio conscientiae examine et confessione facta 1 ad Cor. 11, 28.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Chrysost. hom. 83. in Matth.: „Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est?" — 2) Hieron. in Ezech. C. 43: „Apostolus dicit: probet autem se homo et sic accedat ad corpus et sanguinem Domini" — in Am. C. 5: „Per poenitentiam adhibendum Domini sanguinem provocamur" cfrantur alia loca supra citata. —

b) Con-

b) Concilia 1) constitut. apost. lib. 8. C. 12: „Excludunt infideles, catechumenos, haereticos, et poenitentes ab usu eucharistiae; hinc exclamare debuit ante oblationem diaconus, nequis ex catechumenis, nequis ex audientibus, nequis ex infidelibus, nequis ex haereticis.“ — 2) Concil. Lateran. 4. Cap. 21: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum.“ — 3) Trident. sess. 13. Cap. 7: „Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum: Probet se ipsum homo; ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat“; hinc can. 9: „Siquis negaverit, omnes et singulos fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum; — anathema sit“ cfr. can 11; — sess. 21. Cap. 4: „Denique eadem s. synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacram. euch. communionem“; hinc can. 4: „Siquis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiam; anathema sit.“

§. 65.

VIII. Eucharistia, sacrificium N. T.

Sacrificia apud omnes gentes in usu fuerunt, sicuti jam in periodo antemosaica vel patriarchica Gen. 4, 3. 4: „Factum est autem post multos dies (מִקֵּץ יָמִים, in fine dierum), ut offerret Cain de fructibus terrae munera (מִנְחָה, oblationem) Domino. Abel quoque obtu-

lit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus (אֶל־מִנְחָתוֹ, ad oblationem ejus)." — C. 8, 20: „Aedificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus (text. hebr. addit: הַטְּהֹרָה, mundo scil. jumento) et volucribus mundis, obtulit holocausta (וַיַּעַל עֹלֹת et ascendere fecit holocausta) super altare" cfr. C. 15, 9. — C. 14, 18. 19. 20: „At vero Melchisedech (מַלְכִּי־צֶדֶק) rex Salem proferens panem et vinum (erat enim [וְהוּא et ipse] *) sacerdos (כֹּהֵן) Dei Altissimi): benedixit ei et ait: benedictus Abram Deo excelso, qui creavit (קֹנֵה, possidenti) coelum et terram, et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt (text. hebr. אֲשֶׁר־מִגֵּן צָרֶיךָ בְּיָדֶךָ, qui tradidit hostes tuos in manum tuam)." Hic sacrificandi ritus in oeconomia mosaica ampliatus fuit et quidem extiterunt sacrificia

a) cruenta; holocausta et sacrificia matutina Exod. 29, 38—43; Lev. 12, 6. 7; Num. 28, 3—9; Jos. 8, 31. — hostiae pacificae, oblationes gratiarum et gaudiorum una cum sacrificiis pro peccatis et debitis Lev. C. 1; C. 3; C. 4, 16—21; C. 5; C. 7, 19. 20; 3 Reg. 8, 63; 2 Paral. 29, 24. 34; inde hircus pro peccatis Lev. 16;

b) incruenta; libamina Exod. 25, 29; ex regno plantarum Lev. 2; saepe etiam sacrificium indicat opus bonum Ps. 49, 11; Ps. 50, 18. 19., ubi expresse dicitur, spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum optimum coram Deo esse sacrificium.

Praecipuum generis specialis sacrificium occurrit Mal. 1, 10. 11: „Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus (מִנְחָה) non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum

*) Glass. phil. sacr. ait: manet hic copulandi significatio, quia dignitas sacerdotalis regali in Melchisedecho connectitur.

magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur (text. hebr. מקטר מגש, fumigatum offertur) nomini meo oblatio munda (לשמי ומנחה טהורה, nomini meo et oblatio munda): quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum"; hoc in loco nec est sermo de donis a Persis Judaeis ad templum exstruendum datis 1 Esdr. 1, 7—11; C. 4, 17—22; C. 7, 15. 19—23; C. 8, 24—30; nec de sacrificiis idolis oblatis Mal. 1, 14; nec de donis in ecclesia christiana offerendis; sed de sacrificio generis specialis in periodo Messiana instituendo, ad quod jure merito ss. patres alludunt conferendo loca Gen. 14, 18. 19. et Ps. 109, 4. et quod indicant voces מקטר, fumigatio et מנחה טהורה, oblatio munda, uti et silentium de sacrificiis cruentis; applicatio sacrificii ejusmodi legenda est 2 Mach. 12, 43—46., de quo infra.

A) *N. T.* Sacrificium est oblatio rei sensibilis externa, a ministro legitimo (= sacerdote) ad contestandum Dei supremi dominium, immutatione vel destructione facta; haec immutatio et destructio, quae fit in missa et quidem moraliter, in eo consistit, ut vi verborum corpus consecratum a sanguine consecrato separetur sicque mortis status adhibeatur, (quin adsit separatio realis,) vi cujus Christus ipse, modo mysterioso, uti olim in cruce, sic et hic in altari, immolatur et in salutem vivorum ac defunctorum Deo Patri offertur;

1) offerens et oblationis objectum est Christus; ipse est sacerdos et agnus immolandus ad Hebr. 5, 10: „(Christus) appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech" cfr. v. 5. et 6. — C. 7, 15: „Et amplius adhuc manifestum est; si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos"; hoc in loco Melchisedech, sacerdos Dei Altissimi Gen. 14, 18. et Ps. 109, 4. confertur cum Christo respectu quarundam proprietatum et sic Christus pontifex vel sacerdos maximus

(הכהן הגדל) vocatur; qua similitudine s. Paulus ostendere voluit, sacrificium Christi oblatione Melchisedechi longe praestantius esse, quin de materia ipsa quidquam diceret. — Christus etsi eucharistiam in modum sacramenti, non sacrificii (θυσια) institueret; utrumque tamen simul valere potest, nec sibi contradicit, cum eucharistia diversimode adhiberi possit; est quippe unum idemque sacrificium, modus tantum diversus; nec inde derogatur morti Jesu, quia non secunda requiritur reconciliationis mors (contra Calv.), sed virtus mortis Jesu singulis applicatur ad Hebr. 7, 27; C. 9, 28; C. 10, 14., quin mactatio cruenta accedat; dantur enim sacrificia cruenta et incruenta Deo offerenda;

2) actio sacrificandi seu oblatio (προςφορα) ipsa est momentanea corporis et sanguinis Christi praesentatio, quae perficitur in missa; sicut enim in cruce verum adfuit sacrificium; sic et in hac actione, quae est continuatio de illo;

3) organum seu minister ad hunc actum perficiendum habilis est sacerdos dicente Christo Luc. 22, 19: „Hoc facite in meam commemorationem"; cum minister principalis et est et manet Christus ad Hebr. 7, 17., nec 1 ad Cor. 11, 20. vituperatur a s. Paulo coena privata, sed tantum abusus in hac actione occurrens; ergo sacrificium missae est verum sacrificium; adest enim

a) res sensibilis scil. species panis et vini;

b) offerens scil. Christus una cum sacerdote ministro;

c) oblatio scil. corpus et sanguis Christi;

d) contestatio dominii supremi, cum sit sacrificium α) latreuticum, vi conceptus latriae ad Phil. 2, 6. 7; β) eucharisticum, gratias agendo; γ) propitiatorium Deo nos reconciliando et placando 1 Petr. 2, 24., quin sacramenta cetera tollantur, cum peccatorum remissio sine virtute et moralitate acquiri nequeat: δ) impetratorium, gratias petendo iisque accipiendis.

Exempla sacrificii peracti occurrunt Act. 13, 2. coll. 1 ad Cor. 10, 14—21., praecipue et distincte ad Hebr. 13. 10: „Habemus altare (θυσιαστηριον), de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.“

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. dial. c. Tryph.: „A nemine sane Deus hostias accipit, nisi a sacerdotibus suis (οὐ δεχεται δε παρ' οὐδενος θυσιας ὁ Θεος, εἰ μη δια των ἱερων αὐτου). Universos igitur, qui per nomen istius sacrificia (offerunt), quae Jesus Christus fieri tradidit, hoc est, cum eucharistia panis et calicis, quae in loco omni Christianis fiunt, praevertens Deus, gratos sibi esse testatur.“ — 2) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 33: „Ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerri, in universo mundo purum sacrificium reputatum est apud Deum et acceptum est ei, non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert“ cfr. C. 32. — 3) Tertull. de cor. mil. C. 3; „Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus“ cfr. de orat. C. 14; de cult. fem. lib. 2. C. 11. — 4) Clem. Alex. strom. lib. 4. C. 25: „Salem enim pax exponitur, cujus noster servator rex describitur, quem dicit Moses Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei Altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum eucharistiae (εἰς τυπον εὐχαριστιας).“ — 5) Cyprian. epp. lib. 2. ep. 3: „Si Jesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris et sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur; et sacrificium verum et plenum tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum, quod ipsum Christum videat obtulisse“ cfr. lib. 4. ep. 5. — 6) Ephrem Syr. serm. in patres defunct.: „Quando honorandi sacerdotes sanctae assistunt mensae ad liturgiam offerendam (παριστανται οἱ τιμιοι ἱερεις τῃ ἁγιᾳ

τραπεζῃ λειτουργιαν προσαξαι), ipsi primi manibus suis extensis cum fide suscipiunt corpus Domini, qui semper est, qui semper cum illis est." — 7) Basil. ep. 93. (al. 289.) ad Caesar.: „Postquam semel sacerdos sacrificium absolvit ac porrexit (την θυσιαν του ἱερεως τελειωσαντος και δεδωκοτος), qui illud, ut totum simul accepit, is dum quotidie participat, merito credere debet (laicus), se ab eo, qui dedit, participare et accipere" cfr. de bapt. lib. 2. quaest. 2. — 8) Cyrill. Hieros. catech. 23. mystag. 5. C. 8. 9. 10: „Postquam perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus; super illam propitiationis hostiam (ἐπι της θυσιας ἐκεινης του ἱλασμου) obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro regibus, pro militibus et sociis, pro aegrotis et afflictis, et universim pro omnibus, — hanc victimam offerimus (ταυτην προςφοραν την θυσιαν) — maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima (προκειμενης θυσια). — Christum mactatum pro nostris peccatis offerimus (ἐσφαγιασμενον — προςφερομεν) clementem Deum cum pro illis, tum pro nobis demereri et propitiare satagentes." — 9) Greg. Naz. orat. 47. in Julian. 1: „(Julianus) manus suas profanat, ut nimirum eas ab incruento illo sacrificio, per quod nos Christo, ipsiusque passionibus et divinitati communicamus, elueret ac repurgaret" cfr. orat. 21. apologet. fugae; orat. 48. in Julian. 2. — 10) Greg. Nyss. in Christi resurr. orat. 1: „Se ipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat (ἑαυτον προσηνεγκε προςφοραν και θυσιαν ὑπερ ὑμων) sacerdos simul existens et agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit — se ipsum communi hominum salute tanquam agnum obtulit (του τον ἑαυτον ἀμνον — ἱερουργησαντος)" cfr. contr. Eunom. orat. 5. — 11) Ambros. de exhort. ad virgin. vocat missae sacrificium „hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur" cfr. lib. 1. in Luc. C. 1; in epp.

lib. 2. ep. 13. ad Marcell. soror. utitur jam voce: missa. — 12) Chrysost. hom. 17. in ep. ad Hebr. C. 10: „Multum interest. Ipse ergo est et sacrificium et sacerdos et hostia: ipsa (oblatio) una est, non multae. — Eundem semper offerimus non nunc quidem alium, sed eundem perpetuo; itaque et sacrificium. — Quomodo ergo multis in locis oblatus unum est corpus (ἐν σωμα) et non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium" cfr. in Act. Apostol. hom. 21. in C. 9; hom. 24. in 1 ep. ad Cor. C. 10. — 13) Hieron. in Ezech. C. 40: „Sancti sunt sacerdotes et in templi ministeriis collocati et quotidie victimas offerunt Christo." — C. 46: „Sacrificium Deo legitimum, juge atque perpetuum, quod nulla intermittitur die, sed omni tempore orto sole semper offertur" cfr. in Gen.; in Ezech. 39. et 44; in Dan. C. 3; in Agg. C. 2; in Mal. C. 1; adv. Vigilant. C. 4; ad Evagr. ep. 126; ad Damas. ep. 146. — 14) Augustin. de civ. Dei lib. 16. C. 22: „Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longe post hoc factum, per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" cfr. lib. 10. C. 6. et 20; de anim. et ejus orig.; de spir. et lit. C. 11; contr. Faust. lib. 20. C. 21; ep. 23. ad Bonif.; ep. 57. ad Dardan.; ep. 59. ad Paulin.; sermm. de temp. serm. 91. utitur voce: missa; confess. lib. 9. C. 12., ubi sacrificium missae, quod vocat „sacrificium pretii nostri" pro defuncta matre peractum esse testatur. — 15) Greg. M. dialog. lib. 4. C. 55: „Si culpae post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiae salutaris (ἡ ἱερα προςφορα της σωτηριωδου θυσιας) adjuvare; ita, ut hanc nonnunquam ipsae defunctorum animae expetere videantur. — Vade itaque et ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium (ὑπερ αὐτου θυσιαν — προσενεχθηναι), stude, ut nullus omnino prae-

termittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris (ἡ σωτηριωδης θυσια) non immoletur" cfr. C. 57. et 58; in Evang. lib. 2. hom. 37.

Summa omnium locorum haec est:

a) sacrificium Melchisedech est typus eucharistiae, Clem. Alex.;

b) sacrificium verum et plenum, Cyprian.; purum, Iren.; spirituale, Cyrill. Hieros.; legitimum, juge et perpetuum, Hieron.; incruentum, Greg. Naz.; et sacrificium pretii nostri, Augustin.; est sacra oblatio, Greg. M.; et victima, Cyrill. Hieros. Hieron.; et hostia salutaris, Ambros. Greg. M.; seu propitiationis, Cyrill. Hieros.;

c) in quo sacrificio Christus offertur, summus quippe sacerdos, Cyprian.; hostia, Chrysost.; sacerdos et agnus, Greg. Nyss.; pro peccatis nostris mactatus, Cyrill. Hieros.; sub speciebus panis et calicis, Justin.; per sacerdotem, Justin. Ephrem Basil. Hieron.; qui vice Christi fungitur, Cyprian.; et glorificatur in eo, quod offert, Iren.;

d) in omni loco, Justin.; in universo mundo, Iren. Augustin.; in multis locis, Chrysost.;

e) omni tempore, Hieron.;

f) pro vivis, Cyrill. Hieros.; et defunctis, Tertull. Greg. M.; hinc

g) vox: missa, Ambros. Augustin.

b) Concilia 1) Nicaen. 1. can. 18: „Nec canon, neque consuetudo tradidit, ut, qui offerendi potestatem non habent (scil. diaconi) iis, qui offerunt, dent corpus Christi (τοις προςφερουσι διδοναι το σωμα του Χριστου)." — 2) Aurelian. 4. sub Pelag. P. can. 4: „Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod ex fructu vineae speratur et hoc sine aqua mixtum offerre praesumat, quia sacrilegium judicatur aliud offerre, quam quod in mandatis sacratissimis salvator instituit." — 3) Toletan. 12.

anno 681. cap. 5: „Modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque sacrificans corpus et sanguinem Jesu Christi Domini nostri in altari immolat (sacerdos), toties perceptionis corporis et sanguinis Christi se participem praebeat." — 4) Lateran. 4: „Idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus." — 5) Trident. sess. 22. de sacrif. miss. cap. 1: „Iisdem (Apostolis) eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: hoc facite in meam commemorationem" citans loca Mal. 1. et 1 ad Cor. 10; hinc can. 2: „Siquis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit." — Cap. 2: „Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus, continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit, docet s. synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse. — Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit; sola offerendi ratione diversa"; hinc can. 1. et 3: „Siquis dixerit, in missa non offerri Deum verum et proprium sacrificium — missae sacrificium — non — propitiatorium vel soli prodesse sumenti; — anathema sit"; hinc missae privatae, de quibus idem concilium eadem sess. can. 8. tradit: „Siquis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit."

Caput VI.

IV. Poenitentia seu peccatorum remissio.

§. 66.

In *V. T.* 1) jam in oeconomia mosaica reperitur institutum positivum pro impetranda remissione peccatorum

sive per ignorantiam sive per errorem vel praecipitantiam, sive per negligentiam vel alio modo commissorum; at valuit tantum pro foro externo, id est, ad ordinem in theocratia visibili conservandum Lev. 4, 13. 14. 20: „Quodsi omnis turba Israel ignoraverit (יִשְׁגּוּ, erraverint), et per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est (text. hebr. וְנֶעְלַם דָּבָר מֵעֵינֵי הַקָּהָל וְעָשׂוּ אַחַת מִכָּל־מִצְוֺת יְהוָה אֲשֶׁר לֹא־תֵעָשֶׂינָה וְאָשֵׁמוּ, et latuerit res ab oculis turbae et fecerint unum ex omnibus praeceptis Domini, quae non fient et dereliquerint), et postea intellexerit peccatum suum (text. hebr. וְנוֹדְעָה הַחַטָּאת אֲשֶׁר חָטְאוּ עָלֶיהָ, et notum fuerit peccatum, [in] quo peccaverunt); offeret pro peccato suo vitulum (text. hebr. וְהִקְרִיבוּ הַקָּהָל פַּר בֶּן־בָּקָר לְחַטָּאת et offerent turba juvencum, filium bovis, ad peccatum), — et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Deus (text. hebr. וְכִפֶּר עֲלֵהֶם הַכֹּהֵן וְנִסְלַח לָהֶם, et expiabit super eos sacerdos et dimittetur eis).“ — C. 5, 17. 18. 19: „Anima si peccaverit (Vulg. addit) per ignorantiam — offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram aestimationemque peccati (text. hebr. בְּעֶרְכְּךָ לְאָשָׁם, secundum aestimationem suam ad delictum), qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit (text. hebr. וְכִפֶּר עָלָיו הַכֹּהֵן עַל שִׁגְגָתוֹ אֲשֶׁר־שָׁגָג וְהוּא לֹא־יָדַע, et expiabit super eum sacerdos super ignorantia sua, qua ignoravit et ipse non scivit): et dimittetur ei.“ — C. 6, 7. 8: „Rogabit pro eo (text. hebr. וְכִפֶּר עָלָיו הַכֹּהֵן, et expiabit super eum sacerdos) coram Domino, et dimittetur illi“ cfr. C. 26, 39. 40. — Num. 5, 6. 7: „Vir sive mulier cum — per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini (text. hebr. לִמְעֹל מַעַל בַּיהוָה, ad praevaricandum praevaricationem in Dominum) atque deliquerint, confitebuntur (וְהִתְוַדּוּ) peccatum suum (text. hebr. addit: אֲשֶׁר עָשׂוּ, quod fecerunt), et reddent ip-

sum caput (text. hebr. וְהֵשִׁיב אֶת־אֲשָׁמוֹ בְּרֹאשׁוֹ, et restituet delictum in capite ejus = in sortem ejus)."

2) Realem quod attinet peccatorum remissionem; haec loca V. T. sunt notanda Ps. 24, 18. invocat David Dominum, dicens: „Dimitte (שָׂא, tolle, aufer) universa delicta mea." — Ps. 31, 5: „Tu remisisti) (נָשָׂאתָ, abstulisti, dimisisti) iniquitatem peccati mei." — Ps. 50, 4. 11: „Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me (טַהֲרֵנִי); — averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele (מְחֵה)." — Prov. 28, 13: „Qui abscondit scelera sua, non dirigetur (לֹא יַצְלִיחַ, non prosperabitur): qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur." — Ezech. 18, 21. 22: „Si autem impius egerit poenitentiam (יָשׁוּב, reversus fuerit) ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea et fecerit judicium et justitiam: vita vivet et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor (לֹא יִזָּכְרוּ לוֹ, non memorabuntur ei): in justitia sua, quam operatus est, vivet" cfr. C. 33, 14. et 2 Paral. 7, 14. 15. — Dan. 9, 9: „Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te." — Mich. 7, 18. 19: „Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum haereditatis tuae, — miserebitur nostri; deponet (יִכְבּוֹשׁ, sub pedibus conteret) iniquitates nostras; et projiciet (text. hebr. וְתַשְׁלִיךְ et projicies, mutando personam) in profundum maris omnia peccata nostra (text. hebr. חַטֹּאתָם, peccata eorum pro חַטֹּאתֵנוּ)"; inde venit provocatio ad resipiscentiam, ad conversionem ad Deum, ut per istum sequatur remissio poenarum temporalium, in specie poenae mortis Eccles. 4, 31: „Non confundaris confiteri peccata tua (text. gr. ἐφ' ἁμαρτιαις σου, in peccatis tuis)" — C. 17, 27. (secundum Vulg.): „Con-

fiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis et laudabis Deum et gloriaberis in miserationibus illius.“ — Is. 55, 7: „Derelinquat impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum et miserebitur ejus.“ — Ezech. 18, 30. 31. 32: „Convertimini et agite poenitentiam (וְהָשִׁיבוּ, et facite converti) ab omnibus iniquitatibus vestris: — projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis et facite vobis cor novum et spiritum novum: — revertimini et vivite (וחיו et vivetis).“ — Joel 2, 12. 13: „Convertimini (שֻׁבוּ) ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu et in planctu. Et scindite corda vestra et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum.“

3) Exempla publicae confessionis delictorum legere licet Gen. 41, 9. etc.; Jos. 7, 19. 20; 2 Reg. 24, 17; 2 Esdr. 9, 2; remissionis peccatorum 2 Reg. 12, 13: „Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit (text. hebr. הֶעֱבִיר, transire fecit) peccatum tuum; non morieris.“

Quam perfectior, certior et solennior fit remissio peccatorum per sacramentum poenitentiae, quod est N. T. sacramentum, quo lapsis post baptismum iisque contritis, confessis et satisfacere cupientibus per sacerdotem legitimum vi institutionis divinae absolutio a peccatis suppeditatur?

I. Institutio peccatorum remissionis.

Homo fragilitatis humanae propositi sui nonnunquam aut saepe oblitus Deo fit inobediens, et, quod inde sequitur, peccator, ad quem reconciliandum Deo Jesus Christus Dominus noster saluberrimum in hac s. oeconomia sua ordinavit institutum.

A) *N. T.* Joan. 20, 21. 22. 23: „Sicut misit me Pater (ait Jesus Apostolis), et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum sanc-

tum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (ἀν τινων ἀφητε τας ἁμαρτιας, ἀφιενται αὐτοις), et quorum retinueritis, retenta sunt (ἀν τινων κρατητε, κεκρατηνται)"; hoc in loco

1) de vera peccatorum remissione sermonem esse, patet ex eo:

a) vox: remissio quotiescunque a Jesu adhibetur, in sensu literali et naturali accipi debet; sic enim docet ipse orare Matth. 6, 12: „Dimitte (ἀφες) nobis debita nostra" et addit v. 14. et 15: „Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet (ἀφησει) vobis Pater coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus (text. gr. addit: τα παραπτωματα αὐτων, peccata eorum): nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra" (cfr. Marc. 11, 25. 26; Luc. 11, 4.). — C. 12, 31: „Omne peccatum et blasphemia remittetur (ἀφεθησεται) hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur (text. gr. addit: τοις ἀνθρωποις, hominibus)." — Jesus orat cruci affixus Luc. 23, 34: „Pater, dimitte (ἀφες) illis";

b) haec peccatorum remissio est potestas Deo soli competens, et actus vere divinus, quo homo Deo reconciliatur, quasi non peccaverit; ergo justificatus et jure regni coelestis praeditus apparet; quam potestatem Jesus exercuit Matth. 9, 2: „Remittuntur (ἀφεωνται) tibi peccata tua" simulque miraculo patrato probavit sanationem paralytici a remissione peccatorum probe distinguens, addendo v. 6: „Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ἀφιεναι ἁμαρτιας)"; nec aliter Judaei intellexerunt dicentes Marc. 2, 7: „Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?" cfr. Luc. 5, 21; quidquod Jesus blasphemiae ab iis accusatus non revocavit sententiam prolatam, sed magis confirmavit, dicendo: aeque facilius sibi esse dimittere peccata, ac aegrotum sanare; ergo

Jesus vi propria remissionem peccatorum, uti sanationem, paralytico largitus est cfr. Act. 5, 31; C. 10, 43;

c) similis peccatorum remissio legenda est Luc. 7, 47—50., ubi Jesus Pharisaeo aegre ferenti, quod a peccatrice ungi se passus sit, dixit: „Propter quod dico tibi: remittentur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem (Jesus) ad illam (peccatricem): remittuntur tibi peccata (ἀφεώνται σου αἱ ἁμαρτιαι). Et coeperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: quis est hic, qui etiam peccata dimittit?" ergo praesentes, uti Jesus, effata de reali peccatorum remissione intellexerunt;

d) adde occasionem, in qua Jesus verba Joan. 20. una cum praecedentibus dixit; num minima subesse potest suspicio, Jesum hic allegorice locutum fuisse, aut haec verba vel de baptismo, vel de praedicatione verbi divini intelligenda esse? Verba haec peculiare quid et mysteriosi edicunt, nec Jesu indoli eximiae minus consentaneum est, quod hic ita se gesserit, uti in aliis momentis gravioribus et occasionibus solennioribus, ubi veritas quaedam erat promulganda;

e) his verbis pronuntiatis Jesus Apostolis eandem, quam ipse habuit, potestatem, de qua jam alibi Matth. 18, 18. quoddammodo commemoratum fuit, palam et actualiter tradidit, promittens Spiritum s. = gratiam divinam supernaturalem, vi cujus vera et actualis peccatorum remissio efficiatur.

2) Hoc in loco simul de retentione peccatorum = denegatione remissionis peccatorum fit sermo, sed id in sensu sano est intelligendum: ex Joan. 20. patet, peccata non ideo retineri, quia non dimitti possunt (licet et peccata dantur, quae malitia sua intrinseca remitti non possunt Matth. 12, 31; Marc. 3, 29; Luc. 12, 10; ad Hebr. 6, 4. 8; C. 10, 26. 27; 1 Joan. 3, 16, 17.), sed quia ob

peccatoris incorrigibilis et obstinati, consequenter remissione se indignum facientis dispositionem dimittenda non sunt; nam

a) finis retentionis peccatorum est, ut salvetur peccator ac ne modo tam enormi et petulanti sanctitas religionis maculetur et pactum cum Deo initum violetur; in hoc casu gravitas, natura, effectus, essentia peccati probe consideranda sunt; hinc haec retentio non est absoluta, sed hypothetica, et peccatore corde contrito ad Deum accedente ac resipiscente tollitur;

b) hac potestate retinendi peccata Apostoli pariter usi sunt; Act. 8, 22. provocat s. Petrus Simonem Magum ad poenitentiam, ut fiat peccatorum remissione dignus; s. Paulus 1 ad Cor. 4, 21. minatur Corinthiis dicens: „Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?"; causa minarum adjungitur capiti subsequenti C. 5, 1—6., ubi Paulus Corinthium quendam ob grave delictum ex communione Christianorum secludit, dicens v. 5: „ut spiritus salvus sit", quem tamen, cum poena ipsi imposita optatum habuit effectum, in communionem recepit dicendo 2 ad Cor. 2, 10: „Cui autem aliquid donastis et ego: nam et ego quod (ᾧ, cui) donavi, siquid donavi, propter vos in persona Christi"; ergo s. Paulus remisit in persona Christi = vere et actualiter cfr. 2 ad Cor. 12, 21; C. 13, 2. 10; simili modo idem Apostolus Hymenaeum et Alexandrum satanae tradidit = ex communione depulit, „ut discant non blasphemare" 1 ad Tim. 1, 20.

3) Ex fine hujus institutionis ejusque natura, hanc potestatem remittendi peccata pro omni tempore, pro omni sexu, pro omni Christianorum coetu permansuram et successoribus Apostolorum datam, luculenter apparet; sicque promanat fons lavacri secundi pro iis, qui post baptismum peccaverunt. Haec potestas cum morte Apo-

stolorum non est extincta; alias et munus docendi et baptizandi extinctum fuisset; jam vero hoc extingui nec potuit nec oportuit; ergo et potestas remittendi ac retinendi peccata salva semper et incolumis permaneat, necesse est.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Cyprian. ep. 54. ad Cornel.: „(Christus) legem dedit, ut ligata in terris etiam in coelis ligata essent, solvi autem possent illic, quae hic prius in ecclesia solverentur.“ — 2) Firmilian. ep. ad Cyprian. inter Cyprian. 75: „Potestas peccatorum remittendorum Apostolis data est et ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerant.“ — 3) Hilar. comment. in Matth. can. 18: „Immobile severitatis apostolicae judicium praemisit, ut quos in terris ligaverint, i. e. peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, in confessione videlicet veniae receperint salutem; hi apostolicae conditione sententiae in coelis quoque aut soluti sint, aut ligati.“ — 4) Athan. in illud: profecti in pagum.: „Quodsi nondum soluta sunt vincula, tradas te ipsum discipulis Jesu (ἐπιδος ἑαυτον τοις μαθηταις του Ἰησου): adsunt enim, qui te solvant, potestate ea, quam a salvatore acceperunt: quaecunque ligaveritis — et quibus remiseritis peccata.“ — 5) Basil. adv. Eunom. lib. 5: „Proprium Dei est, peccata dimittere“: deinde citat Joan. 20. addens: „Si ergo nullius est, peccata dimittere, sicuti certe nullius est, nisi solius Dei; dimittit autem Spiritus s. per Apostolos.“ — 6) Chrysost. lib. 3. de sacerd.: „Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum coelestium potestatem illis a Deo concessam? Quorumcunque, ait, peccata retinueritis, retenta sunt, quaenam, obsecro, potestas hac una major esse queat?“ — 7) August. contr. 2. epist. Pelag. lib. 1: „Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere“ cfr. de dilig. Deo C. 12. — 8) Cyrill. Alex.

Alex. comment. in Joan. lib. 12. C. 56: „Erit id, peccata remittere et retinere, duobus, ut arbitror, modis: primum baptismo, deinde poenitentia; nam aut credentes et vitae sanctimonia probatos homines ad baptismum inducunt et indignos inde diligenter expellunt, aut ecclesiae filiis peccantibus quidem increpant, poenitentibus autem indulgent, sicuti Paulus olim fornicantem apud Corinthios"; ergo

a) poenitentiae sacramentum est a Christo institutum, Cyprian. Athan.;

b) potestas peccata remittendi et retinendi data est Apostolis eorumque successoribus, Firmilian.; et discipulis Jesu, Athan. Basil. Chrysost.;

c) quae eo se extendit, ut, quod in terris solutum vel ligatum sit, et in coelis solvatur vel ligetur, Cyprian. Hilar. Athan. Chrysost.;

d) in quo priore casu Deus ignoscat et non puniat peccata remissa, Augustin.; sicque est

e) poenitentiae sacramentum pro lapsis post baptismum, Cyrill. Alex.

B) Concil. Trident. sess. 14. cap. 1: „Deus, dives misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacram. videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. — Dominus autem sacram. poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatur, insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite etc."; hinc can. 1: „Siquis dixerit, in catholica ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus — a Christo Domino institutum" — et can. 3: „Siquis dixerit, verba illa Domini salvatoris: Accipite etc. non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento ecclesiae; — anathema sit."

§. 67.

II. Essentia poenitentiae seu materia et forma.

Essentia hujus sacramenti seu materia et forma consistit in his tribus partibus seu requisitis 1) contritione, 2) confessione una cum formula absolutionis, 3) satisfactione.

I. Contritio.

A) *N. T.* Contritionem (*λυπη* ex 2 ad Cor. 7, 9. 10. *μεταμελεια*, etiam *μετανοια*, de qua voce infra) ad peccatorum remissionem necessariam esse, jam ipsa ratio nobis injungit, cum sit Deus sanctissimus et justissimus, et nos peccato peracto ab eo recesserimus; id quod magis inculcat s. scriptura, ubi dicitur

a) in se reverti Luc. 15, 17: „In se autem reversus (*εἰς ἑαυτον — ἐλθων*) dixit (filius prodigus): quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo";

b) poenitere, *μεταμελειν*, *μεταμελεσθαι* Matth. 27, 3. 4: „Judas — poenitentia ductus (*μεταμεληθεις*) retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens: peccavi, tradens sanguinem justum (*ἀθωον*, innoxium)." — Act. 3, 19. provocat s. Petrus: „Poenitemini igitur et convertimini (*μετανοησατε ουν και ἐπιστρεψατε*), ut deleantur peccata vestra";

c) fateri, nos peccare aut peccasse Luc. 15, 18: „Dicam ei: pater peccavi (*ἡμαρτον*) in coelum et coram te" v. 19. cfr. C. 18, 13. et 1 ad Cor. 15, 9. — 1 Joan. 1, 10: „Si dixerimus, quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum (Christum) et verbum ejus non est in nobis";

d) converti ad Deum Act. 14, 14: „Annuntiantes vobis ab his vanis converti (*ἐπιστρεφειν*) ad Deum vivum" cfr. Matth. 18, 3; Luc. 1, 17. — Act. 15, 3: „Narrantes conversionem (*ἐπιστροφην*) gentium, et facie-

bant gaudium magnum omnibus fratribus" coll. v. 19; C. 26, 18; 2 ad Cor. 3, 16; haec contritio debet esse supernaturalis, relata ad Deum, ut ita dicam, peccato offensum et quidem potest esse vel perfecta, uti in Magdalena, vel imperfecta, uti in Ninivitis, quarum illa huic erit praeferenda.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Cyprian. epp. lib. 1. ep. 2: „Statueramus — participato invicem nobiscum consilio, ut, qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu poenitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeat, pacem sub ictu mortis acciperent." — 2) Basil. hom. in Ps. 32. n. 3: „Vult tui misereri judex, teque miserationum suarum facere participem, si modo post peccatum repererit te humilem, contritum (ταπεινον, συντετρεμμενον), prava opera multum deplorantem, ac ea, quae clam facta sunt, evulgantem citra pudorem, rogantem fratres, tibi ut sint adjumento ad accipiendam medelam." — 3) Ambros. de poenit. lib. 1. C. 2: „Qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam poenitentiam." — 4) Chrysost. hom. 9. ad Hebr. C. 6: „Oportet alia quoque addere humilitati, si talis sit, qualem beatus David habebat, dicens: cor contritum et humiliatum Deus non despicies; nam quod est contritum, non exurgit, non ferit, sed est paratum ad male patiendum, ipsum autem non exurgit; talis est cordis contritio, etiamsi affecta fuerit contumelia, etiamsi male passa, quiescit nec concitatur ad vindictam."

b) Concilia: 1) Florentin. in decret. Eugen.: „Prima (pars) est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero." — 2) Trident. sess. 14. Cap. 4. definit contritionem, quae est „animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum promisso non peccandi de caetero" citans loca Ps. 6, 7; Ps. 50, 6; Jer. 35, 15; Ezech. 18, 31.

et dividens in contritionem perfectam et imperfectam seu attritionem; hinc can. 5: „Siquis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum — cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam; — anathema sit.“

II. Confessio.

A) *N. T.* Confessio peccatorum Specialis (*ἐξομολογησις*) patet

1) ex Joan. 20, 22. 23. vi argumenti indirecti, cum Jesus Apostolis suis, dispensatoribus gratiarum 1 ad Cor. 4, 1. dederit potestatem, remittendi ac retinendi peccata; jam vero haec potestas non aliter, quam per confessionem exerceri potest, qua non concessa, quorum peccata remittantur aut retineantur (quod posterius praecipue notandum), in incerto maneret; ergo, ut finis remissionis peccatorum attingi possit, revelatio universi status moralis quoad sensus, affectus et cupiditates, atque enumeratio peccatorum quoad naturam, speciem et numerum est necessaria, ex quo simul apparet, hoc dogma jam in evolvenda remissionis peccatorum idea situm esse, nec consilium, sed praeceptum a Jesu datum permanere.

2) Exempla in s. scriptura occurrentia hanc veritatem magis confirmant; en exemplum in Act. 19, 18: „Multique credentium veniebant, confitentes (*ἐξομολογουμένοι*) et annuntiantes actus suos“; hic caussa confessionis non erat merus timor (licet saepe mortis horror peccatorem subinde ad confessionem cogat, ut experientia docet), sed et glorificatio nominis Jesu ob miracula ibi patrata, uti vers. 17. edicit: „Et cecidit timor super omnes illos et magnificabatur nomen Domini Jesu“; insuper confessio est nec libertati hominis contraria, cum in rebus gravissimis saepe a nobis amicus consulatur detecto statu morali, omnisque coactio tollatur; nec mora-

litati noxia, cum hypocrita confessione generali perinde abutatur, ac speciali; usu enim recte adhibito haec institutio religionis catholicae et est et manet inclytissima et naturae humanae aptissima, praecipue si innumera, quae ex illa oriuntur commoda perpendantur. — Exempla de retentione peccatorum audivimus supra Act. 8, 21. 22. de Simone Mago et 1 ad Cor. 5, 5. de Corinthio adultero.

3) Alia confessionis loca, etsi non sint argumenta stricte talia, hic tamen non praetereunda puto, cum semper adest ἐξομολογησις sive sit specialis, sive generalis Matth. 3, 6: „Baptizabantur ab eo (Joanne) in Jordane, confitentes (ἐξομολογουμενοι, ergo in genere) peccata sua" — Jac. 5, 16: „Confitemini (ἐξομολογεισϑε) ergo alterutrum peccata vestra."

Finitam confessionem sequitur absolutio his verbis, quae constituunt formam, expressa: „Ego te absolvo a peccatis tuis" juxta praescriptum et dictum Jesu Christi Matth. 9, 2. et Luc. 7, 48: „Remittuntur tibi peccata tua" et plus quam probabile est, Apostolos iisdem, queis Jesus, verbis usos fuisse, cum in retentione peccatorum Act. 8, 21. 22. et 1 ad Cor. 5, 5. indicatur, hominem peccatorum remissione aut nunquam dignum, aut saltem pro hoc momento indignum esse et communione sanctorum eorumque praerogativis et juribus destitui.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Clem. Rom. ep. 1 ad Cor. C. 51: „Melius est homini confiteri (ἐξομολογεισϑαι) de lapsibus et peccatis, quam indurare cor suum" exemplum exhibens in Pharaone cfr. C. 52. et ep. 2 ad Cor. 8. — 2) Tertull. de poenit. C. 12: „Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicae munimenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris, cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? — Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, praeteribit illam? — Poenitentiam enim (Pharao) et ministerium ejus exomo-

logesin abjecerat" cfr. C. 9. et 10. — 3) Orig. in Lev. hom. 2: „Est adhuc — per poenitentiam remissio peccatorum, — cum (peccator) non erubescit, sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam" — hom. 3: „Omni genere pronuntianda sunt et in publicum proferenda, siquod in occulto gerimus, siquod in sermone solo vel etiam intra cogitationum secreta commisimus: cuncta necesse est publicari, cuncta proferri" cfr. in Num. hom. 10; select. in Ps. hom. 2. in Ps. 37; in Luc. hom. 17; de orat. n. 28. — 4) Cyprian. serm. de laps.: „Quoniam tamen de hoc (scil. sacrificii facinore) vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentur, exomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt. — Confiteantur singuli quaeso — delictum suum, — dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est" cfr. ep. 32. 55. et 56. — 5) Lactant. instit. div. lib. 4. C. 17: „Poenitentiam nobis in illa circumcisione (Deus) proposuit, ut, si cor nudaverimus, id est, si peccata confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur." — 6) Basil. reg. brev. tract. respons. ad interrog. 288: „Peccata iis confiteri necesse est (ἐξομολογεισθαι τα ἁμαρτηματα δει), quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est" cfr. respons. ad interrog. 229; comment. in Is. C. 9; n. 230; C. 10. n. 244. — 7) Pacian. exhort. ad poenit.: „Rogo vos, fratres, — per illum Deum, quem occulta non fallunt: desinite vulneratam tegere conscientiam." — 8) Greg. Nyss. contr. Eunom. orat. 11: „Si venerandorum et honorabilium hominum sanctae trinitatis confessio est inutilis, inutiles etiam sunt ecclesiae ritus; in his autem ritibus sunt sigillum, deprecatio, baptisma, peccatorum confessio (των ἁμαρτιων ἐξαγορευσις), ad mandata promtitudo, morum emendatio" cfr. serm. in eos, qui alios acerbe judicant. — 9) Ambros. serm. 34: „Ecce nunc tempus ad-

est, in quo et peccata vestra confiteri Deo et sacerdoti et per jejunia et orationes et lacrymas atque eleemosynas delere debetis; quare erubescit peccator manifestare peccata sua, quae et Deo et angelis omnibus atque cunctis electis animabus sunt nota et manifesta? Confessio a morte animam liberat, confessio paradisum aperit, confessio spem salvandi tribuit" cfr. lib. 7. in Luc. C. 15; de Spir. s. lib. 3. C. 8. — 10) Chrysost. hom. 9. in ep. ad Hebr.: „Medicamentum poenitentiae — quomodo conficitur? — Ex suorum peccatorum condemnatione et confessione. — Dic peccata tua, ut justificeris" cfr. hom. 31; de poenit. hom.; de sacerd. lib. 3. C. 6. — 11) Hieron. ad Marcell. ep. 54: „Illi erubescunt confiteri peccata, quasi justi, nos dum poenitentiam agimus, facilius veniam promeremur" cfr. in Ps. 28; in Eccles. C. 10; in Is. C. 14. — 12) Augustin. serm. 393: „Si ad ultimum vitae steterit (peccator); nescit, si ipsam poenitentiam accipere ac Deo et sacerdoti peccata sua confiteri poterit." — 13) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 7. C. 23: „Surgit mortuus, quando magna Dei gratia resipiscit peccator; prodit de monumento, quando confitetur peccata sua, sed tamen adhuc ligatus est, adhuc reus, suis viribus absolvi non potest; praecipit ergo Dominus discipulis, ut eum absolvant et abire sinant." — 14) Greg. M. in Evang. lib. 2. hom. 26: „Mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas confitetur. — Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator; venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores ecclesiae ei poenam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit" cfr. hom. 40. n. 2; moral. lib. 8. (in C. 7. Job.) C. 21. n. 37.

Summa horum locorum est:

a) datur peccatorum confessio specialis in ecclesia, Greg. Nyss.; instituta a Domino, Tertull. Cyrill. Alex.; quae est lapsis post baptismum subsidium secundum, Tertull.;

b) vi cujus oportet confiteri delicta, Cyprian.; peccata, Basil. Ambros. Chrysost. Augustin. Cyrill. Alex.; nequitiam et culpam, Greg. M.; vel quod idem, cor nudare Lactant.; et non tegere conscientiam vulneratam, Pacian.; nec erubescendum confiteri peccata, Hieron. Greg. M.;

c) quidquod oportet peccata occulta, sermones, et cogitationum secreta publicare et proferre, Orig. Cyprian.;

d) sacerdoti, Orig. Cyprian. Basil. Ambros. Augustin.;

e) quam confessionem sequitur remissio peccatorum, Cyprian.; venia, Lactant. Hieron.; liberatio a morte, spes salutis, Ambros.; et justificatio, Chrysost.

b) Concilia 1) Rhemens. sub Leone 3. P. Cap. 12: omnibus his actis, ventilata est ratio poenitentiae, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere et poenitentiam secundum canonicam institutionem poenitentibus deberent indicare" cfr. Cap. 16. — 2) Florent. in decret. Eugen.: „Secunda (pars) est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. — Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: ego te absolvo." — 3) Trident. sess. 14. de confess. C. 3: „Docet praeterea s. synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo." — C. 5: „Universa ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere — oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia — in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint; — manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse atque a patribus in concil. Lateran. congregatis initium habuisse, docere non verentur." — C. 6. de absolutione:

„Quum autem absolutio sacerdotalis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non solum nudum ministerium vel annuntiandi evangel. vel declarandi remissa esse peccata, sed adinstar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur"; inde can. 6: „Siquis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino"; — Can. 7: „Siquis dixerit, in sacram. poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia — etiam occulta" cfr. Can. 8. — C. 9: „Siquis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem; — anathema sit."

III. Satisfactio seu μετανοια.

A) *N. T.* Satisfactio in s. scriptura varie exprimitur et quidem

1) poenitentia in sensu proprio, μετανοια, = mentis et vitae mutatio Matth. 4, 17: „Poenitentiam agite (μετανοειτε = resipiscite, nolite amplius peccare Joan. 5, 14.): appropinquavit enim regnum coelorum" cfr. C. 3, 2; Marc. 1, 15; Luc. 3, 8. — Luc. 13, 5: „Si poenitentiam non egeritis (ἐαν μη μετανοητε), omnes similiter peribitis" cfr. C. 15, 7. — Act. 2, 38. provocat s. Petrus dicens: „Poenitentiam agite (μετανοησατε)" cfr. C. 11, 18; C. 17, 30; C. 26, 20; ad Hebr. 6, 1; C. 12, 17; Apoc. 2, 5; attamen haec vox: μετανοια in locis nonnullis indicat universam salutis et gratiae oeconomiam praedicationi doctrinae et redemtioni per mortem Jesu innixam Luc. 24, 47; Act. 5, 31; C. 13, 24; C. 20, 21; ad Hebr. 6, 6;

2) renovatio, ἀνακαινωσις, mentis et vitae ad Eph. 4, 23: „Renovamini (ἀνανεουσθαι, renovari), autem spiritu mentis vestrae" cfr. ad Rom. 6, 4; ad Col. 3, 10; hinc hae voces a) nova creatura 2 ad Cor. 5, 17; ad Gal. 6, 15. coll. C. 5, 6; Jac. 1, 18; b) novitas spiritus ad

Rom. 7, 6; c) circumcisio cordis in spiritu C. 2, 29; d) interior homo C. 7, 22; e) prudentia spiritus C. 8, 6;

3) regeneratio, ἀναγεννησις 1 Petr. 1, 23: „Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum";

4) sanctificatio, ἁγιασμος 1 ad Thess. 4, 3: „Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra" coll. C. 5, 23; ad Rom. 6, 22; 1 Petr. 1, 15; inde a) condelectari legi ad Rom. 7, 22; b) ministrare virtuti 2 Petr. 1, 5; c) carnem crucifigere ad Gal. 5, 24; d) spiritu ambulare v. 16. et 25.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. de poenitent. C. 2: „Ubi metus nullus, emendatio proinde nulla: ubi emendatio nulla, poenitentia necessario vana, quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, id est, hominis saluti." — 2) Cyprian. epp. lib. 1. ep. 8: „Dominus longa et continua satisfactione placandus" cfr. serm. de laps. — 3) Lactant. instit. div. lib. 4. C. 17: „Si peccata confessi satis Deo fecerimus, veniam consequimur." — 4) Basil. ep. 22. (al. 411.) de perfect. vit. monast. C. 3: „Oportet eum, qui peccati poenitere se dicit, non compungi solum ob peccatum admissum, sed fructus etiam poenitentiae dignos facere (καρπους ἀξιους ποιησαι της μετανοιας)" cfr. de hom. struct. orat. 2. C. 8. — 5) Ambros. ad virg. laps. C. 8: „Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem" cfr. lib. 7. in Luc. C. 12. — 6) Chrysost. in Ps. 107. hom.: „Confessio poenitentiam monstrat, satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat." — 7) Augustin. hom. 50: „Non sufficit, mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis." — 8) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 7. C. 23: „Nullus peccator absolvatur, ante-

quam per dignam poenitentiam correctus intrinsecus apparet vivificatus"; ergo

a) satisfaciendum est Deo, Lactant.; ob scelera, Ambros.; de factis per poenitentiam, Augustin.; fructus poenitentiae dignos faciendo, Basil.;

b) satisfactione Deus est placandus, Cyprian.; et sine emendatione poenitentia vana, Tertull.;

c) digna poenitentia intrinsecus vivificat, Cyrill. Alex.; et veniam impetrat, Lactant. Chrysost.

b) Concilia 1) Constitut. apost. lib. 2. C. 7: „Qui vero post baptisma peccarit, nisi eum peccati poeniteat et peccare desinat (οὗτος ἐαν μη μεταγνῳ και παυσηται του πλημμελειν), ad gehennam damnabitur" cfr. C. 12. et 13. — 2) Concil. Lateran. 4. Cap. 1: „Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram poenitentiam semper potest reparari." — 3) Florent. in decret. Eugen.: „Tertia (pars) est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, jejunium, et eleemosynam." — 4) Trident. sess. 14. C. 8: „S. synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur; — debent ergo sacerdotes Domini — pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere. — Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui patres et credunt et docent"; huc can. 15. — Cap. 9: „Docet praeterea, eam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis, sponte a nobis — aut sacerdotis arbitrio — impositis, sed etiam — temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter to-

leratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valemus"; huc can. 13.

§. 68.

III. Effectus poenitentiae.

A) *N. T.* Effectus sacramenti poenitentiae confessione peracta sunt:

1) remissio et venia peccatorum Joan. 20, 23;

2) justificatio et restitutio in statum priorem, sive collatio gratiae sanctificantis; remisso enim peccato tollitur status amissae justitiae, ergo sequitur restitutio in statum gratiae seu justificatio, quae fit per collationem gratiae sanctificantis;

3) liberatio a poena aeterna cum peccato connexa; sublato enim peccato tollitur quoque poena aeterna peccato debita;

4) pax et serenitas animi et vitae;

5) revivifiscentia operum bonorum ac meritorum per peccatum amissorum ad Hebr. 6, 10: „Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri (scil. praeteriti) et dilectionis (text. gr. *του κοπου της ἀγαπης*, laboris dilectionis), quam ostendistis in nomine ipsius";

6) spes beatitudinis aeternae, quae sequitur ex numeris citatis.

Ex his effectibus et fine sacramenti elucet necessitas remissionis peccatorum; et loco Joan. 20. etsi subjacent necessitas hypothetica, non categorica, cum Jesus Apostolis hanc potestatem dederit respectu eorum, quibus clavium potestate uti placeat; haec tamen necessitas semper permanet salva et incolumis, non alio scilicet reconciliandi se Deo hominibus dato remedio; insuper notandum, hanc esse quoque potestatem retinendi, et, cum actus vere judicialis intervenit, cuivis hoc remedio

uti liberum et esse et manere, quia necessitas hujus sacramenti sublato peccati statu cessare potest.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Lactant. instit. divin. lib. 4. C. 17: „Si peccata confessi satis Deo fecerimus, veniam consequimur." — 2) Basil. comment. in Is. C. 14. n. 278: „Qui inquinatur peccato aliquo, praesentem quidem amittit munditiam, sed expiatione, quae deinceps per poenitentiam speratur, nequaquam caret (της εἰς το μελλον ἐκ μετανοιας ἐλπιζομενης καθαρσεως οὐκ ἀποστερειται)." — 3) Greg. Nyss. in eos, qui alios acerb. judicant.: „Quid — aliud est poenitentia, nisi dissolutio et eversio praeteritorum, quae vel re vel cogitatione sunt admissa? Qui vero cognita poenitentiae utilitate adhuc in flagitiorum et impietatis coeno volutatur, similis est illi servo, qui dominum sibi iratum sciens, in ejus conspectu scelerate se gerit, peccatumque duplicat. Explora celeriter et diligenter animadverte morbum, quo affectus es; suscipe ex eo dolorem, quantum maximum potes; afflige te, fratresque benevolos atque unanimes adhibe, qui simul doleant, adjumentoque sint, ut libereris." — 4) Epiphan. haer. 59: „Siquis lapsus est, hunc non perdit sancta Dei ecclesia; dat enim et reversionem et post poenitentiam, veniam. — Suscipit enim Deus poenitentiam, etiam post baptisma, siquis lapsus fuerit." — 5) Chrysost. hom. 9. in ep. ad Hebr. C. 6: „Novos facere est solius baptismi: renovabitur, inquit, sicut aquilae, juventus mea. Poenitentiae autem est, eos, qui novi facti sunt, deinde a peccatis inveteraverunt, liberare a vetustate, solidosque reddere; ad illum autem splendorem non licet reducere; illic enim totum est gratia. — Poenitentia magnam vim habet et potest eum, qui est peccatis immersus, si velit, liberare ab onere peccatorum, et eum, qui est in periculo, in tuto collocare, etiamsi venerit in ipsum vitii profundum" cfr. hom. 12. in C. 7. et hom. 14. in C. 8. — 6) Hieron.

in Am. C. 5: „Poenitentia reddit vulneris sanitatem“ — in Os. C. 14: „Poenitudo sordes abluit peccatorum“; ergo effectus sunt a) dissolutio et eversio praeteritorum peccatorum, Greg. Nyss.; liberatio a vetustate et onere peccatorum, in tuto collocatio, Chrysost.; b) vulneris sanitas, Hieron.; c) expiatio, Basil.; ablutio sordium peccatorum, Hieron.; d) venia, Lactant. Epiphan.

b) Concilia 1) Florent. in decret. Eugen.: „Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.“ — 2) Trident. sess. 14. cap. 3: „Res et effectus hujus sacramenti — reconciliatio est cum Deo, quam — conscientiae pax et serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet“ cfr. sess. 6. cap. 16. integrum. — Respectu necessitatis hujus sacramenti docet sacrosancta synodus cap. 2: „Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus“ cfr. cap. 1.

§. 69.

IV. Minister legitimus seu dispensans poenitentiam.

A) *N. T.* Dispensatores hujus sacramenti, quibus data est potestas remittendi ac retinendi peccata, secundum institutionem Christi Joan. 20, 21. 22. 23. et Matth. 18, 18. sunt successores Apostolorum, episcopi scilicet et presbyteri, ut patet ex dictis.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Orig. in Num. hom. 10. n. 1: „Pontifice opus est, ut peccatorum remissionem possit accipere.“ — 2) Firmilian. in ep. ad Cyprian. apud Mansi tom. 1. pag. 917: „Potestas — peccatorum remittendorum Apostolis data est — et episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt.“ — 3) Pacian. ep. ad Sympronian.: „Si ergo lavacri et chrismatis potestas majorum longe charismatum ad episcopos inde (scil. ab Apostolis) descendit; et ligandi quoque jus adfuit atque sol-

vendi, quod etsi non id ob nostra peccata temerarie vindicamus, Deus tamen illud ut Apostolorum cathedram tenentibus non negabit.“ — 4) Ambros. de poenit. lib. 1. C. 2: „Jus hoc (peccata remittendi ac retinendi) solis permissum sacerdotibus est“ cfr. de Abel et Cain lib. 2. C. 4; in Ps. 118. octon. 10. — 5) Chrysost. lib. 3. de sacerd.: „Quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad coelos usque pervadit, usque adeo, ut quaecunque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, atque servorum sententiam Deus confirmet.“ — 6) Hieron. comment. in Matth. C. 16: „Alligat vel solvit episcopus vel presbyter non eos, qui insontes et noxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive solvendus.“ — 7) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 7. C. 23: „Ipsis (Christi discipulis) et reliquis ecclesiae successoribus eorum data est potestas dimittendi; ait enim: Quaecunque solveretis etc. ergo ministri legitimi sunt: a) Apostoli eorumque successores episcopi, Firmil. Cyrill. Alex.; pontifices, Orig.; episcopi, Pacian.; b) episcopi et presbyteri, Hieron.; sacerdotes, Ambros. Chrysost. Elogium Cypriani epp. lib. 3. ep. 17: „Apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possunt“ non de vera absolutione, sed de receptione in ecclesiam intelligendum est.

b) Concilia 1) Florent. in decret. Eugen.: „Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris.“ — 2) Trident. sess. 14. C. 6: „Circa ministrum autem hujus sacramenti declarat s. synodus, falsas esse et a veritate evang. penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopum et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt“; dein can. 10: „Siquis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut solos sacerdotes esse ministros absolutionis; — anathema sit.“

§. 70.

V. Subjectum poenitentiae seu accipiens peccatorum remissionem.

Subjectum sunt omnes fideles post baptismum in peccatum lapsi; idquod liquet ex ipsa natura et indole hujus sacramenti, ex locis supra citatis tum s. scripturae, tum traditionis, accedentibus ad consequendam peccatorum remissionem conditionibus scil. conscientiae scrutinio, contritione et proposito, non amplius peccandi, confessione et satisfactione, de queis jam dictum.

Huc referenda est doctrina de indulgentiis nixa locis Matth. 18, 18; Joan. 20, 22. 23; 1 ad Cor. 5, 5; 2 ad Cor. 2, 5., quae, cum maxime historice tractanda sit, historiae dogmatum christiano — catholicorum recte reservatur, in qua materia praecipue commendatur libellus: Historisch-dogmatische und practische Abhandlung über den Ablass, editus a clarissimo magistro Pio Brunquell; juvabit tantum commemorare decretum concilii Tridentini de indulgent. sess. 25: „Sacrosancta synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum in ecclesia retinendum esse docet et praecipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant. — In his tamen concedendis moderationem juxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.“

Caput VII.

V. Unctio.

§. 71.

Symbolum unctionis aegrotorum una cum peccatorum remissione in V. T. valere et haberi potest mundatio leprosi a Moyse praecepta et a sacerdotibus peracta, vi cujus

cujus mundandus agnos duos, quorum alter pro delictis mactatus fuit, et olei sextarium offerre debuit Lev. 14.

Unctio aegrotorum, vel, ut vulgo vocatur, unctio extrema, in nova lege est sacramentum, quo fidelibus aegrotis per unctionem olei et orationem peractam determinata quaedam gratia scil. sanctificans confertur.

I. Origo et institutio unctionis.

A) *N. T.* Origo et institutio unctionis aegrotorum in nova lege nonnisi a Christo solo promanare potest; nam etsi locus immediatus in s. scriptura non occurrat, Christum tamen, cujus deliciae in terra et negotium fuit, aegrotos sanare, infirmos curare, peccatores Deo reconciliare, in morbos et mortem imperium exercuisse, peccata remisisse, eamque potestatem aliis impertitum fuisse, doctrina vulgatissima, et Apostolos hac potestate a Jesu exornatos fuisse, legimus apud Marc. 16, 17. 18. eaque in propaganda religione usos, legimus apud Jacob. 5, 14. 15: „Infirmatur (ἀσθενει) quis in vobis, inducat presbyteros (τους πρεσβυτερους) ecclesiae, et orent (προσευξασθωσαν) super eum, ungentes (ἀλειψαντες) eum in nomine Domini: et oratio fidei salvabit (σωσει) infirmum (τον καμνοντα), laborantem scil. morbo) et alleviabit (ἐγερει, eriget) eum Dominus; et si in peccatis sit (ἁμαρτιας ῃ πεποιηκως, peccata fuerit perpetrans = perpetraverit), remittentur (ἀφεθησεται, remittetur) ei“; hoc in loco est sermo de unctione aegrotorum a presbyteris ecclesiae peragenda una cum effectibus inde oriundis; datur enim periodus, ubi homini cum morbis luctandum est, et prospectus in vitam futuram aperiuntur, in quo casu animi confortatio et subsidium divinum maxime necessaria sunt, quae conferuntur per sacram unctionem, extremam ideo dictam, quia est vere ultima, quam Christianus ad finem religiosum accipit.

B) *Traditio* a) ss. patres citantes locum s. Jacobi declarant et explicant de sacramento unctionis 1) Orig.

in Lev. hom. 2. — 2) Chrysost. lib. 3. de sacerd. — 3) Innocent. P. ep. ad Decentium C. 8. addens: „Non est dubium, de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere (scil. Jac. 5, 14. 15.).“ — 4) Cyrill. Alex. lib. 6. de ador. in spir. et verit. — 5) Caesar. serm. 215. de temp. in edit. s. August. append. et serm. 279.

b) Concilia 1) Lugdun. 2. anno 1274: „Aliud est extrema unctio (το ἐσχατον χρισμα), quae secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus (τοις ἀσθενεσι) adhibetur.“ — 2) Trident. sess. 14. de extr. unct. cap. 1: „Instituta est autem sacra haec unctio infirmorum tanquam vere et proprie sacramentum novi testamenti — per Jacobum — fidelibus commendatum ac promulgatum: infirmatur etc.; inde can. 1: „Siquis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus aut figmentum humanum; anathema sit.“

§. 72.

II. Essentia unctionis seu materia et forma.

A) *N. T.* 1) Materia est oleum, scil. oleum olivarum, quod vulgo adhibetur pro lampadibus ad ardendum Matth. 25, 3. 4. 8; pro vulneribus curandis Marc. 6, 13; Luc. 7, 46; C. 10, 34., quin definitum sit, qualis corporis pars sit ungenda; hinc in praxi nobiliores corporis humani partes unguntur.

2) Forma, haec unctio fit in nomine Domini (ἐν τῳ ὀνοματι του κυριου), subsequente oratione fidei (εὐχῃ της πιστεως, id est, secundum praescriptum et voluntatem Domini et cum fiducia in Christo, conjuncta cum precibus pro corporali et spirituali aegrotantis salute.

B) *Traditio* a) en ss. patres supra dicti et Caesar. serm. 279: „Quantum rectius et salubrius est, ut — oleo benedicto se et suos fideliter perungerent“ cfr. Greg. M. in sacram.

b) Concilia 1) Florent. in decret. Eugen.: „Extremae unctionis materia est oleum olivae per episcopum benedictum. Forma hujus sacramenti est haec: Per istam etc.“ — 2) Trident. sess. 14. C. 1: „Intellexit enim ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum — formam deinde esse illa verba: Per istam s. unctionem etc.“

§. 73.

III. Effectus unctionis.

A) *N. T.* Effectus unctionis sacrae peractae cum oratione conjunctae sunt:

1) sanatio aegrotantis, dicente s. Jacobo: „Oratio fidei salvabit (σωσει) infirmum“; nam salvare, σωζειν, in s. scriptura conceptum habet: adjuvare, sanare, salvum facere v. g. Matth. 9, 22: „Salva facta est (ἐσωθη) mulier ex illa hora“; Marc. 5, 23. ait Jairus Jesu: „Veni, impone manum super eam, ut salva sit (σωθη) et vivat“; Luc. 17, 19. ait Jesus leproso: „Fides tua te salvum fecit (σεσωκε)“; — s. Jacobus addit: „Et alleviabit (ἐγερει, eriget) eum Dominus“; nam ἐγερειν in s. scriptura denotat: erigere, restituere in sanitatis statum Marc. 1, 31: „Accedens (Jesus ad febricitantem) elevavit (ἐγειρε) eam“ cfr. C. 9, 26. et locum parallelum Matth. 8, 15: „Dimisit eam febris et surrexit (ἐγερθη = sana facta est)“; praeterea hoc verbum: ἐγειρειν conceptum quoque habet: Suscitare, animum erigere in sensu metaphorico, uti concil. Trident. intelligit. Hanc promissionem conditionatam esse, non opus est commemorare; alias nemo hac s. unctione instructus mori deberet et posset;

2) remissio peccatorum Jac. 5, 15: „Et si in peccatis sit (text. gr. καν ἁμαρτιας ῃ πεποιηκως, si peccata fuerit perpetrans = perpetraverit), remittentur ei (ἀφεθησεται αὐτῳ, remittetur ei)“; hoc in loco de peccatis actualibus et quidem gravibus vel levibus sermo est, quia statim v. 16. sequitur: „Confitemini ergo alterutrum

peccata vestra (παραπτώματα, offensiones), et orate pro invicem, ut salvemini"; non equidem negandum, unctionem in morbis quibusdam partibus externis adhibitam fuisse Is. 1, 6; Marc. 6, 13; Luc. 10, 34; hic vero est unctio religiosa a presbyteris ecclesiae in nomine Domini peragenda, cum Jacobus non personam medici, sed religionis doctoris gerat; hinc unctioni qua tali vis salvifica non tribuitur, sed respectu actionis religiosae, cum oratione conjunctae; finis enim non est inlimitatus, sed eo tendit, ut tum corporalia (= unctio), tum spiritualia remedia (= oratio) ad sanitatem recuperandam recommendentur;

3) remissis peccatis sequitur status justificationis; ergo gratia sanctificans, ita, ut aegrotantem Deus non solum non castiget poenis aeternis, sed et intrinsecus mundet et sanctificet, sicque infirmus vitam sibi promittere possit aeternam;

4) effectus denique unctionis etiam eo tendit, ut anima abstersis peccatorum reliquiis mundetur et allevietur; quod patet ex conceptu ἐγείρειν in sensu metaphorico, ut supra, desumto; tunc enim temporis opinio vulgaris fuit, morbos ex peccatis promanare horumque sequelas esse Deut. 28, 15—43; Matth. 9, 2; Joan. 4, 14; 1 ad Cor. 11, 30.

Ex his effectibus patet:

1) hanc s. unctionem eo modo institutam esse permanentem, et in saeculum duraturam, quod sequitur a) ex fine, qui est religiosus, non profanus; b) ex denominatione ministri hunc ritum exercentis, qui est presbyter vel sacerdos; c) ex denominatione subjecti, quod est infirmus quisque baptizatus; d) ex remissione peccatorum et collatione gratiae sanctificantis, quae est finis principalis; dona enim curationum sensim sensimque, id est, cum aetate Christi et Apostolorum cessarunt; e) ex praxi ecclesiae, quae

ab aetate s. Jacobi usque huc hunc ritum religiosum exercuit;

2) patet, hanc unctionem minime negligendam quodammodo necessariam, consequenter pretii maximi esse.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Orig. in Lev. hom. 2: „Est adhuc et septima licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, — in quo et impletur illud, quod Apostolus dicit: siquis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini etc." — 2) Chrysost. lib. 3. de sacerd.: „(Sacerdotes) condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, infirmatur enim aliquis in vobis, advocet presbyteros ecclesiae etc." — 3) Augustin. sermm. de temp. serm. 215: „Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem ille, qui aegrotat, accipiat et inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat presbyteros. — Videte fratres, quia qui in infirmitate ad ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere" cfr. serm. 279. — 4) Cyrill. Alex. de ador. in spir. et verit.: „Siqua tibi pars corporis dolet, et vere credis verba haec — vim habere pellendi malum illud, pro te ipso preces fundens, haec verba (Dominus Sabaoth) pronuntia, — commemorabo divinitus inspiratam scripturam, quae ait: Infirmatur quis in vobis, adducat, presbyteros ecclesiae etc."; ergo effectus unctionis sunt a) corporis sanitas Augustin. Cyrill. Alex.; b) peccatorum remissio, Orig.; condonatio, Chrysost.; indulgentia, Augustin.;

b) Concilia 1) Florent. in decret. Eugen.: „Effectus — est mentis sanatio et in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis." — 2) Trident. sess. 14. de sacr. extr. unct. cap. 2: „Res etenim haec gratia est Spiritus s., cujus unctio delicta, siquae sint adhuc expianda, ac

peccati reliquias abstergit, et aegroti animum alleviat et confirmat; magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando: qua infirmus sublevatur et morbi incommoda ac labores levius fert et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit: et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedit, consequitur"; inde can. 2: „Siquis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; — anathema sit."

§. 74.

IV. Minister legitimus seu dispensans.

A) *N. T.* Jacobus ait: „Inducat presbyteros ecclesiae (τους πρεσβυτερους της ἐκκλησιας)"; jam vero hi sunt episcopi et sacerdotes, uti patet ex Act. 11, 30; C. 14, 22; C. 15, 2. 22; 1 Petr. 5, 1; 2 Joan. v. 1; ergo etc.; an plures ad hunc actum exercendum requirantur, ex his verbis erui nequit, cum hoc in loco pluralis pro singulari, per emphasin, poni possit; nec sermo esse potest de presbyteris civilibus seu senioribus communitatis juxta loca citata, cum unctio fiat in nomine Domini accedente oratione et unctionem peccatorum remissio sequatur, quam largiri profano neutiquam competit; ergo est intelligenda persona propria consecratione ad hunc actum initiata.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Orig. in Lev. hom. 2: „Est adhuc et septima — remissio peccatorum, cum — peccator — non erubescit, sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam." — 2) Chrysost. lib. 3. de sacerd. vide supra. — 3) Innocent. P. ep. ad Decent. C. 8: „(Aegrotantes) s. oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est."

b) Concilia 1) Florent. in decret. Eugen.: „Minister hujus sacramenti est sacerdos.“ — 2) Trident. sess. 14. C. 3: „Ostenditur illic (Jac. 5.), proprios hujus sacramenti ministros esse ecclesiae presbyteros, quo nomine, eo loco, non aetate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati“; hinc can. 4: „Siquis dixerit, presbyteros ecclesiae — non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.“ — In ecclesia graeca ad hunc actum plures adhibentur sacerdotes.

§. 75.

V. Subjectum seu accipiens s. unctionem.

A) *N. T.* Subjectum sacrae unctionis potest tantum esse infirmus seu periculose aegrotans baptizatus rationis usum adeptus dicente s. Jacobo: „Infirmatur quis (ἀσθενεῖ τις) in vobis“; nam verbum ἀσθενεῖν designat: infirmum esse, sine viribus, in statu morbi esse, aegrotare cfr. Joan. 11, 1—7. et conjungitur cum verbis: curare, sanare, salvum facere Matth. 10, 8; Marc. 6, 56; ergo de morbo vero et periculoso intelligendum est, ita tamen, ut aegrotans in eo, si fieri possit, versetur statu, quo hoc sacramentum sana adhuc ratione suscipiat, quia sequitur: inducat (προςκαλεσάσθω = advocet, advocare faciat) presbyteros“; ad quod actio propria et voluntas requiritur. An parvuli rationis usum nondum adepti sint ungendi, s. scriptura nil definit; attamen ex rationibus iis quoque sacra unctio applicanda erit. In adultis dispositio quaedam ad hoc sacramentum rite suscipiendum praescribitur, fiducia scilicet in Deo et participatio orationis sacerdotalis; quidquod sacra haec unctio, quotiescunque mortis periculum instat, est suscipienda et repetenda.

B) *Traditio* a) ss. patres vide supra citatos.

b) Concil. Trident. sess. 14. cap. 3: „Declaratur etiam, s. hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur; unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quodsi infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in illud simile vitae discrimen inciderint"; hinc can. 3: „Siquis dixerit, extremae unctionis ritum et usum — repugnare sententiae b. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit."

Caput VIII.

VI. Ordo sive sacra ordinatio.

§. 76.

Manuum impositio ad munus ecclesiasticum obeundum aut ad subjectum in eo initiandum adhibita occurrit jam in V. T. Num. 27, 18. 19. 22. 23: „Dixitque Dominus ad eum (text. hebr. אל־משה, ad Moscheh): tolle (קח־לך, cape tibi) Josue filium Nun, virum, in quo est Spiritus Dei (text. hebr. אשר־רוח בו, in quo spiritus scil. est) et pone (וסמכת, et fulcies) manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine. — Fecit Moyses, ut praeceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia (Vulg. addit:) populi. Et impositis capiti ejus manibus (ויסמך את־ ידיו עליו, et fulcivit manus suas super eum) cuncta replicavit, quae mandaverat Dominus (text. hebr. ויצוהו כאשר דבר יהוה ביד־משה, et praecepit ei, quemadmodum locutus est Dominus in manu Moscheh = per Mo-

scheh)." — Deut. 34, 9: „Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiae, quia Moyses posuit (סמך, fulcivit) super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque, sicut praecepit Dominus Moysi."

In nova lege ordo est sacramentum, vi cujus manuum impositione ab episcopo facta et oratione accedente ministris ecclesiae datur potestas, munera ecclesiastica rite obeundi et ministrandi; cumque dantur in ecclesia majores ordines divinae institutionis scil. diaconatus, presbyteratus, et episcopatus, de queis supra; in hoc casu intelligendus est hic triplex gradus, quin sequatur, tria esse sacramenta, qui unius quidem sunt generis, sed diversae speciei.

I. Institutio ordinis.

A) *N. T.* Christus Apostolis suis cum potestate docendi, baptizandi Matth. 28, 19. et peccata retinendi ac remittendi Joan. 20, 21. 22. dedit quoque potestatem, eucharistiam repetendi et consecrandi Luc. 22, 19: „Hoc facite in meam commemorationem", licet de expressa manuum impositione nil legatur; qua potestate Apostoli usi ordinandis successoribus ad hunc actum celebrandum manuum impositionem applicarunt, et hunc ritum ubique strictissime observarunt, docentes ac monentes, cum hac manuum impositione gratiam sanctificantem conferri; ergo ritum, manus imponendi, a Jesu ipso mediate institutum et adhibitum, atque Apostolis traditum et praeceptum fuisse, recte concludimus; hinc videmus, Apostolos praesidibus et doctoribus fidelium ordinandis et constituendis manus imposuisse Act. 6, 5. 6. „Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sanctum, et Philippum etc. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus (προσευξαμενοι ἐπεθηκαν αὐτοις τας χειρας)." — C. 13, 2. 3: „Ministrantibus autem illis (scil. Barnabo et Saulo et aliis) Domino et jejunantibus dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in

opus, ad quod assumsi eos. Tunc jejunantes et orantes imponentesque eis manus (προσευξαμενοι και ἐπιθεντες τας χειρας αὐτοις) dimiserunt illos." — C. 14, 20. 21. 22: „(Paulus et Barnabas) reversi sunt Lystram et Iconium et Antiochiam, confirmantes animas discipulorum — et cum constituissent (χειροτονησαντες) illis per singulas ecclesias presbyteros (πρεσβυτερους) et orassent (προσευξαμενοι) cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt"; — 1 ad Tim. 4, 12. 14: „Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, (text. gr. addit: ἐν πνευματι, in spiritu), in fide, in castitate. — Noli negligere gratiam (του — χαρισματος), quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum (μετα ἐπιθεσεως των χειρων) presbyterii"; — 2 ad Tim. 1, 6. 7: „Propter quam caussam admoneo te, ut resuscites (= alas, foveas) gratiam (το χαρισμα) Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum (δια της ἐπιθεσεως των χειρων μου), non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis et dilectionis et sobrietatis"; in omnibus his locis est sermo de initiatione et consecratione praesidum et ministrorum ecclesiae ad munus sacrum et ad curam animarum fidelium, et Apostolus Paulus Timotheo et Tito alibi praecepit, ut eodem modo diaconos, presbyteros et episcopos ordinarent 1 ad Tim. 3, 1—11. et 12—15; ad Tit. 1, 5., ubi monet ac hortatur, in hoc negotio prudenter et non properanter agendum esse, cum 1 ad Tim. 5, 22. pergens adhuc de presbyterio dicat: „Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis."

B) *Traditio* a) ss. patres, de queis infra.

b) Concil. Trident. sess. 23. de sacram. ord. cap. 1: „Hoc (sacerdotium) autem ab eodem Domino salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus; nec

non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae literae ostendunt, et catholicae ecclesiae traditio semper docuit"; hinc can. 3: „Siquis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum; — anathema sit."

§. 77.

II. Essentia ordinis sive materia et forma.

A) *N. T.* 1) Materia est manuum impositio, diversa ab illa baptizatis applicata, cum ordinatio pro ordinandis ad opus sacrum instituta et confirmatio statim post baptismum collata actus sunt duo diversi et videre licet exemplum Act. 9, 17., ubi Ananias Saulo ad visum recuperandum manus imposuit et eidem C. 13, 3. ad ministerium sacrum ab Apostolis manus impositae sunt, hinc instrumentorum porrectio non potest esse materia, quia in s. scriptura de illa nihil occurrit.

2) Forma est oratio cum manuum impositione conjuncta Act. 6, 6; C. 13, 3; C. 14, 22; licet in Actis C. 13. et 14. fiat mentio de jejunio; ipsum tamen tanquam exercitium externum non tanti potest esse momenti, quanti oratio, quae gratiam sanctificantem operatur et efficit.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Orig. in Levit. hom. 9: „Omnes quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt" cfr. in Matth. tom. 14. n. 22. — 2) Ephrem Syr. de sacerd.: „O potestas mirabilis, quae in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sanctorum sacerdotum (*δι' ἐπιθεσεως χειρων ἁγιων ἱερων*)." — 3) Epiphan. haer. 75: „Quinam fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat." — 4) Greg. Nyss. orat. de s. bapt.: „Eadem etiam verbi vis sacerdotem augustum et venerandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum." — 5) Am-

bros. de sacerd. C. 5: „Homo imponit manus — sacerdos imponit supplicem dexteram, — episcopus initiat ordinem.“ — 6) Hieron. comment. in Is. C. 58: „Plerique χειροτονιαν, id est, ordinationem clericorum, quae non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus — intelligunt.“ — 7) Theodoret. in ep. 1 ad Tim. C. 5: „Oportet prius examinare vitam ejus, qui ordinatur, deinde in ipsum invocare gratiam Spiritus s.“; ergo secundum ss. patres

a) materia est manuum impositio, Ephrem, Epiphan. Ambros. Hieron. et unctio chrismatis, Orig.;

b) forma est oratio, Greg. Nyss. imprecatio vocis, Hieron.; invocatio gratiae Spiritus s., Theodoret.

b) Concilia 1) Carthag. 4. anno 398. cap. 3: „Presbyter cum ordinatur ab episcopo eum benedicente et manum super caput tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant.“ — 2) Chalcedon. anno 451. act. 15. can. 6: „Neminem absolute ordinari presbyterum vel diaconum — nisi manifeste in ecclesia civitatis sive possessionis aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatae vocabulum; eorum vero, qui absolute ordinantur, decrevit s. synodus, vacuam haberi manus impositionem.“ — 3) Florentin. in decret. Eugen.: „Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem (qua concessa manuum impositio non est exclusa) — Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis in nomine P. et F. et Sp. s.“ — 4) Trident. sess. 23. cap. 3: „Sacra ordinatio — verbis et signis exterioribus perficitur.“ In praxi adhibetur in ordinatione sacra unctio; hinc can.: „Siquis dixerit, sacram unctionem, qua ecclesia in sancta ordinatione utitur, non

tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias ordinis ceremonias; anathema sit."

§. 78.

III. Effectus ordinis.

A) *N. T.* Effectus sacrae ordinationis sunt

1) externi, qui in eo consistunt, ut ordinatus declaretur et agnoscatur coetus christiani minister et praepositus, fiatque ex laico clericus, et particeps potestatis et dignitatis externae in muneribus ecclesiasticis;

2) interni a) communicatio Spiritus s., id est, communicatio gratiae Spiritus sancti = gratia sanctificans, quae hic ad finem longe alium operetur ac in confirmatione; quaelibet enim gratia (χαρισμα) est effectus Spiritus sancti 1 ad Cor. 12, 4: „Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus" cfr. Joan. 20, 22; Act. 20, 28. dicente s. Paulo expresse, per manuum impositionem conferri gratiam 1 ad Tim. 4, 14., ubi Timotheum monet, ne negligat gratiam per ordinationem datam et 2 ad Tim. 1, 6. eundem ad resuscitationem hujus gratiae provocat, qua gratia ad apostolatum a Deo et Jesu Christo collata Apostoli praecipue se praeditos et insignitos esse gloriantur ad Rom. 1, 5; C. 12, 3. 6; 1 ad Cor. 3, 10; C. 12, 4. 9. 31; jam vero sub vocibus: gratia et charisma gratia Spiritus s. = gratia sanctificans intelligitur praesulibus et ministris ecclesiae principaliter collata 1 ad Cor. 12, 28; ergo etc.; cumque Apostoli hunc ritum strictissime observarunt, patet ordinationem non esse meram ceremoniam, sed actum religiosum ad efficiendam gratiam institutum; b) character indelebilis, qui imprimitur sacros ordines suscipientibus.

Ex his effectibus patet α) manuum impositionem esse necessariam sacros ordines, diaconatum, presbyteratum, et episcopatum suscipienti, sine qua hi ordines nec licite nec valide exerceri possunt; β) sacram ordinatio-

nem perpetuo duraturam esse similiter patet ex fine supra memorato et ex historia in Actis Apostolorum.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. exhort. castit. C. 7: „Differentiam inter ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo.“ — 2) Ephrem Syr. de sacerd.: „Sacerdotium — e terra sursum in coelum volitat — postulat, ut Spiritus s. pariter descendat (ὁπως το παρακλητον πνευμα συγκατελϑῃ) sanctificetque dona.“ — 3) Greg. Nyss. orat. de s. bapt.: „Repente redditur praeceptor, praeses, doctor, pietatis, mysteriorum latentium praesul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus sed quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens (ἀορατῳ τινι δυναμει και χαριτι την ἀορατον ψυχην μεταμορφωϑεις προς το βελτιον).“ — 4) Chrysost. lib. 3. de sacerd.: „Ipse paracletus ejusmodi ordinem disposuit. — Tum probe intelliget, quanto sacerdotes honore, quanta dignitate, quanta Spiritus s. gratia dignati fuerint.“ — 5) Ambros. epp. lib. 3. ep. 25: „In sacerdotibus divina magis, quam humana operatur gratia“ cfr. de dign. sacerd. C. 5. — 6) Augustin. contr. ep. Parmen. lib. 2. C. 13: „Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque hoc datur, illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur. — Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud (sacramentum baptizati) non amittitur et istud (sacramentum ordinati) amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est.“ — 7) Greg. M. epp. lib. 2. ep. 46. ad Joan. episc.: „Sicut baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non valet consecrari“; ergo effectus ordinis sunt: a) anima in melius transformata, Greg. Nyss.; b) sanctificatio per Deum, Tertull.; c) gratia divina, Ambros.; gratia Spiritus s., Ephrem, Chrysost.; vis et gratia invisibilis, Greg. Nyss.; intrinsecus operans, Augu-

stin.; d) character indelebilis, Greg. M.; e) effectus externos enumerat, Greg. Nyss.

b) Concilia 1) Florent. in decret. Eugen.; „Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister." — 2) Trident. sess. 23. Cap. 3: „Scripturae testimonio, Apostolorum traditione et patrum unanimi consensu perspicuum est, per sacram ordinationem — gratiam conferri"; hinc can. 4: „Siquis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum s. — aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit" cfr. sess. 7. de sacram. Can. 9.

§. 79.

IV. Minister legitimus sive dispensans.

A) *N. T.* Ex locis supra memoratis apparet, ministros sacrae ordinationis legitimos et ordinarios fuisse et esse solos Apostolos Act. 6, 1—13; C. 14, 20. eorumque successores, praesules ecclesiae, episcopos 1 ad Tim. 5, 22; 2 ad Tim. 1, 6; ad Tit. 1, 5; et si legitur 1 ad Tim. 4, 14: „Cum impositione manuum presbyterii (*του πρεσβυτεριου*)"; sub voce: *πρεσβυτεριον* intelligendi sunt praesides ecclesiae, majores natu ecclesiae, episcopi, inspectores Act. 11, 30; C. 20, 17., idquod magis confirmatur 2 ad Tim. 1, 6.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Firmilian. ep. ad Cyprian. apud Mansi tom. 1. pag. 914: „In ecclesia — praesident majores natu (= episcopi, ut sequitur), qui — ordinandi possident potestatem." — 2) Chrysost. hom. 1. in ep. 1 ad Tim.: „Dignum inquisitione est, an modo illic (Ephesi) Timotheum praesulem constituerit (Paulus)." — 3) Hieron. ad Evag. ep. 85: „Quid non facit episcopus, excepta ordinatione, quod presbyter non facit?

b) Concilia 1) cann. apost. can. 1: „Episcopus a duobus vel tribus episcopis ordinetur"; can. 2: „Presbyter ab uno episcopo (*ὑπο ἑνος ἐπισκοπου*) ordinetur, et diaconus vel reliqui clerici." — 2) Constit. apost. lib. 3.

C. 11: „Neque presbyteris potestatem damus ordinandi (χειροτονειν) diaconos, aut diaconissas, aut lectores, aut ministros, aut cantores, aut janitores, sed episcopis tantum (ἀλλα μονοις τοις ἐπισκοποις); hinc enim est ordo ecclesiasticus et concentus" cfr. C. 20. — 3) Concil. Nicaen. 1. can. 19: „Rebaptizati ordinentur (χειροτονεισθωσαν) a catholicae ecclesiae episcopo." — 4) Florent. in decret. Eugen.: „Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus." — 5) Trident. sess. 23. cap. 4: „Sacrosancta synodus declarat, — episcopos — positos, sicut idem Apostolus (Paulus) ait, a Spiritu s. regere ecclesiam Dei — ministros ecclesiae ordinare"; inde can. 7: „Siquis dixerit, episcopos — non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; — anathema sit."

§. 80.

V. Subjectum ordinis seu accipiens.

A) *N. T.* Subjectum sacrae ordinationis sunt soli masculi baptizati et confirmati ac rationis usum adepti, ad quam licite et valide suscipiendam quaedam qualitates et conditiones requiruntur, quas pro diaconibus, presbyteris et episcopis praescribit s. Paulus 1 ad Tim. 3, 1—11. et 12—15; ad Tit. 1, 6—10; ex quibus locis elucet, requiri vitam inculpatam et omni scelere vacuam, cognitionem religionis profundam, dexteritatem in docendo et dispensando, bonum testimonium, saltem a superioribus; en plura in jure canonico; hinc exclusae manent feminae, quibus s. Paulus non permittit, palam docere in ecclesia, sed praescribit, iis convenire tacere 1 ad Cor. 14, 34; 1 ad Tim. 2, 11. 12.

B) *Traditio* a) ss. patres en supra citatos.

b) Concil. Sardic. anno 347: „Non prius ordinetur (episcopus), nisi ante et lectoris munere et officio diaconi presbyter fuerit perfunctus, et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus."

CAPUT

Caput IX.

VII. Matrimonium.

§. 81.

1. Origo et institutio matrimonii.

A) *V. T.* Matrimonii statum et quidem monogamiam in V. T. a Deo jam institutam fuisse, expresse declarat s. scriptura Gen. 1, 26. 27: „Et ait (Deus): faciamus hominem (אָדָם) ad imaginem et similitudinem nostram. — Et creavit Deus hominem (אֶת־הָאָדָם) ad imaginem (Vulg. addit:) et similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum (אֹתוֹ), masculum et feminam creavit eos (זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם)“, et C. 2, 22. 23. 24: „Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem (לְאִשָּׁה): et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur virago (אִשָּׁה), quoniam de viro sumta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae (וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ, et adhaerebit in uxore sua): et erunt duo in carne una (וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד, et erunt [text. hebr. שְׁנֵיהֶם, duo ipsi omittit, quod recte legunt Samarit. 70. Vulg., Syr. Arab. Pseudojonath. et Matth. 19, 5.] in carnem unam)“; his in locis monogamia tam aperte edicta est, ut nulli subjacere possit dubio; at successu temporis haec institutio originaria neglecta fuit more gentium aliarum polygamia infectarum introducto v. g. Gen. 4, 19. Lamech duas jam accepit uxores et sic perduravit in aetate patriarchali, donec Moyses exurgens polygamiam ubique introductam Deut. 21, 15—18. limitavit eamque legibus diminuere allaboravit Exod. 21, 4—9; Lev. 15; C. 22, 24; hinc quod Moyses dicit Deut. 17, 17: „Non habebit (rex) uxores plurimas, quae alliciant animam ejus (aut ut uti

text. hebr. exprimit: וְלֹא יַרְבֶּה־לּוֹ נָשִׁים וְלֹא יָסוּר לְבָבוֹ, et non multiplicabit sibi uxores et non declinabit cor ejus)", non indicat, ab illo approbari polygamiam, sed probat tantum, morem sub gente judaica jam diu vigentem nec approbari, nec abrogari, sed temporarie permitti; nihilominus polygamia post Moysen ubique pullulavit aetate judicum Jud. 8, 30; C. 10, 4—12; aetate regum v. g. David 2 Reg. 5, 13; Salomon 3 Reg. 11, 3; Roboam 2 Paral. 11, 21; eaque perduravit adhuc post aetatem Christi.

In nova lege matrimonium est sacramentum, quo matrimonii contractum legitime ineuntibus confertur gratia supernaturalis fini societatis conjugalis conveniens sicque est legitima conjunctio unius Christiani uniusque Christianae verbis vel signis coram testibus declarata et a sacerdote benedicta.

B) *N. T.* Jesus Christus matrimonii contractum ad statum et splendorem pristinum et ad institutionem reducturus in sacra oeconomia sua illum ad dignitatem sacramenti evexit, monogamiam restituendo et verba Geneseos citando dicens Pharisaeis Matth. 19, 4. 5. 6: „Non (nonne) legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam (*ἀρσεν και θηλυ*) fecit eos et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit (*προσκολληθησεται*, adglutinabitur) uxori suae, et erunt duo in carne una (*ἐσονται οἱ δυο εἰς σαρκα μιαν*, in carnem unam). Itaque jam non sunt duo, sed una caro (*ὡστε οὐκετι εἰσι δυο, ἀλλα σαρξ μια*). Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet" cfr. Marc. 10, 6—10; ex hoc loco haec doctrina erui potest; a) matrimonium = conjunctio hominum primorum a Christo pro omni sexu postero proponitur exemplar, ad quod omnia matrimonia ineunda sint accomodanda, v. 4. coll. v. 8: „Ab initio autem non fuit sic (scil. dimissio uxoris)"; b) conjunctio inter maritum et uxorem tam intime connexa est,

ut ambo quasi una caro fiant; hinc nonnisi destructa hac unitate conjunctio cum altera persona iniri potest; c) Jesus matrimonium tanquam remedium ad sanctificationem hominum institutum et ad sanctitatem atque ordinem originarium in paradiso sic constitutum reductum vult Matth. 19, 8. et Marc. 10, 6: „Ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos (Deus)"; jam vero cum Jesus Christus supernaturalem matrimonii finem vellet, media quoque huic fini correspondentia velle seu gratiam supernaturalem conjugali statui accomodatam, qua sacramenti character exprimitur, conferre debuit; ergo reapse eam contulit, sive, quod idem est, sacramentum matrimonii mediate instituit; d) in epist. ad Eph. monogamia et matrimonii unitas magis extollitur et momentum hujus status cum gratia sanctificante praedicatur, cum is sit habendus conjunctio talis et agnoscendus, qualis symbolica conjunctio Christi cum ecclesia, de qua infra.

Ex his dictis elucet:

1) contractum matrimonii a sacramento nullo modo separari posse; sacramentum enim est principale, quo contractus confirmatur; plura vide in Freys kritischem Commentar über das Kirchenrecht Theil III. §. 176 —180;

2) licitam tantum esse monogamiam, quam argumenta tum rationis, tum s. scripturae probant;

3) prohibitam econtra esse polygamiam simultaneam fini quippe matrimonii omnino contrariam Marc. 10, 11; ad Rom. 7, 3; successivam vero minime prohiberi posse 1 ad Cor. 7, 39. 40;

4) turpem ac penitus vetitam esse polyandriam, quae argumenta probabilia pro se habet omnino nulla;

5) concessa licet monogamia, tamen non sequitur, virginitatis statum non esse meliorem et perfectiorem, quam statum matrimonii dicente Apostolo 1 ad Cor. 7, 32: „Qui sine uxore est (ἄγαμος, coelebs), solli-

citus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo" et v. 38: „Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit (καλως ποιει); et qui non jungit, melius facit (κρειττον ποιει)" cfr. v. 40.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. de monog. C. 9: „Matrimonium est, cum Deus jungit duos in unam carnem, aut junctos deprehendens in eadem carne, conjunctionem signavit." — 2) Orig. comment. in Matth. tom. 14. n. 16: „Pharisaeos Moysis scriptis gloriantes, ex iis, quae in Genesi scripta sunt, convincit (servator) dicens: non legistis, quia, qui creavit ab initio, masculum et feminam fecit eos? Et quae sequuntur: propter haec erunt duo in carne una (οἱ δυο εἰς σαρκα μιαν): consequentem his verbis (in carne una, εἰς σαρκα μιαν) doctrinam subjiciens, eam scilicet: itaque jam non sunt duo, sed una caro (ὡστε οὐκετι δυο, ἀλλα σαρξ μια)." — 3) Ambros. epp. lib. 5. ep. 37: „Si ergo Adae et Evae copula sacramentum magnum est in Christo et in ecclesia; certum est, quod sicut Eva de ossibus viri fuit, et caro de carne ejus, et nos membra simus corporis Christi, os de ossibus et caro de carne ejus" cfr. de Abrah. lib. 1. C. 7. — 4) Chrysost. in Gen. hom. 56: „An non audit Paulum dicentem, quod sacramentum sint nuptiae et imago dilectionis Christi, quam erga ecclesiam declaravit." — 5) Augustin. de gen. ad lit. lib. 9. C. 7: „In ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam sacramentum commendatur" cfr. de bon. conjug. C. 24.

b) Concilia 1) Lugdun. 2: „Tenet et docet s. rom. ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma — aliud matrimonium." — 2) Florent. in decret. Eugen.: „Septimum est sacramentum matrimonium, quod est signum conjunctionis Christi et ecclesiae secundum Apostolum dicentem: sacramentum hoc magnum." — 3) Trident. sess. 24. de doctr. sacram. matrim.: „Hoc autem vinculo (hoc nunc os etc.; quamobrem

relinquet homo etc.) duos tantummodo copulari et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro, statimque ejus nexus firmitatem ab Adamo tum ante pronuntiatam his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet"; inde can. 1: „Siquis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum; — anathema sit" et can. 2: „Siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit" et can. 10: „Siquis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit."

§. 82.

II. Essentia matrimonii seu materia et forma.

A) *N. T.* 1) Materia matrimonii est consensus masculi et feminae in cohabitationem et adjutorium mutuum et traditio absoluta in omne vitae tempus.

2) Forma est benedictio et oratio sacerdotalis super conjugatos pronuntiata; ex his simul concludi potest, essentiam matrimonii non esse physicum ad procreandas soboles actum, sed cohabitationem et jus cohabitandi.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. ad uxor. lib. 2. C. 8: „Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renuntiant, pater rato habet." — 2) Basil. hom. 7. in Hexaem. C. 5: „Hoc naturae vinculum (= matrimonium) hoc jugum per benedictionem (δια της ευλογιας) impositum distantium sit conjunctio." — 3) Ambros. de institut. virg. C. 6: „Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conju-

galis" — epp. lib. 3. ep. 23. ad Virgil.: „Ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oportet." — 4) Siricius P. ep. 1. ad Himer. C. 4: „Illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur." — 5) Chrysost. hom. 31. in Matth.: „Matrimonium non facit coitus, sed voluntas." — 6) Innocent. P. ep. ad Victric. Rothomag. C. 6: „Benedictio, quae per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutae doceatur." — 7) Augustin. de nupt. et concupisc. lib. 1. C. 11: „Quibus — placuerit, ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum abstinere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; immo et firmius erit. — Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Joseph: noli timere, accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus"; ergo secundum ss. patres a) materia est pactio conjugalis, Ambros.; voluntas, Chrysost.; consensus seu fides desponsationis, Augustin.; b) forma est benedictio sacerdotalis, Tertull. Basil. Ambros. Siric. Innocent.

b) Concil. Carthag. 4. anno 398. cap. 13: „Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant."

§. 83.

III. Effectus matrimonii.

In scriptis hebraicis post exilium babylonicum editis matrimonium sancti quid habetur et benedictio a Deo imploratur; sic dicitur Tob. 7, 15: „Et apprehendens (Raguel) dexteram filiae suae dexterae Tobiae tradidit dicens: Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob

vobiscum sit et ipse conjungat vos impleatque benedictionem suam in vobis" vel secundum textum graecum: „Και λαβων της χειρος αὐτης, παρεδωκεν αὐτην Τωβια γυναικα, και εἰπεν, ἰδου κατα τον νομον Μωυσεως κομιζου αὐτην και ἀπαγε προς τον πατερα σου, και εὐλογησεν αὐτους, et accipiens manum ejus, tradidit eam Tobiae uxorem et dixit: ecce secundum legem Moysis cura illam et duc ad patrem tuum; et benedixit eis."

A) *N. T.* Effectus matrimonii est gratia sanctificans, quam s. Paulus dilucide satis innuit ad Eph. 5, 25—33: „Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret"; ostensis conjugum officiis denique concludens: „Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in ecclesia (το μυστηριον τουτο μεγα ἐστιν, ἐγω δε λεγω εἰς Χριστον και εἰς την ἐκκλεσιαν, in Christum et ecclesiam = respectu Christi et ecclesiae)"; sicut Christus cum fidelibus suis = cum ecclesia sua in unum se conjunxit corpus; sic et conjuges intime secum esse debent connexi et s. Paulus hanc conjunctionem sanctam habitam et agnitam vult, quia conjunctioni ejusmodi sanctificatio superna promissa est; ergo finis matrimonii necessarius est aemulatio et imitatio supernaturalis Christi ejusque ecclesiae conjunctionis cfr. Matth. 19, 6; 1 ad Cor. 7, 14; 1 ad Tim. 2, 15; haec gratia sanctificans eo tendit, ut conjuges a) officium conjugale sibi caste exhibeant; b) fidem sibi mutuo datam ad extremum vitae spiritum servent; c) promissionem et spem vitae aeternae consequantur.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Ambros. de Abrah. lib. 1. C. 7: „Cognoscimus praesulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur, alienum thorum pollui, et siquis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat" cfr. epp. lib. 1. ep. 7. ad Siric. P. — 2) Epiphan. haer. 67: „Quomodo — non erunt venerabiles nuptiae et in Deo habentes regnum coelorum, cum

vocatus sit salvator ipse ad nuptias, ut nuptiis benediceret.“ — 3) Innocent. P. ep. ad Prob.: „Statuimus fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum.“ — 4) Cyrill. Alex. comment. in Joan. lib. 2. C. 22: „Ipse Christus invitatus venit, ut generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut — iis quoque, qui postea nascituri essent, gratiam praestrueret, et eorum ortum sanctum efficeret.“ — 5) Maximus hom. 1. de epiph. Dom.: „Vadit ad nuptias Dei Filius, ut, quas dudum potestate constituit, nunc praesentiae suae benedictione sanctificet“; ergo effectus matrimonii juxta doctrinam ss. patrum sunt a) benedictio per Deum et Christum, Epiph.; b) sanctificatio, Ambros. Cyrill. Alex. Maxim.; gratia divina, Innocent. Cyrill. Alex.; quae solvitur pollutione thori, Ambros.; c) participatio regni coelestis, Epiphan.

b) Concilia 1) Florent. in decret. Eugen.: „Assignatur triplex bonum matrimonii; primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei; secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet; tertium indivisitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et ecclesiae.“ — 2) Trident. sess. 23. de sacram. matrim.: „Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus — sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit dicens: Viri diligite etc.; mox subjungens: sacramentum hoc magnum est“; inde can. 1: „Siquis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis — neque gratiam conferre; anathema sit.“

§. 84.

IV. Minister et subjectum matrimonii.

A) *N. T.* 1) Minister matrimonii legitimus et ordinarius est sacerdos; nam sacerdotes sunt ministri et

dispensatores mysteriorum Dei 1 ad Cor. 4, 1; ergo et in hoc sacramento.

2) Subjectum est masculus et femina, id quod patet ex ipso matrimonii conceptu.

B) *Traditio* a) ss. patres vide §. 82, ubi fit mentio de oratione et benedictione a sacerdote peracta.

b) Concilia Trident. de reform. matrim. cap. 1: „Ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur, ubi parochus viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: ego vos in matrimonium conjungo in nomine P. et F. et Sp. s. vel aliis utatur verbis.“

§. 85.

V. Indissolubilitas matrimonii.

A) *V. T.* Moyses gentis judaicae legislator polygamiam inter eam vigentem, quantum potuit, limitavit; hinc leges respectu matrimonii et poenae pro transgressoribus praescriptae Deut. 22, 20. 21: „Quodsi verum est, quod objicit (vir) et non est in puella inventa virginitas: ejicient eam extra fores domus patris sui et lapidibus obruent viri civitatis illius et morietur: quoniam fecit nefas (נְבָלָה, cfr. Gen. 34, 7.) in Israel, ut fornicaretur (לִזְנוֹת, fornicando) in domo patris sui: et auferes malum de medio tui.“ — C. 24, 1—5: „Si acceperit homo uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam foeditatem (text. hebr. כִּי־מָצָא בָהּ עֶרְוַת דָּבָר, quia invenit in ea foeditatis quidquam cfr. Gen. 9, 22. 23; Lev. 18, 8. 16. 17; C. 20, 11; Deut. 23, 14; 1 Reg. 20, 30; 70: ἀσχημον πραγμα, turpem sive indecoram rem; vers. chald.: aliquid foeditatis coll. vers. arab. et syr.): scribet libellum repudii et dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa (text. hebr. addit: מִבֵּיתוֹ וְהָלְכָה, de domo ejus et iverit) alterum maritum duxe-

rit (text. hebr. וְהָיְתָה לְאִישׁ־אַחֵר, et erit viro alteri) et ille (text. hebr. הָאִישׁ הָאַחֲרוֹן, vir posterior) quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii et dimiserit de domo sua vel certe mortuus fuerit (text. autem hebr. addit: הָאִישׁ הָאַחֲרוֹן אֲשֶׁר־לְקָחָהּ לוֹ לְאִשָּׁה, vir posterior, qui accepit eam sibi in uxorem): non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino (text. hebr. לֹא־יוּכַל בַּעְלָהּ הָרִאשׁוֹן אֲשֶׁר־שִׁלְּחָהּ לָשׁוּב לְקַחְתָּהּ לִהְיוֹת לוֹ לְאִשָּׁה אַחֲרֵי אֲשֶׁר הֻטַּמָּאָה כִּי תוֹעֵבָה הוּא לִפְנֵי יְהוָה, non poterit maritus ejus prior, qui dimisit eam, ad revertendum ad capiendum = iterum capere, ut sit sibi in uxorem, postquam polluta est, quia abominatio ipsa ante faciem Domini = coram Domino)"; ex his locis patet, aetate Moysis fuisse apud conjuges gentis hebraicae morem, dandi sibi invicem libellum repudii et quidem ob foeditatem aliquam, ob turpe aut indecori quidquam respectu animi dotum; ergo ob impuritatem moralem, quia mulier coram Domino, לִפְנֵי יְהוָה, polluta est; successu vero temporis et quidem aetate Machabaeorum vox: עֶרְוָה, latius desumi et applicari coepit; inde duae factiones, schola R. Samea et Coraea et schola Hillel, quarum prior in casu adulterii tantum, posterior ob alias causas leviores et nullius momenti v. g. si combustum fuerit decoctum, aut, ut R. Akiba, si vir pulchriorem uxorem invenerit, libellum repudii concessit; hinc de schola Samea dicit Mischna tit. Gittin cap. 9. §. 10: „Schola Schamai dicit: Nemo repudiabit uxorem, nisi in ea repertum fuerit quid inhonesti, ut scriptum est Deut. 24, 1: qui invenerit in ea nuditatem seu turpitudinem"; sic legitur Mal. 2, 15. 16: „Custodite ergo spiritum vestrum et uxorem adolescentiae tuae noli despicere (text. hebr. אַל־יִבְגֹּד, ne praevaricetur). Cum odio habueris, dimitte (text. hebr. כִּי־שָׂנֵא שַׁלַּח, cum oderit, dimitte; 70: ἀλλα ἐαν μισησας, ἐξαποστειλῃς), dicit Do-

minus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum; custodite spiritum vestrum et nolite despicere."

Sunt utique loca alia in V. T., in quibus polygamia abominatione digna proponitur Prov. 2, 16. 17: „Ut eruaris a muliere aliena et ab extranea, quae — relinquit ducem pubertatis suae, et pacti Dei sui oblita est"; quidquod expresse prohibitur separatio ab uxore jurgiosa et litigiosa Prov. 21, 9. 19; C. 25, 24; C. 27, 16; Eccles. 25, 23.

B) *N. T.* Respectu indissolubilitatis matrimonii dantur loca generalia et specialia, quorum posteriora ad priora se habent, ut exceptiones ad regulam;

1) loca generalia sunt sequentia: Marc. 10, 2—13: „Et accedentes Pharisaei interrogabant eum; si licet viro uxorem dimittere (ἀπολυσαι), tentantes eum. At ille respondens, dixit eis: quid vobis praecepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere et dimittere. Quibus respondens Jesus ait: ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud: ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet etc. (Gen. 2, 23. 24.). Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: quicunque dimiserit (ἀπολυσῃ) uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam (μοιχαται ἐπ' αὐτην, adulterat in eam); et si uxor dimiserit (ἀπολυσῃ) virum suum et alii nupserit, moechatur (μοιχαται)." — Luc. 16, 9. 18: „Et ego dico vobis: — omnis, qui dimittit (ὁ ἀπολυων) uxorem suam et aliam ducit, moechatur (μοιχευει): et qui (text. gr. πας, omnis) dimissam (ἀπολελυμενην) a viro ducit; moechatur (μοιχευει)"; in his duobus locis indissolubilitas matrimonii determinate et absolute, nec conditionate enuntiatur et ad institutionem originariam in paradiso reducitur, ita, ut, si uxorem dimittens aliam duxerit, adulterium com-

mittat et contra matrimonii finem et institutionem agat; idem docet s. Paulus ad Rom. 7, 2. 3: „Nam quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus; soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera (μοιχαλις χρηματισει), si fuerit cum alio viro (ἀνδρι ἑτερῳ); si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro (του μη εἶναι αὐτην μοιχαλιδα, γενομενην ἀνδρι ἑτερῳ)“ et 1 ad Cor. 7, 10. 11: „Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere (χωρισθῆναι): quodsi discesserit (χωρισθῃ), manere innuptam (μενετω ἄγαμος, maneat innupta), aut viro suo reconciliari (καταλλαγητω, reconcilietur). Et vir uxorem non dimittat, ἀφιεναι, dimittere)“; tunc v. 39: „Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quodsi dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino“; sic et in his locis enuntiatur, matrimonium esse indissolubile et morte tantum solvi, cum conjuges vivi legi alligati sint et si discesserint, aut reconcilientur, aut innupti maneant.

Loca allegata si unica essent in N. T. respectu matrimonii, inter theologos et exegetas lis minor existeret, cum in his absoluta matrimonii indissolubilitas enuntietur, ita, ut conjunctio nova dimissa viva adhuc altera adulterium verum sit; nunc redeamus ad loca specialia, quae sunt exceptiones.

2) Matth. 5, 31. 32: „Dictum est autem: quicunque dimiserit (ἀπολυσῃ) uxorem suam, det ei libellum repudii (ἀποστασιον). Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit (ἀπολυσῃ) uxorem suam, excepta fornicationis causa (παρεκτος λογου πορνειας), facit eam moechari (ποιει αὐτην μοιχασθαι): et qui dimissam duxerit, adulterat (και ὁς ἐαν ἀπολελυμενην γαμησῃ, μοιχαται).“ — C. 19, 3—10: „Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum et dicentes: si licet homini dimittere (ἀπολυσαι)

uxorem suam, quacunque ex causa (κατα πασαν αἰτιαν, juxta omnem causam; est ergo interrogatio indeterminata, cum interrogari oporteret: ex quacunque causa, utrum gravi, an levi)? Qui (Jesus interrogationem Pharisaeorum indeterminatam refutans) respondens ait eis: non (nonne) legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: quid ergo Moyses mandavit (ἐνετειλατο) dare libellum repudii (βιβλιον ἀποστασιου) et dimittere (text. gr. addit: αὐτην, eam)? Ait (corrigens verbum: mandare) illis: quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit (ἐπετρεψε; ergo non mandavit) vobis dimittere (ἀπολυσαι) uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis: quia quicunque dimiserit (ἀπολυσῃ) uxorem suam (non ob aliam causam; quod suppleri debet, vid. loca parallela ad Gal. 4, 12; 1 ad Tim. 4, 3.), nisi ob fornicationem (μη ἐπι πορνειᾳ) et aliam duxerit, moechatur (μοιχαται); et qui dimissam duxerit, moechatur (ὁ ἀπολελυμενην γαμησας, μοιχαται)"; Jesum his in locis ad C. 22. Deuteron. respexisse et loca Matth. ad hoc tantummodo referenda esse (docente D. Brenner), mihi neutiquam persuaderi potest; nam

a) Pharisaei interrogantes respexerunt, uti patet ex interrogatione, non ad C. 22., sed ad C. 24. Deut., ubi libellus repudii, quem illi allegarunt, occurrit, cum in C. 22. de hoc libello mentio fit omnino nulla;

b) Jesus respondens ipse ad C. 24. Deut. respexisse credi debet, cum ad interrogationem Pharisaeorum indeterminatam (ex quacunque causa, id quod aeque indeterminatum est, quam עֶרְוַת דָּבָר in Deut. 24, 1.) definite et determinate respondere vellet;

c) si concederetur, Jesum ad C. 22. Deut. respexisse; hic Pharisaeos, et Pharisaei Jesum et discipuli nec

Pharisaeos interrogantes, nec Jesum respondentem intellexissent, quod omniscientiae Jesu tanquam Deo certe quidquam derogaret; ad quid discipuli responderunt v. 10: „Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere" nisi de matrimonio vero propositionem allatam intellexissent et ad quid responsio Jesu v. 11. et 12. de eunuchis?

d) aetate Jesu lapidatio ob adulterium commissum dudum jam aboleverat et nil dimissio valuit v. g. Matth. 1, 19; Joan. 8, 5. 11;

e) perlectis C. 22. et 24. Deut. et collata responsione Jesu per se patebit, Jesum expresse ad C. 24. respexisse;

f) Jesum voce: πορνεια hic pro adulterio usum fuisse, jam ex Matth. 5. patet, ubi v. 28. dicit: „Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam; jam moechatus est eam (ἐμοιχευσεν αὐτην) in corde suo"; cur non dicit: fornicatus est, cum hoc verbum longe melius et congruentius fuisset voce: moechari; et si in locis Matth. 15, 19; 1 ad Cor. 6, 9; ad Hebr. 13, 4. πορνεια de μοιχεια destinguitur; notandum erit, has voces semper conjunctim poni, ita, ut una pro altera poni videatur et utraque pro synonyma sumi possit; praesertim si comparetur locus 1 ad Cor. v. 10., ubi quaedam synonyma occurrant;

g) casus parallelus de matrimonio vero et de discessione a parte infideli occurrit 1 ad Cor. 7, 12. 13. 14; qui quaeso Paulus audeat, discessionem in matrimonio concedere, si Jesus Matth. 5. et 19. dimissionem ante matrimonium, non vero in matrimonio, docuisset, utri plus assentiendum, magistro an discipulo, Jesu an Paulo, ubi alter contradiceret? quod admittere et concedere, certe absurdissimum foret. Paulum Jesu conformiter docere, certissima est veritas.

His praemissis ad Matth. 5. et 19. recurrendum. Jesus omne arbitrium in matrimonio excludere et exterminare allaborans et tempora Moyses et scholas Samea, Coraea et Hillel transgressus tanquam legis mosaicae reformator et oeconomiae salutis melioris et perfectioris ac legislator moralis sequentes in hac materia determinationes et quidem non tam Judaeis, quam pro Christianis (contra Hug, Ries, Kistemaker) edixit:

1) conjunctio conjugalis est intima et obligatior, quam illa, quam natura parentes inter et liberos copulavit: „Propterea dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una";

2) conjunctio ejusmodi non est res hominis, sed institutio divina, jam in paradiso a Deo sancita et introducta: „Qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos. Quod Deus conjunxit, homo non separet"; matrimonium enim est contractus altioris generis, qui semel initus a Deo ipso per sacerdotem obsignatur, confirmatur, benedicitur;

3) libellus repudii a Moyse apud gentem hebraicam jam repertus et ab eo temporarie permissus tantum fuit, ut Jesus ait, ob duritiam cordis, non vero mandatum respectu hujus extitit, ut Pharisaei inepte argumentabantur; in statu enim pubertatis et feritatis, in elementis doctrinae dispositio talis permitti et valere potuit, non vero in statu virilitatis et culturae, in altiori doctrinarum cognitione, ubi haec dispositio neutiquam valere potest;

4) hic libellus repudii ab initio creationis hominum non fuit, sed per laxitatem et immoralitatem Israelitarum inter gentes alias commorantium irrepens legitime coram judicibus agnitus fuit; si enim Israelitae ad statum originarium primi hominum

paris respexissent, nec in polygamiam, nec in dimissionem deflectere potuissent; hinc Jesus in nova oeconomia sua libellum repudii cum matrimonio novo abrogavit et exterminavit, sicque liti scholarum Samea, Coroea et Hillel finem imposuit;

5) exinde sequitur, matrimonii vinculum in nullo casu dirimi et solvi posse, et, si inter vivos conjuges discessio aut dimissio ob salutem animarum necessario oriatur, in unico tantum fornicationis aut adulterii casu, dicente Jesu, validam esse, quin sequatur, alteri parti licitum esse, de novo matrimonium inire, sed aut reconciliari aut innuptum manere; nec Jesus sibi contradicit, cum vocem ἀπολυειν, dimittere non in eo, quo Pharisaei, sensu sumserit, quippe qui per illam novam quoque matrimonialem conjunctionem intellexerunt, id quod Jesus in sacra oeconomia salutis nova neutiquam concessit nec concedere potuit, nisi ex eo sequelae orirentur tristissimae, et religioni et civitati perniciosissimae; quidquod concesso novo matrimonio post dimissionem certe superflua fuisset appositio: „Et (si) aliam duxerit (vir), moechatur", cum Judaeus quisque vulgaris cum dimissione conjunctionem de novo matrimonialem intelligi, haud ignoraret;

6) caeterum ut harmonia restituatur, loca Matth. 5. et 19. obscura, de quibus jam permagna disquisitio et examinatio fuit, per clariora et distinctiora Marc. 10. et Luc. 16. explicanda et interpretanda sunt;

7) similis dimissionis casus occurrit 1 ad Cor. 7, 15., quin nova matrimonii conjunctio ex eo erui possit, dicente s. Paulo: „Quodsi infidelis discedit, discedat (χωριζεται, χωριζεσθω): non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem (ἐν τῃ εἰρηνῃ) vocavit nos Deus"; hoc in

in loco est sermo de conjugibus mixtis vel disparis cultus et praecipue infidelibus, non de conversis, nec Paulus hic Christiano neoconverso plus concedere potuit ac voluit, quam v. 11. juxta Domini praeceptum conjugibus fidelibus concessit, nisi sibi ipsi et doctrinae Jesu contradicere vellet; ergo Paulus de dimissione seu discessione, non vero de licentia iterum nubendi loquitur; vox enim: χωρίζειν, separare, discedere = μένειν ἄγαμον, manere innuptum in hoc versu eundem, quem in vers. 11. significatum habet et in alio sensu verss. 11. 15. 39. et 40. invicem sibi contrarii essent; consequenter, sicut Jesus Matth. 5. et 19. pro causa dimissionis adulterium constituit, sic Paulus casum, si infidelis discedat = se ipsum dimittat, separet et non sine periculo fidei in pace vivere velit, pro causa dimissionis constituit, quin in utroque nova matrimonii conjunctio concedatur. Sic doctrinae Jesu et Apostoli Pauli conveniunt, matrimonii vinculum etiam post dimissionem manere integrum et indissolubile; et si dogma formale atque expressum constitui nequeat, est tamen doctrina evangelico-apostolica, dogmati fidei approximativa.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Hermas lib. 2. mand.: „Quodsi dimiserit (vir) mulierem et aliam duxerit; et ipse moechatur — hic actus similis est in viro et muliere.“ — 2) Justin. apol. 1: „Qui repudiatam ab altero viro duxerit, adulterium committit — et sicut legibus humanis duplex contrahentes matrimonium (scil. praevia discessione), sic etiam apud magistrum nostrum feminam inspicientes ad concupiscendum peccatores sunt (ἁμαρτωλοί)“ cfr. apolog. 2. — 3) Athenag. apol.: „Qui enim uxorem suam dimiserit et aliam duxerit, adulterium committit, inquit Dominus noster, — quoniam ab initio Deus unum virum creavit, et — mulierem unam.“ — 4) Tertull. de mono-

gam. C. 9: „Sed illi (ethnici) etiam non repudiantes adulteria commiscent; nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit" cfr. C. 11; contr. Marcion. lib. 4. C. 34; ad uxor. lib. 1. C. 6; lib. 2. C. 2; de exhort. castit. C. 4. — 5) Clem. Alex. strom. lib. 2. C. 23: „Quod autem consulit scriptura, uxorem ducere, et nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit: Non dimittes uxorem, praeterquam propter fornicationem; adulterium vero existimat, conjungi matrimonio, dum vivit alter ex separatis (ζωντος θατερου των κεχωρισμενων)" cfr. lib. 3. C. 6. — 6) Orig. comment. in Matth. tom. 14. n. 24: „Servator noster haud quaquam connubii solvendi propter ullum aliud flagitium facultatem concedens, quam solam fornicationem (ἡ μονη πορνεια) in uxore deprehensam sic ait: omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari." — 7) Cyprian. lib. de testim. ad Quir. cap. 1. n. 90. docet: „Uxorem a viro non discedere, aut si recesserit, innuptam manere" citans 1 ad Cor. 7, 10. 11. cfr. lib. de bono pudicit. — 8) Lactant. inst. div. lib. 6. C. 23: „Sed tamen siquis divina praecepta circumscribere se putet posse; addantur illa — adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit et eum, qui propter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat; dissociari enim corpus et distrahi Deus noluit." — 9) Basil. reg. 73. n. 2: „Non licet virum, qui uxorem deserit, aliam ducere, nec feminam, quae a viro separata est, alii nubere" cfr. hexaem. C. 1; ep. ad Amphil. can. 9. et 48. — 10) Ambros. de hortat. ad virgin.: „Ipsum conjugium vinculum est, quo alligatur viro nupta et ei in subjectionem adstringitur. Bonum quidem charitatis vinculum est, sed tamen vinculum, de quo cum velit se exuere nupta, non possit, nec liberum sui habere arbitrium" cfr. de Abraham lib. 1. C. 7; de vid. — 11) Chrysost. in Matth. C. 5: „Hic vero accipiendi alienam adulter effectus est; nequaquam mihi referas, qui illam alter ejecit; nam expulsa quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat. Deinde — ipsi,

ne alius postea eam suscipiat, januam claudit, dicendo: qui autem dimissam duxerit, adulterat" cfr. hom. 63; lib. de virgin. — 12) Hieron. ad Amand. ep. 174: „Qui dimissam duxerit, adulter est; sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit" cfr. comment. in Matth. C. 19. — 13) Augustin. de conjug. adult. lib. 2. C. 5: „Licite itaque dimittitur uxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis" cfr. C. 9; de civ. Deï lib. 14. C. 22; de bon. conjug. C. 7. in Matth. 5; 83. quaest. lib. quaest. 83; de serm. Dom. C. 14. — 14) Theodoret. in Malach. C. 2: „Relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una; cum igitur Dominus omnipotens utrumque creaverit et conjunxerit, et hanc legem tulerit; quomodo audetis tam aperte a principio constituta violare" cfr. divin. decret. epit. lib. 5. de matrim.

Summa locorum est haec:

a) Conjugium est vinculum indissolubile, Ambros.; a Deo in principio constitutum, Theodoret.; cum a Deo unus creatus est vir, et una mulier, Athenag.; quod vinculum manet post dimissionem, Augustin.;

b) quae tantum licita est ob fornicationem, Clem. Alex. Orig.; ob causam fornicationis, Augustin.; ob crimen adulterii, Lactant.;

c) ita, ut uxor discedens manere debeat innupta, Cyprian.; et repudiatis non liceat nubere, Tertull.; vel matrimonio jungi, dum vivit alter ex separatis, Clem. Alex.; hinc

d) non licet viro, uxore dimissa, aliam ducere, Basil.; si duxerit, moechatur, Hermas, Justin.; adulter est, Lactant. Hieron.; adulterat, Chrysost.; adulterium committit, Athenag.; reus est adulterii, Augustin.;

e) non licet uxori a viro separatae alii nubere, Basil.; si nubat, moechatur, Hermas; quippe quae expulsa viri prioris esse perseverat, Chrysost.

b) Concilia 1) Cann. apost. can. 47. (al. 48.): „Siquis laicus sua ejecta uxore aliam acceperit vel ab alio solutam (ἑτεραν λαβῃ ἢ παῤάλλου ἀπολελυμενην) segregator." — 2) Concil. Eliberitan. anno 305. can. 9: „Femina fidelis, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat; si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de saeculo exiverit." — 3) Milevit. 2. anno 416. cap. 17: „Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur." — 4) Florent. in decret. Eugen. 4.: „Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit." — 5) Trident. doctrin. de sacram. matrim.: „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; quamobrem relinquet etc.; inde can. 5: „Siquis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonium; anathema sit" et can. 7: „Siquis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit et docet: juxta evangelicam et apostolicam doctrinam (en criterium) propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit; anathema sit"; hic canon non est disciplinaris, sicut nec caeteri, idem edicens, quam ille canon antea a concilio constitutus, at propter Graecos unitos immutatus, sic sonans: „Siquis dixerit, matrimonium in casu adulterii solvi posse; anathema sit"; dein can. 8: „Siquis dixerit, ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse, decernit; anathema sit." — Libros pro et contra scriptos reperiet benevolus lector in Freys kritischem Commentar Theil III. §. 296. in nota.

Sectio VII.

Athanasiologia et Eschatologia biblica

seu

doctrina de immortalitate et statu post mortem.

Caput I.

Immortalitas animae post mortem.

§. 86.

Ratio, immortalem esse animam, negare minime potest, quin adeo concedere cogitur, si contempletur,

a) hominem perfectionis in infinitum esse capacem illique inesse permultas animi vires et dotes in saeculo futuro demum perficiendas et nobilitandas;

b) hominem in se sentire instinctum et votum perdurandi inextinguibile;

c) pio mercedem, poenam impio competere hancque aequivalentiam in hac vita fieri non posse.

Mors est vel naturalis i. e. ruptio et destructio vinculi corpus inter et animam, et vocatur (en infra) congregatio populi, adpositio ad patres; vel spiritualis i. e. status peccati et vitiositatis vel privatio gratiae et inde in bono sensu ad Rom. 6, 2; ad Eph. 2, 5; vel aeterna, i. e. miseria, infelicitas aeterna impiis in altera vita destinata. Primo sit sermo de morte naturali. Origo mortis naturalis sita est in peccato Adae Gen. 2, 17; C. 3, 19; coll. ad Rom. 5, 12. 17; C. 6, 23; sive consideretur tanquam sequela peccati, sive tanquam poena.

Universalitas mortis demonstratur

1) in V. T. Job. 14, 5: „Breves (חֲרוּצִים, definiti) dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est“; Ps. 48, 12: „Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens et stultus peribunt (יַחַד כְּסִיל וָבַעַר יֹאבֵדוּ). Et relinquent alienis divitias suas“ cfr. Ps. 89, 9. 10; Ps. 102, 14. 15; Is. 40, 6: „Omnis caro foenum (חָצִיר, herba)

et omnis gloria ejus quasi flos agri." — Loca Gen. 5, 24. coll. Eccles. 44, 16. et ad Hebr. 11, 5. de Henoch. et 4 Reg. 2, 11. de Elia non tollunt universalitatem mortis, sed probant tantum, moriendi modum hic adfuisse plane insolitum;

2) in N. T. 2 ad Cor. 5, 4: „Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eoquod nolumus exspoliari sed supervestiri: ut absorbeatur, quod mortale est, a vita (ἱνα καταποθῃ το θνητον ὑπο της ζωης)"; ad Hebr. 9, 27: „Statutum est hominibus, semel mori (ἀποκειται τοις ἀνθρωποις ἁπαξ ἀποθανειν)."

Immortalitas animae post mortem demonstratur

A) Ex *V. T.*; ubi fides immortalitatis jam invenitur, et in variis locis traditur, uti patet ex diversis significationibus respectu status post mortem.

1) Anima a Deo promanans semper a corpore distinguitur Gen. 2, 7: „Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem (לְנֶפֶשׁ חַיָּה)"; Eccles. 12, 7: „Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat (text. hebr. כְּשֶׁהָיָה, sicut qui = quemadmodum fuit cfr. Gen. 3, 19.) et spiritus (הָרוּחַ = anima) redeat ad Deum, qui dedit illum"; Sap. 15, 11: „Ignoravit, qui se finxit, et qui inspiravit illi animam, quae operatur (ψυχην ἐνεργουσαν), et insufflavit ei spiritum vitalem (πνευμα ζωτικον)"; Ezech. 37, 10: „Et ingressus est in ea (scil. in ossa, antea in nondum animata) spiritus (הָרוּחַ = anima) et vixerunt, steteruntque super pedes suos"; hinc pro praeexistentia animae loca valere non possunt Job. 1, 21; Ps. 138, 15; Sap. 8, 19; C. 9, 15.

2) Vita praesens dicitur peregrinatio Gen. 47, 9: „Respondit (Jacob Pharaoni, sic text. hebr. יַעֲקֹב

אֶל־פַּרְעֹה): dies peregrinationis meae (text. hebr. יְמֵי שְׁנֵי מְגוּרַי, dies annorum peregrinationum mearum (centum triginta annorum sunt, parvi et mali (text. hebr. addit: הָיוּ יְמֵי שְׁנֵי חַיַּי, fuerunt dies annorum vitae meae), et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt (text. hebr. בִּימֵי מְגוּרֵיהֶם, in diebus peregrinationum earum)"; 1 Paral. 29, 15: „Peregrini (גֵרִים) enim sumus coram te et advenae (תוֹשָׁבִים) sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram et nulla est mora (text. hebr. וְאֵין מִקְוֶה, et non exspectatio)"; Ps. 38, 13: „Advena (גֵּר) ego sum apud te et peregrinus (text. hebr. תּוֹשָׁב, incola) sicut omnes patres mei"; Ps. 118, 54: „Cantabiles mihi erant justificationes tuae in loco peregrinationis meae (text. hebr. בְּבֵית מְגוּרָי, in domo peregrinationum mearum; Castil. et Muis: in hac vita, in qua peregrinus sum aevique brevis)."

3) Locus, in quo defuncti morantur, nominatur scil. שְׁאוֹל, cum explicatione, qualis sit hic locus Gen. 37, 35: „Ait (Jacob): descendam ad filium meum lugens in infernum (שְׁאֹלָה)" cfr. C. 42, 38; C. 44, 29; Num. 16, 33. dicitur de Core, Dathan et Abiron: „Descenderuntque (text. hebr. addit: הֵם וְכָל־אֲשֶׁר לָהֶם, ipsi et omne, quod eis) vivi in infernum (שְׁאֹלָה), operti humo (text. hebr. וַתְּכַס עֲלֵיהֶם הָאָרֶץ, et operuit super eos = eos terra), et perierunt de medio multitudinis"; Job. 7, 9: „Sicut (particul. comparat. in text. hebr. non legitur) consumitur nubes et pertransit: sic qui descenderit ad inferos (שְׁאוֹל), non ascendet"; cfr. C. 3, 13—22; C. 10, 20. 21. 22; C. 26, 5. 6; C. 30, 23; C. 38, 17; Ps. 6, 6: „Quoniam non est in morte, qui memor sit tui (זִכְרֶךָ, memoria tui): in inferno (בִּשְׁאוֹל) autem quis confitebitur tibi?" cfr. Ps. 22, 4; Ps. 87, 12. 13; P. 113, 25; Ps. 142, 3. et 4. (coll. Thren. 3, 6); Prov. 15, 11:

„Infernus et perditio (שְׁאוֹל וַאֲבַדּוֹן, sunt synonyma) coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?" cfr. C. 9, 18; Eccles. 9, 10: „Nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos (בִּשְׁאוֹל), quo tu properas"; Eccles. 14, 17: „Ante obitum tuum operare justitiam (sic Vulgata): quoniam non est apud inferos (ἐν ᾅδȣ, in inferno) invenire cibum" cfr. C. 17, 26. 27; Is. 14, 10. 11: „Et tu vulneratus es (חֻלֵּיתָ, infirmatus es), sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos (שְׁאוֹל) superbia tua, concidit cadaver tuum (secundum Vulg.)" cfr. C. 38, 10. 18; Ezech. 32, 21: „Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni (מִתּוֹךְ שְׁאוֹל), qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt et dormierunt incircumcisi, interfecti gladio" cfr. v. 22—32.

Non negandum, Judaeis שְׁאוֹל locum fuisse, in quo sempiterna requies et magis desidia quam vita activa dominetur, uti loca Job. 14, 7—15; Ps. 38, 6. 14; Eccl. 3, 19; C. 9, 3—6. id innuunt, e quibus non obscure, homines post mortem destrui, elucet; at et hoc negari nequit, post exilium babylonicum aliis Judaeos imbutos fuisse ideis, uti infra legetur in libro Sapientiae et Ecclesiastici.

4) Hinc dicitur ire ad patres, congregari, apponi, pergere ad populum Gen. 15, 15. dicitur de Abraham: „Tu autem ibis (תָּבוֹא, ingredieris) ad patres tuos in pace, sepultus (תִּקָּבֵר, sepelieris) in senectute bona" et cap. 25, 8: „Et deficiens (text. hebr. וַיִּגְוַע, et obiit) mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum (text. hebr. tantum: וְשָׂבֵעַ, et satur): congregatusque est ad populum suum (וַיֵּאָסֶף אֶל־עַמָּיו)" cfr. C. 35, 29; C. 49, 29. 32; Num. 20, 24: „Pergat (יֵאָסֵף, congregabitur), inquit (Dominus), Aaron ad po-

pulos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel" cfr. C. 27, 13; C. 31, 2.

5) Mos, a mortuis quaerendi, fide in immortalitatem animae nixus esse debet; alias absque omni ratione fuisset, illos citandi; sic dicitur Deut. 18, 10. 11: „Nec inveniatur in te, — qui Pythones consulat nec divinos et quaerat a mortuis veritatem (text. hebr. וְדֹרֵשׁ אֶל־הַמֵּתִים, et quaerens ad mortuos = a mortuis)"; exemplum singulare legere licet 1 Reg. 28, 7. usque ad finem.

6) In scriptis post exilium babylonicum traditur expresse

a) vita aeterna Tob. 2, 18. secundum Vulg.: „Filii sanctorum sumus et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo" cfr. Prov. 14, 32;

b) immortalitas Sap. 2, 23: „Deus creavit hominem inexterminabilem (ἐπι ἀφθαρσιᾳ)" cfr. C. 1, 13—16; C. 3, 4: „Et si coram hominibus tormenta passi sunt; spes illorum immortalitate (ἀθανασιας) plena est" cfr. v. 5—12;

c) aetate Machabaeorum ex verbis Eleazari 2 Mach. 6, 26; ex institutione, qua mater quaedam septem filios suos ad mortem ductos imbuit C. 7, 7—42. et ex exemplo Nicanoris C. 14, 46. fidem immortalitatis ad gradum certe magnum evectam fuisse, manifeste demonstratur.

B) *N. T.* Animam hominis esse immortalem et destructo corpore vivere, in N. T. clarissime probatur Matth. 10, 28: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (text. gr. ἐν γεεννῃ)"; Christus hic, animam destrui non posse, destructo licet corpore, expresse affirmat cfr. C. 22, 31. 32; — Luc. 16, 22: „Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in

sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno (text. gr. και ἐταφη· και ἐν τῳ ἀδῃ ἐπαρας κ. τ. λ. et sepultus est. Et in inferno elevans etc., quod eundem significatum suppeditat)"; hic personae in activitate versantes v. 23—31. praecipue v. 25. nuncupantur, uti et locus commorationis cfr. C. 23, 45; — Joan. 5, 24: „Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audivit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam (ἐκ του θανατου εἰς την ζωην)"; hic est sermo de revera, non de spiritualiter mortuis (contra Paulus), quia alias caput integrum perobscurum esset, et consequentia ad praecedentem paralytici sanationem relata omni sensu careret; cfr. C. 10, 28. 29; C. 11, 25. 26; C. 12, 25; C. 14, 31; C. 17, 24. et Act. 7, 58; — 2 ad Cor. 5, 1: „Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis (= corpus) dissolvatur (i. e. postquam in terra vivere desivimus), quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis (i. e. in coelo vivere incipimus)"; — 1 Joan. 2, 17: „Et mundus transit et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem, manet in aeternum (μενει εἰς αἰωνα = in aeternum post mortem felix erit)"; cfr. ad Phil. 1, 23. 24; 2 ad Tim. 1, 8—10; inde

a) status peregrinationis hac in terra, uti in V. T. ad Hebr. 11, 13—17;

b) vita hujus saeculi est status praeparationis ad vitam alterius saeculi Luc. 13, 25; ad Hebr. 13, 14;

c) mortem sequitur statim judicium docente sancto Paulo ad Hebr. 9, 27: „Statutum et homini semel mori; post hoc autem judicium (μετα δε τουτο κρισις)" cfr. C. 12, 22. 23. et status retributionis ad Gal. 6, 8; 2 Petr. 1, 11.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. dial. c. Tryph.: „Num et ipsa anima divina et immortalis est (ἀθανατος

ἐστι) et illius Imperantis mentis particula? — Omnino inquam (πανυ μεν οὐν ἐφην)“ citans exemplum Saulis cum Pythonissa. — 2) Iren. adv. haer. lib. 2. C. 64: „Manifestissime declaratum est, et perseverare animas, et non de corpore in corpus transire“ cfr. lib. 5. — 3) Orig. comment. in Joan. tom. 18: „Nescio, quomodo etiam de animae immortalitate (περι ἀθανασιας ψυχης) dubitat (Heracleon), cum non exposuerit, quot sint ex mortis voce significationes“ cfr. de princip. lib. 4. n. 36. — 4) Lactant. instit. div. lib. 7. C. 5: „Proposita est illi (homini) immortalitas“ cfr. C. 8. 9. 10. 11. necessitatem ejus propter virtutem ostendens et refutans C. 12. et 13. objectiones philosophorum. — 5) Hilar. enarr. in Ps. 63: „Qui — praedicabit animae cum corpore occasum, audiet animam non esse terrenam, sed ex efflatu Dei ortam, elementis corporis admisceri; mortem autem non interitum esse, sed discessionem ejus a corpore.“ — 6) Athan. contr. Graec.: „Quod — immortalis sit anima (ἀθανατος γεγονεν ἡ ψυχη), id quoque necessarium est cognoscere ex doctrina ecclesiastica. — Si enim animam aliam esse a corpore ratio demonstravit, corpusque ex natura mortale est, necessum est animam immortalem esse (την ψυχην ἀθανατον εἶναι), eoquod corpori similitudine non respondeat. — Non enim anima est, quae moritur, sed ob ejus discessum, corpus moritur. — Quodsi anima movet corpus, multo magis necessum est, sibi seipsam motricem esse; et quia a se movetur, necessarium est, eam post mortem corporis vivere ac superstitem esse (ἐξαναγκης και μετα τουτου σωματος θανατον ζῃ).“ — 7) Cyrill. Hieros. catech. 4. C. 20: „Immortalis est anima (ἀθανατος ἐστιν ἡ ψυχη) similesque sunt animae omnes seu virorum seu mulierum; sola enim corporis membra distinguuntur.“ — 8) Greg. Nyss. de anima: „Anima separata perit omnino corpus; iisdem vero rationibus utendo demonstrare licet, animam immortalem esse (την ψυχην ἀθανατον ουσαν). Nam si neque corpus est, quod

quidem natura dissolubile et caducum esse probatum est; neque qualitas, neque quantitas, neque aliud quidquam eorum, quae fragilia et corruptibilia sunt, videlicet immortalis est (δηλονοτι ἀθανατος ἐστι) ac multae profecto sunt immortalitatis ipsius demonstrationes apud Platonem et alios" cfr. de anim. et resurr. — 8) Ambros. de Abel et Cain lib. 2. C. 10: „Redarguuntur hoc in loco (Gen. 4, 15.), qui unicam hanc vitam putant esse, quae sit in hoc saeculo — et redarguuntur simplici serie gestorum" cfr. de bono mortis C. 9. et 10. integr. — 10) Hieron. in Matth. C. 22: „Ad aeternitatem animarum probandam de Moyse ponit exemplum: ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, statimque infert: non est mortuorum Deus, sed viventium, — probavit animas permanere post mortem, neque enim poterat fieri, ut eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent" cfr. in Eccles. C. 3; in Is. C. 51. — 11) Augustin. soliloqu. lib. 2. C. 13: „Noli gemere (ait ratio), immortalis est animus humanus. — Semper igitur animus manet, nec animus mortuus dicitur" cfr. C. 1; C. 3; C. 19; insuper librum integrum de immortalitate animae scripsit. — 12) Greg. M. moral. lib. 4. (in C. 3. Job.) C. 1. n. 5: „Humana anima seu angelicus spiritus ita immortalis est, ut mori possit, ita mortalis, ut mori non possit — ut ergo breviter dixerim et immortaliter mortalis est, et mortaliter immortalis" cfr. dial. lib. 4. C. 6. Hinc secundum ss. patres

a) haec vita in hoc saeculo non est unica, Ambros.;

b) et anima hominis est immortalis, Justin. Orig. Lactant. Cyrill. Hieros. Augustin. Greg. M.; aut perseverat, Iren.; et permanet post mortem, Hieron.; quia

α) ex afflatu Dei orta est, Hilar.;

β) alia a corpore, quod mortale, se ipsam movens, Athan. Greg. Nyss.;

γ) nil fragile et corruptibile in se habet, Greg. Nyss.

b) Concil. Lateran. 5. anno 1512. hanc doctrinam ad dogma evexit.

Caput II.

Praedestinatio.

§. 87.

A) *N. T.* Datur praedestinatio quorundam

1) ad felicitatem aeternam Act. 13, 48: „Et crediderunt, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam (ὁσοι ἠσαν τεταγμενοι εἰς ζωην αἰωνιον).“ Destinare, praeordinare idem est, ac definire, ὡριζειν Act. 2, 23; ad Rom. 1, 4. — Ad Rom. 8, 30: „Quos autem praedestinavit (προωρισε), hos et vocavit (ἐκαλεσε), et quos vocavit, hos et justificavit (ἐδικαιωσε); quos autem justificavit, illos et glorificavit (ἐδοξασε)“ cfr. v. 29; en praeclaram gradationem. Ad Eph. 1, 5. 6: „Qui (Deus) praedestinavit (προορισας) nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit (ἐχαριτωσε) nos in dilecto (Vulg. addit) Filio suo.“ — Ad Phil. 4, 3: „Quorum nomina sunt in libro vitae (ἐν βιβλῳ ζωης)“ cfr. ad Hebr. 12, 23; Apoc. 21, 17. — 2 ad Tim. 1, 9: „Qui (Deus) nos — vocavit (καλεσαντος, vocantis scil. Dei) vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia (προ χρονων αἰωνιων).“

Ex his locis apparet

a) praedestinationem ad gloriam esse meram Dei voluntatem et gratiam, nec a meritis nostris dependere;

b) eandem esse aeternam, ante tempora saecularia;

c) numerum praedestinatorum esse definitum;

d) et doctrinam hanc captui nostro inperscrutabilem; hinc in N. T. hae voces: α) consilium et praescientia (βουλη και προγνωσις) Dei; β) vocatio (κλησις) ad

Rom. 1, 6; 1 ad Cor. 1, 2; γ) electio (ἐκλογή) ad Rom. 9, 11; δ) praefinitio (πρόθεσις) saeculorum ad Eph. 3, 11.

2) Datur praedestinatio ad reprobationem seu exclusio a regno coelesti conditionata ad Rom. 9, 16. 18: „Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: — ergo cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat.“ — 1 Petr. 2, 8: „Offendunt verbo nec credunt, in quo positi sunt“ cfr. Matth. 13, 11—17; Marc. 4, 11—13; Luc. 18, 10; Joan. 12, 37—41; attamen caussa reprobationis non est absolutum Dei decretum; sed, quantum nos homines dicere decet, praevisus libertatis abusus, inobedientia erga vocationem homini factam, indignitas moralis enascens, id est, peccatum Matth. 20, 16; C. 22, 14; C. 25, 34. 41; Joan. 10, 28; C. 17, 6. 9. 11. 12. 15. 17; Jac. 2, 5; 2 Petr. 1, 10.

Decreta et consilia Dei sunt aeterna, immutabilia, libertati, sapientiae, sanctitati et justitiae ejus innixa et nobis plane inperscrutabilia; attamen, licet unicum detur Dei decretum, humano modo ut dicatur, dividitur in absolutum et conditionatum, in generale et speciale, in disponens et permittens; hinc haec doctrina subtilis ad puncta sequentia erit reducenda.

a) Deo gratias agamus, quod nos ad fidem in Christum, ad communicationem corporis divini, ad haereditatem sanctorum vocaverit;

b) Deus vult omnes homines salvos fieri 1 ad Thess. 5, 9; 1 ad Tim. 2, 4. et, ni fiat, culpa penes hominem erit;

c) pro infidelibus orandum, ut et ipsi ad veram Dei et Jesu Christi cognitionem reducantur;

d) optandum et de bonitate Dei expectandum, ut Deus citra culpam in infidelitate aut errore defunctos ad redemtorem ostensum libere agnoscendum provocaret, uti Christus post mortem“ his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit“ 1 Petr. 3, 19;

e) gratia

e) gratia Dei infirmos consolidabit confirmabitque et exstimulabit nutantes aut errantes ad amplectendam bonae vitae virtutisque vitam.

B) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. dial. c. Tryph.: „Neque sane quisquam vestrum, ut puto, dicere audebit, non praescium esse et fuisse futurorum Deum (ὁτι μη και προγνωστης των γινεσθαι μελλοντων ἠν και ἐστιν ὁ Θεος), ac digna cuique (praemia) praeparare." — 2) Iren. adv. haer. lib. 5: „Praedestinati quidem ut essemus, qui nondum eramus, secundum praescientiam Patris, facti autem initium facturae accepimus in praecognitis temporibus" cfr. lib. 4. C. 76. — 3) Origo de princip. lib. 3. C. 1. n. 20. 21: „Prius gestorum uniuscujusque causa praecedit, et pro meritis suis unusquisque a Deo vel honoris vas efficitur; vel contumeliae (ἁ μεν εἰς τιμην, ἁ δε εἰς ἀτιμαν). — Cum una omnium sit natura rationabilium creaturarum, ex ipsa Deus secundum praecedentes meritorum causas, sicut ex una massa figulus, creavit et plasmavit alios quidem ad honorem, alios autem ad contumeliam (τους δε μεν εἰναι εἰς τιμην, τους δε εἰς ἀτιμαν)" cfr. in Num. hom. 14. n. 2. — 4) Hilar. tract. in Ps. 64: „Beatus ergo, quem elegit Deus; beatus ob id, quod electione dignus. — Omnis perfectio bonorum in habitationis coelestis est requie." — 5) Basil. hom. in Ps. 32. n. 7: „Quoniam multi sunt vocati, pauci vero electi, beatum dicit non vocatum, sed electum (μακαριζει οὐχι τον κληθεντα, ἀλλα τον ἐκλεχθεντα). Beatus namque, quem elegit" cfr. in Is. C. 1. n. 45; ep. 161. (al. 393.) ad Amphiloch. n. 1. — 6) Cyrill. Hieros. catech. 14. C. 30: „Inscribat (Deus) omnium vestrum nomina in libro viventium, inscriptaque semel nunquam deleat; multorum enim, qui excidunt, delentur nomina (πολλων γαρ ἐξαλειφεται των ἀποπιπτοντων)." — 7) Ambros. epp. lib. 5. ep. 37: „Non ergo desperandum, quod capiti suo membra adhaereant, praesertim cum in adoptionem filiorum Dei ab

initio sumus praedestinati per Jesum Christum in ipso quam praedestinationem probavit" cfr. de fide lib. 5. C. 2. — 8) Chrysost. hom. 16. in Cap. 9. ad Rom.: „(Deus) aperte novit, quinam digni sint, qui coronas reportent, qui rursus poenam ac supplicium mereantur — Hoc enim praescientiae est, ab ipsorum partu videlicet electionem facere, ut appareat, inquit, Dei electio secundum praescientiam facta; a primo enim die bonum et eum item, qui talis non est, et novit et praenuntiavit" cfr. hom. 2. in ep. ad Eph. C. 1; de ferend. reprehens. seu in convers. s. Pauli. — 9) Hieron in Eccl. C. 1: „Est dicendum, quod ex praescientia et praedestinatione Dei ea facta sunt, quae futura sunt; qui enim electi sunt, in Christo ante constitutionem mundi, in prioribus saeculis jam fuerunt" cfr. in Is. C. 1; in Os. C. 12; in Malach. C. 1; apol. adv. Ruffin. lib. 1. C. 6; in ep. ad Eph. C. 1; ep. 150. ad Hedib. quaest. 10. — 10) Augustin. de dono persev. C. 19: „Hoc scio, neminem contra hanc praedestinationem, quam secundum scripturas defendimus, nisi errando disputare potuisse" cfr. de lib. arbitr. lib. 3. C. 4. et 18; de praedest. sanct. C. 19; ep. 95. ad Innocent. P.; ep. 105. 106. 190; enchir. ad Laurent. C. 98; de genes. ad lit. lib. 11. C. 9; ad Simplic. lib. 2. quaest. — 11) Greg. M. dial. lib. 1. C. 8: „Ipsa quoque perennis regni praedestinatio (αὐτη — ἡ της αἰωνιου βασιλειας κληρονομια) ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante saecula disposuit donare" cfr. moral. lib. 18. (in C. 28. Job.) C. 40. n. 64; in Ezech. lib. 1. hom. 10. n. 26.

Summa horum locorum est:

a) Datur praedestinatio, Augustin. Greg. M.;

b) ante nativitatem hominis, Iren. Chrysost.; et ante saecula, Greg. M.; vel ante constitutionem mundi, Hieron. Greg. M.;

c) vi cujus Deus digna praeparat, Justin.; electione dignos = beatos eligit, Hilar. Basil.; et in adoptionem filiorum recipit, Ambros.;

d) e contra excidentes = impios e libro vitae delet, Cyrill. Hieros.;

e) omniscius enim, qui praemio digni sint, quive poenam mereantur, probe novit, Chrysost.; hinc

f) homo pro meritis suis fit vas vel honoris vel contumeliae, Orig.

b) Concilia 1) Arausic. 2. can. 25: „Aliquos ad malum divina potestate esse praedestinatos, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.“ — 2) Constantiens. sess. 14. inter damnatos articulos Joannis Huss erat artic. 21: „Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus ecclesiae et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.“ — 3) Tridentin. sess. 6. C. 12: „Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum; quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali revelatione scire non potest, quos Deus sibi elegerit“; cfr. cap. 13. de perseverantiae munere; inde can. 15. 16. et 17: „Siquis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum, — siquis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum, absoluta et ineffabili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; — siquis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum; anathema sit.“

Caput III.

Status impiorum post mortem.

§. 88.

A) *N. T.* Post exilium babylonicum haec doctrina apprime exculta apparet Sap. 3, 10. 18. 19: „Impii secundum quae cogitaverunt, correptionem habebunt. — Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem (text. gr. παραμυϑιον, solatium). Nationis enim iniquae, dirae sunt consummationis (text. gr. γενεας γαρ ἀδικου χαλεπα τα τελη, nationis enim iniquae dirae consummationes)." — C. 4, 20. 21: „Et erunt post haec decidentes (εἰς πτωμα, in ruinam) sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum: — et erunt gementes (ἐν ὀδυνῃ, in dolore) et memoria eorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum." — C. 5. 15: „Quoniam spes impii tanquam lanugo est, quae a vento tollitur, tanquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis unius diei praetereuntis" cfr. v. 18—24. — 2 Mach. 7, 36: „Tu vero judicio Dei justas superbiae poenas exsolves" ait Antiocho filius natu minimus Machabaeorum.

Ex his patet, a) impios poenas daturos et quidem b) aeternas, c) statumque eorum esse miserrimum ac tristissimum.

B) *N. T.* Quam tristis et tormentis plenus sit impiorum status post mortem, ex his sequentibus colligi potest.

1) Locus commorationis varie describitur:

a) locus exterior Luc. 13, 28: „Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham et Isaac et Jacob et

omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras (ἐκβαλλομενους ἐξω, expulsos foras)“;

b) infernus Luc. 16, 22: „Mortuus est autem et dives: et sepultus est in inferno (text. gr. paucis post verbis: ἐν τω ᾁδῃ)“ cfr. Act. 2, 27; Apoc. 20, 13. 14.

c) locus tormentorum Luc. 16, 28: „Testetur (Lazarus) illis (fratribus divitis), ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum (εἰς τον τοπόν τουτον της βασανου sing. pro plurali)“;

d) caminus ignis Matth. 13, 41. 42: „Mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis (εἰς τον καμινον του πυρος). Ibi erit fletus et stridor dentium“;

e) stagnum ignis ardens in sulphure Apoc. 19, 20: „Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure (text. gr. εἰς την λιμνην πυρος την καιομενην ἐν θειῳ, in stagnum ignis ardens in sulphure)“ cfr. C. 20, 9. 15; C. 21, 8;

f) gehenna Matth. 10, 28: „Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (ἐν γεεννῃ)“ cfr. C. 5, 22; C. 18, 19; origo nominis: gehenna, גֵּי, גֵּיא הִנֹּום quaerenda est in Jos. 15, 8; C. 18, 16; 4 Reg. 23, 10; 2 Paral. 28, 3; C. 33, 6; Jer. 7, 32.

2) Poenae et tormenta sub imaginibus diversis iisque terribilibus enumerantur:

a) mors aeterna Joan. 8, 52: „Siquis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum (θανατον εἰς αἰωνα)“ sic loquitur Jesus de justis doctrinam suam sequentibus cfr. C. 11, 26; dicitur etiam mors altera, vel secunda Apoc. 21, 8;

b) vincula aeterna Jud. v. 6: „Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum — in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine (δεσμοις αἰδιοις ὑπο ζοφον) reservavit“;

c) tenebrae et frigus Matth. 8, 12: „Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores (εἰς σκοτος το ἐξωτερον): ibi erit fletus et stridor dentium" cfr. C. 13, 42; C. 24, 51;

d) sitis et cruciatus Luc. 16, 24: „Pater Abraham — mitte Lazarum, ut intingat, extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret (καταψυξῃ) linguam meam, quia crucior (ὀδυνωμαι) in hac flamma" cfr. Apoc. 14, 11;

e) vermis Marc. 9, 43: „Ubi vermis (ὁ σκωληξ) eorum non moritur" cfr. v. 45. et 47;

f) ignis aeternus Matth. 18, 8: „Bonum tibi est, ad vitam ingredi debilem et claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum (εἰς το πυρ το αἰωνιον)" cfr. C. 3, 12; C. 25, 41; Marc. 9, 42. 44; Luc. 3, 17; 2 ad Thess. 1, 8;

g) supplicium aeternum Matth. 25, 46: „Et ibunt hi (scil. a sinistris) in supplicium aeternum (εἰς κολασιν αἰωνιον)";

h) interitus ad Phil. 3, 18. 19: „Multi enim ambulant, quos saepe dicebam — inimicos crucis Christi, quorum finis interitus (ἀπολεια)" cfr. Matth. 10, 28; 2 ad Thess. 1, 9. (ὀλεθρος αἰωνιος, exitium aeternum);

i) tribulatio et angustia ad Rom. 2, 9: „Tribulatio et angustia (θλιψις και στενοχωρια) in omnem animam hominis operantis malum, Judaei primum et Graeci";

k) corruptio ad Gal. 6, 8: „Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem (φθοραν)."

3) Sors eorum futura haec est:

a) resurgent ad judicium condemnationis Joan. 5, 29: „Et procedent — qui mala egerunt, in resurrectionem judicii (εἰς ἀναστασιν κρισεως)" cfr. v. 24. et ad Hebr. 6, 2;

b) manent a Deo rejecti et repulsi Matth. 25, 41: „Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus";

c) ac separati a justis Matth. 8, 12; Luc. 16, 23. et ab angelis Apoc. 14, 10;

d) viventes α) in societate diaboli et angelorum ejus Matth. 25, 41; β) sine spe, fore, ut unquam ex loco damnationis liberentur; γ) in conscientia, suae se ipsorum infelicitatis esse authores.

4) Hic infelicissimus status incipit statim post mortem; en cap. sequens,

5) et est aeternus; nam

a) in s. scriptura status impiorum aeque aeternus dicitur, ac status piorum Matth. 25, 46: „Et ibunt hi (a sinistris) in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam" cfr. 2 ad Thess. 1, 6—10; vox: αἰων in his locis non est sic interpretanda, uti ad Rom. 16, 25., ubi significat saecula elapsa; aut 2 ad Cor. 4, 18., ubi indicat tempus longissimum; conceptus enim aeternitatis, ait Lessing, est negativus; consequenter omni gradu carens, qui aut nunquam eo modo, aut semper completo sumtus fuit;

b) impiorum commorationis locus ita est comparatus, ut inter pios et impios" chaos magnum firmatum sit, ut hi, qui volunt hinc transire ad illos, non possint neque inde huc transmeare" Luc. 16, 26;

c) tormenta nunquam cessabunt; est quippe ignis inextinguibilis Matth. 3, 12; Marc. 9, 42. 44; vermis, non moriens Marc. 9, 43. 45. 47; fumus tormentorum ascendens in saecula saeculorum nec requies die ac nocte Apoc. 14, 11; cruciatus die ac nocte in saecula saeculorum C. 20, 1. cfr. C. 19, 5;

d) voces: mors, interitus, corruptio continent in se conceptum liberationis pro omni tempore impossibilis Marc. 3, 29; Joan. 3, 36; ad Hebr. 6, 2.

6) Hic status erit diversus, cum nulla detur immoralitas absoluta; hinc gradus poenarum diversi Matth. 10, 15: „Amen dico vobis: tolerabilius (ἀνεκτοτερον)

erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati" cfr. C. 11, 22. 24; C. 16, 27. col. ad Rom. 2, 6. — Matth. 23, 15: „Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos (διπλοτερον υμιν)." — Luc. 12, 47. 48: „Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis (δαρησεται πολλας); qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis (δαρησεται ολιγας)."

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 1. (al. 2): „Torqueri autem in igne aeterno (ἐν αἰωνιῳ πυρι), qui injuste et absque resipiscentia vitam transigunt, credimus" cfr. dial. c. Tryph. — 2) Tatian. orat. ad Graec. C. 21: „Resurgit (anima) in consummatione mundi una cum corpore mortem in ipsa immortalitate per cruciatum et poenam sentiens (δια τιμωριας λαμβανουσα)" cfr. C. 24. — 3) Theophil. ad Autol. lib. 1: „Incredulis — erit indignatio, furor, tribulatio, et angustiae ac tandem tales ignis aeternus detinebit (καθεξει πυρ αἰωνιον)." — 4) Iren. adv. haer. lib. 4. C. 28: „Poena eorum, qui non credunt verbo Dei, et contemnunt ejus adventum et convertuntur retrorsum, adampliata est, non solum temporalis, sed et aeterna facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus: discedite a me maledicti in ignem aeternum; isti erunt semper damnati" cfr. lib. 1. C. 2; lib. 5. — 5) Tertull. apol. contr. gent. C. 45: „Nos — qui — aeternam ab eo (Deo) poenam providemus, merito soli innocentiae occurramus et pro scientiae plenitudine et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, eum timentes, quem timere debebit, et ipse, qui timentes judicat, Deum non proconsulem timentes" cfr. C. 48; de poenit. C. 12; de anima C. 55. et 48. — 6) Minut. Felix Octav. C. 35: „Illic sapiens (ni mavis legere cum Meursio: rapiens) ignis

membra urit et reficit, carpit et nutrit; sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt" — ibid.: „Nec tormentis aut modus ullus aut terminus." — 7) Orig. select. in Psalmos Ps. 9: „Infernus peccatorum est ad ferenda supplicia domicilium (ἀδης των ἁμαρτωλων κολαστηριον)" — hom. 18. in Jer.: „Tu minas pertimesce, ne ea, quae supra minas sunt, patiaris, poenas aeternas, ignem inextinguibilem (τας κολασεις τας αἰωνιους, το ἄσβεστον πυρ), vel fortasse aliud magus, quod reservatum est illis, qui praeter rectam rationem diutius vixerint"; — fragm. ex lib. de provid.: „In eadem poena diversa est quantitas poenae. Alius enim gravius ac vehementius cruciatur, pro magnitudine peccatorum, alius autem remissius, cujus leviora et faciliora peccata sunt" cfr. de princip. praef. n. 5; lib. 2. C. 10. n. 5; in Matth. comment. series tract. 34. — 8) Cyprian. tract. 1. ad Demetrian.: „Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena. — In aeternam poenam sero credent, qui in vitam aeternam credere noluerunt" cfr. epp. lib. 4. ep. 6; lib. de mortal.; de laude martyr. — 9) Lactant. instit. div. lib. 7. C. 21: „Ille divinus (ignis) per se ipsum semper vivit et viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus ac liquidus et in aquae modum fluidus, — quorum peccata et scelera detecta fuerint, non resurgent (scil. ad gloriam), sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati" cfr. C. 5. — 10) Hilar. tract. in Ps. 2: „Excipit — illos statim ultor infernus et decedentes de corpore, si ita vixerint, confestim de via justa peribunt" — comment. in Matth. C. 5: „Quam profanum est, sanctos de gloria aeternitatis ambigere, cum iniquis aeternitatis opus praestetur ad poenam" cfr. tract. in Ps. 57. — 11) Basil. ep. 46. (al. 5.) ad virg. laps. C. 5: „Quali corpore infinita illa et intolerabilia perferet supplicia? Ubi ignis inextinctus et vermis indesinenter puniens, et imum inferi tenebricosum et horrendum et ululatus amari et

ejulatus ingens et ploratus et stridor dentium, et ubi mala finem non habent (περας οὐκ ἐχει τα δεινα); ab his post mortem liberari non datur, neque est industria ulla, neque ars effugiendi amara supplicia (τα πικρα κολαστηρια)" — reg. brev. tract. resp. ad interrog. 267: „Sciendum est, neque illud: vapulabit multis, neque illud: vapulabit paucis significare finem, sed diversitatem supplicii (διαφοραν κολασεως)" addens: „Si aeterni supplicii futurus est aliquando finis, finem quoque habitura est etiam vita aeterna" cfr. hom. in Ps. 3. n. 11; hom. 13. exhortat. ad bapt. C. 8. — 12) Cyrill. Hieros. catech. 18. C. 19: „Siqui autem peccator est, corpus accipiet aeternum, perpetiendae peccatorum poenae capax, ut in igne aeternum combustus (αἰωνιως καιομενος) nunquam absumatur." — 13) Greg. Naz. orat. 26. in plag. grand.: „Ante alias poenas excruciabit (impios), quod a Deo abjecti sint; atque immortalis ignominiae in conscientia inusta (αἰσχυνη περας οὐκ ἐχουσα)." — 14) Chrysost. hom. 31. in ep. ad Rom. C. 16: „Alicubi extra hunc mundum erit gehenna" addens monitionem: „Ne quaeramus, ubi sit, sed quomodo illam sane fugiamus" — hom. 23. in 1 ad Cor. C. 10: „Poena erit aeterna" — hom. 4. in ep. ad Eph. C. 2: „In gehenna non easdem poenas dabimus omnes, sed hic quidem majores; ille vero mitiores" cfr. hom. 8. in 1 ad Thess. C. 4; hom. 1. in ep. ad Hebr. C. 1; ad Theodor. laps. paran. 1. lib. 1. C. 6. — 15) Hieron. in Ezech. C. 26: „Poenae erunt sempiternae"; comment. in Matth. C. 10: „Inter peccatores diversa supplicia sunt" cfr. in Is. C. 65. et 66; in Ezech. C. 4. et 26; in Matth. C. 25; loca in Is. C. 66. et adv. Pelag. lib. 1. C. 9., ubi Christianis moderata promittitur judicis sententia, cum grano salis explicanda sunt. — 16) Augustin. de civ. Dei lib. 21. C. 9: „Quod de sempiterno supplicio damnatorum per suum prophetam Deus dixit; fiet, omnino fiet: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur." — C. 16: „Nequaquam tamen negan-

dum est, etiam ipsum aeternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro poena digna cujusque varietur, sive ipse aequaliter ardeat, sed non aequali molestia sentiatur" — enchirid. ad Laurent. C. 113: „Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei et omnibus erit ipsa communis, quamlibet homines de varietate poenarum, de dolorum revelatione, vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur" cfr. de civ. Dei lib. 20. C. 16; de pecc. merit. et remiss. lib. 1. C. 16. — 17) Greg. M. lib. 4. C. 28: „Si esse sanctorum animas in coelo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet, ut per omnia esse credas, et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione aeternae justitiae, ex qua justi jam gloriantur, necesse est per omnia, ut et injusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo laetificat; ita credi necesse est, quod a die sui ignis reprobos exurat." — C. 44: „Constat nimis, et incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum; ita finis non erit tormento malorum (ούτως ουδε της βασανου των πονηρων τελος έσται)"; cfr. C. 45; moral. lib. 9. C. 66. n. 100.

Summa omnium locorum est haec:

a) Nominatur locus impiorum scil. infernus, Orig. Hilar. Basil. Greg. M.; et gehenna, Cyprian. Chrysost.;

b) determinantur poenae et cruciatus, Tatian. Iren. Tertull. Orig. Cyprian. Hilar. Cyrill. Hieros. Chrysost. Hieron. Greg. M.; α) supplicia infinita, Orig. Lactant. Basil. Hieron. Augustin.; β) tribulatio et angustia, Theophil.; γ) vermis, Basil. Augustin.; δ) tenebrae, Lactant. Basil.; ε) ignis, Justin. Theophil. Minut. Felix, Basil. Cyrill. Hieros. August. Greg. M.; et flamma vorax, Cyprian.; ζ) dolores Augustin.; ac tormenta, Minut. Felix;

c) sors eorum est immortalis ignominia, Greg. Naz.; abjectio a Deo, Greg. Naz.; et alienatio a vita Dei, August.;

d) incipiens statim post mortem, Hilar. Greg. M.;
e) in aeternum duratura; hinc α) vermis indesinenter puniens, Basil.; β) ignis aeternus, Justin. Theophil. Augustin.; inextinguibilis, Orig. Basil.; semper vigens, Cyprian.; et gehenna semper ardens, Cyprian.; γ) tormenta sine fine, Minut. Felix; mala sine fine, Basil. Greg. M.; et mors sine fine, Augustin.; δ) damnatio sempiterna, Iren.; ε) poenae aeternae, Chrysost.; supplicia sempiterna, Augustin.; combustio aeterna, Cyrill. Hieros.; cruciatus sempiterni, Tertull.;
f) diversi tamen gradus, Orig. Basil. Chrysost. Hieron. Greg. M.

b) Concilia 1) Lateran. 4. C. 1: Illi (reprobi) cum diabolo poenam perpetuam et isti (electi) cum Christo gloriam (recipiunt)." — 2) Lugdun. 2. lit. Mich. Palaeol. imp. Graec. ad Greg. P. X.: „Sacro — sancta ecclesia — dicit et praedicat, illorum animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox (παραυτικα) in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas." — 3) Florent. defin. s. syn. oec.: „Definimus — illorum animas, qui in actuali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas."

Caput IV.

Status piorum post mortem.

§. 89.

A) *V. T.* Post exilium babylonicum fidem in felicem statum post mortem piis destinatum in pluribus locis descriptam et probatam reperimus Tob. 3, 6. secund. Vulg.: „Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum et praecipe in pace recipi spiritum meum (text. gr. addit: ὀπως ἀπολυϑω και γενομαι γη, ut peream et fiam terra). Expedit enim mihi mori magis, quam vivere

(text. gr. post verba aliqua addit: ἐπιταξον ἀπολυθηναι με της ἀναγκης ἠδη εἰς τον αἰωνιον τοπον, praecipe absolvi me de necessitate jam in aeternum locum)." — Sap. 3, 1. 3. 4. 6. 7. 8. 9: „Justorum animae (δικαιων — ψυχαι) in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum (Vulg. addit) mortis, — sunt in pace. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; et in tempore erit respectus illorum (text. gr. και ἐν καιρῳ ἐπισκοπης αὐτων κ. τ. λ. et in tempore visitationis seu retributionis ipsorum etc.) — Fulgebunt justi et tanquam scintillae in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes et dominabuntur populis et regnabit Dominus illorum in perpetuum (εἰς τους αἰωνας, in saecula). Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis ejus (text. gr. ὁτι χαρις και ἐλεος ἐν τοις ὁσιοις αὐτου και ἐπισκοπη ἐν τοις ἐκλεκτοις αὐτου, quoniam gratia et misericordia in sanctis ejus et visitatio in electis ejus)." — C. 4, 7. 14: „Justus (δικαιος) autem, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit: — placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum (hoc verbum cum pronomine deest in text. gr.) de medio iniquitatum." — C. 5, 16. 17: „Justi autem in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini." — C. 6, 19. 20: Custoditio autem legum consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo."

Ex his locis patet:

a) locum dari aeternum pro justis Tob. 3, 6;

b) felicitatem aeternam Sap. 5, 16. immortalem C. 3, 4. et incorruptam C. 6, 19;

c) pios esse in pace C. 3, 3; C. 4, 7. et semper manere apud Deum C. 3, 9; C. 5, 16. tanquam dilectos a Deo C. 4, 14; inde

d) glorificari et eximie munerari C. 3, 7; C. 5, 7.

B) *N. T.* Status piorum post mortem est felicissimus, id quod ex sequentibus colligendum.

1) Locus commorationis piorum varie describitur:

a) coelum, quod est sedes Dei, Christi et angelorum Matth. 6, 9; C. 10, 32. 33; C. 12, 50; C. 18, 10; C. 24, 36; 1 ad Thess. 4, 15; hinc Matth. 19, 21. ait Jesus adolescenti: „Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo (*θησαυρον ἐν οὐρανῷ*)“ cfr. ad Phil. 3, 20; ad Col. 1, 5; ad Hebr. 10, 34., ubi text. gr. addit: „*ἐν οὐρανοις* in coelis“ vide infra;

b) regnum coelorum Matth. 5, 10: „Beati, qui persecutionem patiuntur, propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum coelorum (*ἡ βασιλεια των οὐρανων*)“ cfr. C. 18, 1. 2. 3;

c) regnum Dei Marc. 9, 46: „Bonum est tibi, luscum introire in regnum Dei (*εἰς την βασιλειαν του Θεου*), quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis“; cfr. C. 14, 25; Luc. 13, 28; C. 22, 30; 1 ad Cor. 6, 10; C. 15, 50; 2 ad Tim. 4, 1. 18; — regnum Patris Matth. 26, 29;

d) regnum aeternum Domini 2 Petr. 1, 11: „Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri et salvatoris Jesu Christi (text. gr. *εἰς αἰωνιον βασιλειαν του κυριου ἡμων Ἰησου Χριστου*)“;

e) paradisus Luc. 23, 43: „Et dixit illi (latroni) Jesus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso (*ἐν τῳ παραδεισῳ*)“ cfr. 2 ad Cor. 12, 4;

f) sinus Abrahae Luc. 16, 22: „Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae (*εἰς τον κολπον του Ἀβρααμ*)“;

g) domus patris Joan. 14, 2: „In domo Patris mei (*ἐν τῃ οἰκιᾳ του πατρος μου*) mansiones multae sunt“ cfr. v. 23;

h) civitas Dei ad Hebr. 12, 22: „Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis (πολει Θεου ζωντος), Jerusalem coelestem, et multorum millium angelorum frequentiam" cfr. C. 13, 14;

i) nova Jerusalem Apoc. 21, 2: „Vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam (Ἱερουσαλημ καινην), descendentem de coelo a Deo paratam" cfr. v. 10. et ad Hebr. 12, 22.

2) Denominationes splendidissimae hujus status occurrunt:

a) vita Matth. 18, 8: „Bonum tibi est, ad vitam (εἰς την ζωην) ingredi — quam — mitti in ignem aeternum"; cfr. v. 9; C. 19, 29; C. 25, 46; Joan. 3, 16; C. 5, 24; C. 11, 25. 26; ad Rom. 2, 7; C. 6, 23; 1 ad Tim. 6, 19;

b) salus 1 ad Thess. 5, 9: „Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis (σωτηριας) per Dominum nostrum Jesum Christum" cfr. ad Hebr. 5, 9; 1 Petr. 1, 5. 9;

c) gloria ad Rom. 5, 2: „Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei (text. gr. της δοξης του Θεου, gloriae Dei)" cfr. 2 ad Cor. 4, 17; 2 ad Thess. 1, 9; C. 2, 13; 1 Petr. 5, 4;

d) merces Matth. 5, 12: „Gaudete et exultate, quoniam merces (ὁ μισθος) vestra copiosa est in coelis" cfr. ad Hebr. 10, 35;

e) thesaurus Matth. 19, 21. vide supra, et Luc. 12, 33;

f) haereditas ad Col. 3, 24: „Scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis (της κληρονομιας)" cfr. ad Eph. 1, 14. 18; ad Hebr. 9, 15; 1 Petr. 1, 4;

g) substantia melior et manens ad Hebr. 10, 34: „Nam et vinctis (text. gr. τοις δεσμοις μου, vinculis meis) compassi estis et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam (text. gr. κρειττονα ὑπαρξιν

ἐν οὐρανοις και μενουσαν, praestantiorem substantiam in coelis et manentem)";

h) bravium supernae vocationis ad Phil. 3, 14: „Ad destinatum persequor, ad bravium, supernae vocationis (*ἐπι το βραβειον της ἀνω κλησεως*) Dei in Christo Jesu."

3) Sors eorum futura partim sub imaginibus sensualibus felicitatis terrenae, partim sine iisdem sub descriptionibus sublimissimis demonstratur, et quidem:

a) destructo corpore ad Rom. 8, 21—25; 2 ad Cor. 4, 17; C. 5, 1. 2. cessabunt omnes miseriae, calamitates, persecutiones et tribulationes 2 ad Thess. 1, 4; Apoc. 7, 16; omnes cupiditates et stimuli sensuales, omnes molestiae terrenae, et fata ac infortunia; cessabit luctus, clamor et dolor C. 21, 4., omnesque finientur labores C. 14, 13; erit requies 2 ad Thess. 1, 7; ad Hebr. 4, 9. 10; Apoc. 14, 13; mors ultra non erit C. 21, 4. cfr. Luc. 20, 36; nec erit interruptio, nec defectus, nec timor etc.; inde

b) imagines sensuales Matth. 8, 11: „Recumbent (*ἀνακλιθησονται*) cum Abraham et Isaac et Jacob"; — C. 19, 28: „Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel"; — C. 26, 29: „Illud (genimen vitis) bibam vobiscum novum in regno Patris mei" cfr. Marc. 14, 25; Luc. 22, 18. etc.;

c) conversatio α) cum Deo, quae dicitur visio, aut, quod idem, participatio gloriae Dei Matth. 5, 8; „Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*ὄψονται*)" cfr. 1 ad Cor. 2, 9; C. 13, 12; ad Hebr. 12, 14; 1 Joan. 3, 2; β) cum Christo Joan. 14, 3: „Iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, et vos sitis" cfr. C. 17, 21. 22. 24; ad Rom. 8, 17; 2 ad Cor. 5, 8; ad Phil. 1, 23; 2 ad Tim. 2, 11. 12; 1 Petr. 1, 8; Apoc. 22, 4; γ) cum angelis et sanctis Matth. 22, 30: „In resurrectione neque nubent, neque

neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in coelo" cfr. ad Hebr. 12, 22;

d) vita in charitate 1 ad Cor. 13, 8: „Charitas nunquam excidit"; inde α) ampliatio et incrementum cognitionum, β) moralitatis et virtutis 1 ad Cor. 13, 10—13; 1 Joan. 3, 2. 3.

4) Hic status statim post mortem incipit; sic sunt

a) eloquia Christi Joan. 5, 24: „Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audivit et credit ei, qui misit me, — transit a morte in vitam (ἐκ του θανατου εἰς την ζωην)" — C. 8, 51: „Siquis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum" cfr. C. 11, 25. 26. et id, quod supra dictum Matth. 8, 11; Luc. 9, 31; C. 16, 22. 23; C. 23, 43. 46;

b) eloquia Apostolorum 2 ad Cor. 5, 8: „Audemus autem et bonam voluntatem habere magis peregrinari a corpore et praesentes esse (ἐνδημησαι, habitatum ire) ad Dominum" cfr. ad Phil. 1, 21. 23. — Ad Hebr. 9, 27. judicium statim post mortem enuntiatur; Apoc. 7, 15. sunt justi ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte; C. 14, 13. requiescunt a laboribus suis.

5) Hic status est aeternus; dicitur enim

a) vita aeterna Matth. 19, 29; C. 25, 46; Joan. 3, 16.

b) gloria aeterna 2 ad Cor. 4, 17. 18; 1 Petr. 1, 11; C. 5, 10;

c) domus aeterna in coelis 2 ad Cor. 5, 1;

d) haereditas incorruptibilis, incontaminata, immarcessibilis 1 Petr. 1, 4;

e) corona incorrupta 1 ad Cor. 9, 25. immarcessibilis 1 Petr. 5, 4;

f) thesaurus non deficiens Luc. 12, 33;

g) substantia manens ad Hebr. 10, 34., aliaeque voces supra citatae.

6) Diversitas praemiorum patet ex Joan. 14, 2: „In domo Patris mei mansiones multae (πολλαι = si mavis,

ἀλλοιαι, diversae) sunt"; aut melius 2 ad Cor. 9, 6: „Hoc autem (Vulg. addit:) dico: qui parce seminat, parce (φειδομενως) et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus (ἐπ' ευλογιαις) et metet"; huc refer parabolam de domino proficiscente et post reditum servos suos pro diversis meritis diverse remunerante Matth. 25, 14—31; Luc. 19, 12—29.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Justin. apol. 1. (al. 2.): „Qui (homines) si dignos se operibus illius consilio praestiterint, conversatione sua (της μετ' αυτου αναστροφης, et ibidem: immortalitate, et consuetudine, και αφθαρσιας και συνουσιας) dignatum iri scimus"; — dial. c. Tryph.: „Piorum (animas) in meliore loco (ἐν κρειττονι ποιχωριῳ) manere (dico)." — 2) Tatian. orat. adv. Graec. C. 14: „Nos, quibus nunc facile mori contingit, postea cum voluptate immortalitatem — percipimus." — 3) Athenag. legat. pro Christian. C. 12: „Longe praestantiorem, quam ut verbis dici possit, vitam nobis futuram scimus, siquidem, quod puri simus, ab omni delicto absoluti fuerimus." — 4) Theophil. ad Autol. lib. 1: „Iis, qui secundum patientiam bonis operibus incorruptionem quaerunt, donabit vitam aeternam, gaudium, pacem, quietem et multitudinem bonorum (ζωην αἰωνιον, χαραν, εἰρηνην, αναπαυσιν και πληθη αγαθων), quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt." — 5) Iren. adv. haer. lib. 1. C. 2: „Ecclesia accepit eam fidem, — ut (Deus) — justis — et aequis et praecepta ejus servantibus et in dilectione ejus perseverantibus quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, et claritatem aeternam eis circumdet" — lib. 5. C. 1: „Qui — quaerunt vera inquisitione, laudantes Dominum, implebuntur dono, quod a Deo proficiscitur, hoc est, cognitione, et vivet anima eorum." — 6) Clem. Alex. strom. lib. 6. C. 13: „Hos sublatos in nubibus scribit Apostolus primum quidem diaconos futuros, deinde cooptandos esse in presbyteratum profectu

gloriae (gloria enim differt a gloria), donec creverint in virum perfectum (εἰς τελειον ἀνδρα)." — 7) Origen. de princip. lib. 2. C. 11. n. 3: „Sperant manducaturos quidem esse sanctos, sed panem vitae, qui veritatis et sapientiae cibis nutriat animam, et illuminet mentem, et potet eam divinae sapientiae poculis — instrui poterit in illa Jerusalem nova civitate, id est, edoceri et informari et effici lapis vivus, lapis pretiosus et electus" — n. 6: „Sed et de his locorum diversitatibus indicat, cum dicit: multae mansiones sunt apud Patrem meum." — 8) Cyprian. epp. lib. 4. ep. 6: „Quae erit illa gloria et quanta laetitia, admitti, ut Deum videas honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias — cum justis et Dei amicis in regno coelorum datae immortalitatis voluptate gaudere" — de mortal.: „Patriam nostram paradisum computamus, parentes, patriarchas habere jam coepimus, quae summa et perpetua felicitas" cfr. lib. de exhort. martyr. — 9) Lactant. instit. div. lib. 7. C. 21: „Tum quorum fuerit probata justitia, hi praemium immortalitatis accipient." — 10) Hilar. tract. in Ps. 60: „Haec — haereditas sancti est; vita et incorruptio et regnum et coaeterna Deo habitatio" — in Ps. 64: „Plures — mansiones diversae dignitati habitantium praeparantur" cfr. in Ps. 120. — 10) Basil. in hexaem. hom. 2. C. 5: „Si damnati mittuntur in tenebras exteriores: utique qui opera laude ac commendatione digna perceperunt, in coelesti lumine requiem possident (ἐν τῳ ὑπερκοσμιῳ φωτι την ἀναπαυσιν ἐχουσι)" cfr. ep. 8. (al. 141.) de secess. ad Caesariens. C. 12. — 11) Cyrill. Hieros. catech. 18. C. 19: „Siqui justus est, coeleste corpus accipiet, ut possit cum angelis digne una versari (ἀναστρεφειν ἐπαξιως)." — 12) Greg. Naz. orat. 3. de rect. doctr. sent.: „Quid est illud, quod speramus? Omnino dices regnum coeleste. Arbitror autem hoc ipsum nil aliud esse, quam consequi, quod purissimum et perfectissimum est. Perfectissima vero quiddam est

in rerum natura, cognitio Dei" quae infra vocatur ss. trinitatis illustratio, ἐλλαμψις. — Orat. 24. in laud. Caesar.: „Tu divinum et sacrosanctum caput, coelos penetres — ac magno illi regi adsistens totusque lumine illo perfusus." — 13) Greg. Nyss. in 40 martyr. orat. 2: „An etiam sanctis propter gladium inaccessus est paradisus, — an deteriore conditione illorum, qui certaturi sint, quam latro, ad quem Dominus dixit: hodie mecum eris in paradiso?" cfr. orat. catech. C. 40. — 14) Ambros. in Ps. 48: „Piis domus est ecclesia, piis patria coelum est" — epp. lib. 4. ep. 29: „Justis in coelo, non in terra merces promittitur" in Ps. 38; de bono mortis C. 10. et 22. integr. — 15) Chrysost. ad Theodor. laps. paraen. 1: „Quid ea vita beatius est (per enumerationem). Omnia occupabit ubique incorruptibilis gloria, et quod omnium longe est maximum, continua fruentur conversatione cum Christo, una cum angelis, cum archangelis, cum superioribus potestatibus"; — de s. Philog. orat.: „Maximopere gratulor hujus sancti felicitati, quod quanquam translatus est atque hanc, quae apud nos est, civitatem reliquit, tamen in alteram transiit, civitatem nempe Dei cfr. hom. 32. in ep. ad Rom.; laudat. ss. Machab. hom. — 16) Hieron. comment. in 1 ad Cor. 15: „Stellarum diversitati justorum differentiam comparat (Paulus), quos gradus virtutum in gloria, non peccata facient esse diversos" — ad Marcell. de obit. Leae ep. 24: „Nunc pro levi labore aeterna beatitudine fruitur; excipitur angelorum choris, — Christum sequitur, et dicit: quaecunque audivimus; ita vidimus in civitate Dei nostri." — 17) Augustin. de civ. Dei lib. 13. C. 8: „In requie sunt animae piorum a corpore separatae; impiorum autem poenas luunt, donec istorum ad vitam aeternam, illorum vero ad alteram mortem, quae secunda dicitur, corpora reviviscant" — lib. 22. C. 30: „Vera ibi gloria, — verus honor, — vera pax. — Caeterum, qui futuri sint pro meritis praemiorum gradus honorum atque gloriarum,

quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit." — 18) Greg. M. dialog. lib. 4. C. 25: „Luce clarius constat, quia perfectorum justorum animae, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in coelestibus sedibus recipiuntur" cfr. moral. lib. 14. C. 43. n. 48. et lib. 4. C. 29. n. 56.

Summa horum locorum haec est:

a) Locus piorum dicitur α) locus melior Justin. — sedes coelestis, Greg. M.; β) coelum, Greg. Naz. Ambros.; et regnum coelorum, Cyprian. Greg. Naz.; γ) paradisus, Cyprian. Greg. Nyss.; δ) civitas nova, Orig.; beata, Augustin.; Dei, Chrysost. Hieron.;

b) ubi est vita longe praestantior, Athenag. Iren. Hilar Chrysost.; incorruptela, Iren. Hilar.; regnum, Hilar. August.; merces, Ambros.;

c) et sors felicissima, utpote α) conversatio cum Deo, Justin. Cyprian. Hilar. Greg. Naz.; cum Christo, Cyprian. Chrysost. Hieron.; cum angelis, Cyrill. Hieros. Chrysost. Hieron.; cum justis, Cyprian.; β) incrementum cognitionis Dei, Iren. Clem. Alex. Orig. Gregor. Naz.; γ) immortalitas cum voluptate, Tatian. Cyprian.; praemium immortalitatis, Lactant.; δ) gaudium, Theophil.; felicitas summa, Cyprian.; et gloria, Chrysost. Augustin.; ε) pax, quies, Theophil. Basil. Augustin.; ζ) cum honore multitudo bonorum, Theophil. Augustin.

d) Hic status statim post mortem incipit, Greg. M.;

e) estque aeternus; inde dicitur α) vita aeterna, Theophil. Augustin.; β) salus et lux aeterna, Cyprian.; γ) claritas aeterna, Iren.; felicitas perpetua, Cyprian.; beatitudo aeterna, Hieron.; δ) habitatio Deo coaeterna, Hilar.;

f) diversi tamen gradus, Clem. Alex. Orig. Hilar. Hieron. Augustin.

b) Concilia 1) Lateran. 4. Cap. 1; „Non solum autem virgines et continentes, verum etiam conjugati, per fidem rectam et operationem bonam, et sic placentes Deo ad aeternam merentur beatitudinem pervenire.“ — 2) Florent. defin. s. oec. synod.: „Sacrosancta ecclesia — dicit et praedicat, — illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptam nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam — sunt purgatae, mox in coelum recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiorem.“

Ad hoc caput pertinent tres aliae doctrinae:

§. 90.

I. Doctrina de cultu sanctorum.

A) *V. T.* 1) Dantur loca, in quibus clare satis enuntiatur, Deum ex certo respectu animarum pie defunctarum saluti humanae consulere 3 Reg. 15, 4. 5: „Propter David dedit ei (Abiae) Dominus Deus suus lucernam (= regimen) in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum et statueret Jerusalem: eo quod fecisset David rectum in oculis Domini et non declinasset ab omnibus, quae praeceperat ei, cunctis diebus vitae suae.“ — 4 Reg. 19, 32. 34: „Quamobrem haec dicit Dominus: — protegam urbem hanc et salvabo eam (לְהוֹשִׁיעָהּ, ad salvandum eam) propter me et propter David servum meum“ cfr. Is. 37, 35. — Tob. 3, 25: „Et missus est angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos (Vulg. addit:), quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatae“ cfr. C. 12, 12. 14. — Dan. 3, 35: „Neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum et Israel sanctum tuum.“

2) Exempla exauditae orationis sunt: Sic orat angelus pro Jerusalem Zach. 1, 12: „Et respondit angelus

Domini et dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es, iste jam septuagesimus annus est"; sic orant Onias et Jeremias pro universo populo et civitate sancta 2 Machab. 15, 12. 13. 14: „Erat autem hujuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, — manus protendentem, orare pro omni populo (text. gr. *συστηματι*, coetu) Judaeorum. Post hoc apparuisse et alium virum — respondentem vero Oniam dixisse: hic est fratrum amator (Vulg. addit:) et populi Israel; hic est, qui multum orat (*ὁ πολλα προσευχομενος*) pro populo et universa sancta civitate Jeremias propheta Dei."

B) *N. T.* Cultus sanctorum licitus est, nec idololatricus, cum a Dei cultu et adoratione diversissimus sit et huic per priorem derogari nequeat, omnibus quippe relatis ad Deum, omnium bonorum fontem ad Rom. 11, 35; Jac. 1, 17. et ad mediatorem nostrum Jesum Christum 1 ad Tim. 2, 5; nam

1) sancti nobiscum conjuncti sunt vinculo quodam per mortem minime disrupto Matth. 22, 32: „Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium (*ζωντων*)." — Luc. 15, 10: „Ita dico vobis: gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente." — 1 ad Cor. 13, 8: „Charitas nunquam excidit (*ἡ ἀγαπη οὐδεποτ' ἐκπιπτει*)" — Ad Eph. 4, 4: „Unum corpus et unus spiritus (*ἑν σωμα, και ἑν πνευμα*), sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae." — 2 Petr. 1, 15: „Dabo autem operam et frequenter habere vas post obitum meum (*μετα την ἐμην ἐξοδον*), ut horum memoriam faciatis";

2) charitas Christi in fideles suos, licet ipse terrae ereptus sit, et cura ipsius pro iisdem adhucdum perdurat ad Rom. 8, 29. 34: „Praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus — Christus Jesus — qui est ad dexteram (*ἐν δεξια*,

in dextera) Dei, qui etiam interpellat pro nobis (ἐντυγχανει ὑπερ ἡμων)" cfr. ad Hebr. 7, 25. — Ad Philip. 3, 20: „Nostra autem conversatio (πολιτευμα), in coelis est";

3) sancti intercedunt pro nobis apud Deum 1 ad Thess. 5, 25: „Fratres, orate pro nobis (προσευχεσθε περι ἡμων)." — Apoc. 5, 8: „Quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum (αἱ προσευχαι των ἁγιων)" cfr. C. 8, 3. 4;

4) intercessio sanctorum procurat nobis gratiam et beneficia Jac. 5, 16: „Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua (πολυ ἰσχυει δεησις δικαιου ἐνεργουμενη)"; ex quo patet a) licitum esse, invocare sanctos; b) et in sanctorum honorem missas celebrare; c) hanc doctrinam manere objectum revelationis et esse falsissimum, ab ecclesia catholica Jesum ex officio degradari, et beatam Mariam virginem nimium extolli (contra Schuetze et Marheineke), cum, si abusus forsan irrepat, non penes ecclesiae catholicae doctrinam, sed penes doctrina abusuros culpa sit.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Orig. in cant. cant. lib. 3: „Omnes sancti, qui de hac vita discesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, et juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens: scriptum namque est in Machabaeorum libris ita: Hic est Jeremias propheta Dei, qui semper orat pro populo" cfr. de orat. n. 11. — 2) Cyprian. epp. lib. 1. ep. 1: „Siquis hinc nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio." — 3) Euseb. praepar. evang. lib. 13, C. 11: „Certe defunctorum animae virtutem quandam habent, qua post mortem rebus

humanis auxiliantur.“ — 4) Athan. de s. Deipar.: „Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima ergo, quae etiam a partu virgo permansisti, — laus — offertur (τις ἐπαινος προσαγεται) tibi: inquam, gratiosae Dominae nostrae reginae, herae, matri Dei (τῃ μητρι του Θεου), arcae sanctuarii.“ — 5) Basil. hom. 19. orat. in 40. Martyr. C. 8: „Cum angustia aliqua premitur, ad quadraginta martyres confugit, laetatur, currit ad eos, ille quidem, ut a malis liberetur, hic vero, ut res sibi secundae esse pergant (enumeratio per exempla). Boni curarum socii, precum, fautores, legati potentissimi.“ — 6) Cyrill. Hieros. catech. 23. mystag. 5. C. 9: „Postea recordamur eorum quoque, qui dormierunt, — ut Deus eorum precibus et intercessionibus orationem nostram suscipiat.“ — 7) Greg. Naz. orat. 22. ad Greg. Nyss.: „Si ad hunc modum coimus, aut confluimus, haud dubie festum hunc diem, ut Christo gratum est, celebramus, haud dubie martyres honore afficimus, aut afficiemus, haud dubie triumphalem chorum ducimus“ cfr. orat. 29. in laud. s. Cyprian.; orat. 30. in laud. s. Basil.; orat. 31. in laud. s. Athan. — 8) Greg. Nyss. de s. Theodor. mart. orat.: „Intercede ac deprecare pro patria apud communem regem ac Dominum, — etiamsi superasti saeculum, at nosti affectus et usus necessitatesque humanae conditionis. — Petimus autem etiam futuri temporis praesidium atque securitatem. Quodsi majori etiam opus fuerit advocatione ac intercessione (της πλειονος δυσωπιας), fratrum tuorum martyrum coge chorum et cum omnibus una deprecare“ cfr. de vita s. Maurinae. — 9) Ambros. de viduis: „Possunt (martyres) pro peccatis rogare nostris, — isti enim sunt Dei martyres — speculatores vitae actuumque nostrorum. Non erubescamus, eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere; qui et ipsi infirmitatem corporis etiam, quum vincerent, cognoverunt“ cfr. in 4 Reg. — 10) Chrysost. hom. de ss. Bernice, Prosdoce et Domnina: „Eas obsecramus, obtestamur, ut patronae

sint nostrae; multam enim fiduciam obtinent, non viventes modo, sed et mortuae.“ — 11) Hieron. ad Eustoch. virg. ep. 27. C. 14: „Vale Paula et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva; fides et opera tua Christo te sociant; praesens facilius, quod postulas, impetrabis; exegi monumentum tuum aere perennius, quod nulla destruere possit vetustas“ cfr. ad Heliod. ep. 1; ad Marcell. ep. 17. ad Marcellam de obitu Blesillae ep. 25. C. 6; contr. Virgil. C. 2. — 12) Augustin. de bapt. contr. Donat.: „Adjuvet itaque nos (s. Cyprianus) in orationibus suis in istius carnis mortalitate — laborantes“ cfr. de cura pro mort. ger. C. 13—17; serm. 181. de temp.; tract. in Evang. Joan. tr. 84. — 13) Cyrill. Alex. contr. Julian. lib. 6: „Sanctos martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus: laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt, et fidei sinceritatem servarunt, ita, ut et animam suam contemserint et mortis terroribus valedicentes praevaluerint in summis periculis, tantaeque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi vitae suae excitaturi; proinde non est indignum immo etiam necessarium, eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus.“

Summa locorum haec est:

a) Sancti charitatem erga nos habent, curam gerentes salutis nostrae, Orig.; auxiliantes rebus humanis, Euseb.; nostrique recordantes, Athan.;

b) sunt advocati atque intercessores nostri, Greg. Nyss. Ambros.; ac patroni nostri, Chrysost.; pro nobis deprecantes, Greg. Nyss.; et intercedentes, Cyrill. Hieros.; atque orationibus suis et interventu suo nos adjuvantes, Orig. Hieron. Augustin.; hinc

c) confugimus ad sanctos in angustiis, Basil.; laudantes eos summis honoribus et perpetuis honorantes laudibus, Cyrill. Alex.; eos obsecrando et obtestando,

Chrysost.; martyresque honore afficimus, Greg. Naz.; ergo

d) non cesset oratio pro fratribus et sororibus, Cyprian.

b) Concilia 1) Chalced. oecum. 4. anno 451. act. 11: „Flavianus post mortem vivit, martyr. pro nobis oret.“ — 2) Trident. sess. 25. de invocatione sanct.: „Mandat sancta synodus episcopis et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut — fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos unacum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum — ad eorum orationes opem auxiliumque confugere.“

§. 91.

II. Doctrina de cultu reliquiarum.

A) *V. T.* Ossa prophetae Elisaei miracula operantur 4 Reg. 13, 20, 21: „Mortuus est ergo Elisaeus, et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab (וּגְדוּדֵי מוֹאָב, et agmina Moab) venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos (אֶת־הַגְּדוּד, agmen) et projecerunt cadaver (text. hebr. אֶת־הָאִישׁ, virum) in sepulchro Elisaei. Quod cum tetigisset (וַיֵּלֶךְ וַיִּגַּע הָאִישׁ, et abiit et tetigit vir) ossa Elisaei, revixit homo et stetit super pedes suos“; hinc a) de Elisaeo dicitur Eccles. 48, 14: „Et mortuum prophetavit (text. gr. ἐν κοιμήσει, in dormitione = sepulchro προφήτευσε) corpus ejus“; b) de Joseph C. 49, 18. Vulg.: „Ossa ipsius visitata sunt et post mortem prophetarunt.“

B) *N. T.* Licitum est, habere et venerari sacras reliquias; sicut enim Deus in sanctis suis colitur; sic sancti in reliquiis et imaginibus coluntur, ita tamen, ut omnis fraus et abusus removeatur Matth. 9, 20. 21. 22: „Et ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti

ejus (ἥψατο της κρασπεδου του ἱματιου αὐτου). Dicebat enim intra se: si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus et videns eam dixit: confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora" cfr. C. 14, 36. — Act. 5, 14. 15: „Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum; ita, ut in plateas ejicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra (ἡ σκια) illius obumbraret quenquam illorum (Vulg. addit:) et liberarentur ab infirmitatibus suis." — C. 19, 11. 12: „Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita, ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia (ἀπο του χρωτος αὐτου σουδαρια ἡ σιμικινθια) et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur (text. gr. addit: ἀπ' αὐτοις, ab eis)."

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Ignat. apud Evagr. hist. eccles. lib. 1. C. 16: „Majora robustioraque Ignatii viri plane divini ossa a bestiis relicta, quae — Antiochiam deportata fuerunt, regnante etiam Theodosio — in coemiterium translata sunt. — Ista propterea facta fuerunt, quod Deus sacras sanctorum suorum memorias ibi coli honorarique voluit." — 2) Polycarp. ep. encycl. eccles. Smyrn. apud Euseb. hist. eccles. lib. 4. C. 15: „Nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora et quovis auro puriora colligentes, uti decebat, condidimus." — 3) Basil. ep. 197. (al. 55.) ad Ambros. episc. C. 2: „Therasius — coram presbyteris, diaconis, multisque aliis Deum timentibus sublatas cum debita reverentia reliquias (τα λειψανα) fratribus servavit, quas vos tanto cum gaudio suscipite, quanto cum moerore prosecuti sunt illarum custodes. — Una arca erat, quae venerandum illud corpus (Dionysii) excepit, nullus prope ipsum jacuit, insigne fuit sepulchrum, martyris honor ei delectus" cfr. ep. 49. (al. 408.) ad Arcad. episc.; hom. in Ps. 115. n. 4; hom. de martyr. — 4) Cyrill. Hieros. catech. 18. C. 16:

„Ut autem non animae solum justorum honorentur, sed crederetur etiam in justorum corporibus jacere vim penitus insitam, projectus in monumentum Elisaei mortuus, mortuum prophetae corpus attingens, vitam concepit." — 5) Greg. Naz. orat. 47. in Julian. 1: „Quorum (ss. martyrum) vel sola corpora idem possunt, quod animae sanctae, sive manibus contrectentur, sive honorentur, quorum vel solae sanguinis guttae atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora: haec non colis, sed contemnis et aspernaris" cfr. orat. 48. in Julian. 2. et orat. 29. in s. Cyprian. — 6) Greg. Nyss. de Theod. martyr. orat.: „Corpus venerandum et immaculatum illius instrumentum — cum multo honore et cultu compositum atque ornatum in angusto sacroque loco situm est, quod veluti res chara magnique aestimata atque recondita in tempus regenerationis reservatur." — 7) Ambros. de obit. Sat. fratr.: „Habeo plane pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio jam possit avellere, habeo, quas complectar, reliquias, habeo tumulum, quem corpore tegam, habeo sepulchrum, super quod jaceam, et commendabiliorem Deo futurum esse me credam, quod supra sancti corporis ossa requiescam" cfr. de hortat. ad virgin. — 8) Chrysost. orat. de s. Ignat. martyr.: „Neque corpora solum, sed etiam conditoria ipsa sanctorum spiritali gratia sunt referta" citans 4 Reg. 13. — 9) Hieron. ad Ripar. presbyt. adv. Vigilant. ep. 53: „Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum" cfr. ad Eustoch. virg. ep. 27. C. 3. — 10) Augustin. sermm. de divers. serm. 92: „Cinis latet, beneficia patent, cogitate charissimi, quae nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta praestat de pulvere mortuorum." — 11) Greg. M. moral. lib. 16. (in C. 24. Job) C. 51. n. 64: „Hi qui de nullo suo opere confidunt, ad sanctorum martyrum protectionem currunt, atque ad sacra eorum corpora fletibus insistunt, promereri se veniam,

iis intercedentibus, deprecantur. Quid ergo isti in hac humilitate faciunt, nisi quia bonae actionis velamen non habent, lapides amplexantur.“

Summa locorum haec erit:

a) Reliquiae sanctorum martyrum debita reverentia servantur, Basil.; honorantur et coluntur, Ambros. Hieron.; gemmis longe pretiosiores, Polycarp.;

b) corpora eorum multo honore et cultu ornata et reservata, Greg. Nyss.; vim curandi habent, Cyrill. Hieros.; et idem possunt, quod animae, Greg. Naz.;

c) ossa in cultu et veneratione reservantur, Ignat. Ambros.;

d) ipse pulvis vim curandi habet, Augustin.;

e) sanguinis guttae et passionis signa idem possunt, quod corpora, Greg. Naz.;

f) ipsa conditoria sanctorum vim curandi habent, Chrysost.

b) Concilia 1) Nicaen. 2. oecum. 7. act. 3: „Servator noster Christus fontes salutares, sanctorum reliquias, nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes. Igitur siqui ausi fuerint, — abjicere — reliquias martyrum, quas sciverunt esse germanas et veras — si fuerint episcopi aut clerici, deponantur, si monachi aut laici, communione priventur.“ — 2) Lateran. 4. cap. 62: „Cum ex eo, quod quidam sanctorum reliquias exponunt venales, ut eas passim ostendant, christianae religioni sit detractum saepius, in posterum praesenti decreto statuimus, ut antiquae reliquiae amodo extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate romani pontificis fuerint approbatae.“ — 3) Trident. sess. 25. de invoc. ss. inculcat: „Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse.“

§. 92.

III. Doctrina de cultu imaginum.

A) *V. T.* Exod. 25, 18—21. fit mentio de Cherubim super arcam testamenti (הַכְּרֻבִים עַל־אֲרוֹן הָעֵדֻת) erectis cfr. 3 Reg. 6, 35; C. 7, 29. 36; 2 Paral. 3, 10—15. — Num. 21, 8. 9. de serpente aeneo (נְחַשׁ נְחֹשֶׁת) in signum et sanationem pro percussis erecto. — Veneratio arcae occurrit Jos. 7, 6: „Josue — pronus cecidit in terram coram arca Domini (לִפְנֵי אֲרוֹן יְהוָה) usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel“; cujus irreverenter tactae poena Ozae percusso et mortuo illata legi potest 2 Reg. 6, 4—9. — Vetitum Exod. 20, 4: „Non facies tibi sculptile etc.“ ad idola referendum est.

B) *N. T.* Licitum est, habere et colere imagines Christi et omnium sanctorum, cum nulla subest contradictio, licet non expressum in s. scriptura reperiatur exemplum et mandatum; quis enim imagini patris aut amici aut viri cujusdam admodum inclyti aestimationem et cultum exhibere, pro idololatria aut abusu declarabit? Attamen hic quoque valet adagium: tollatur abusus, maneat usus.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. lib. de pudicit. C. 10: „Patrocinabitur pastor, quem in calice depingis.“ — 2) Basil. ep. 360. (al. 205.) ex ep. ad Julian.: Characteres imaginum (*τους χαρακτηρας των εἰκονων*) eorum (Apostolorum etc.) honoro et osculor eximie, cum hae traditae sint a s. Apostolis nec sint prohibitae, immo in omnibus ecclesiis nostris depictae sint.“ — 3) Athan. lib. quaest. et respons. ad Antioch. C. 38: „Absit, ut quemadmodum Graeci faciunt, nos Christiani tanquam Deos, imagines adoremus.“ — 4) Greg. Nyss. de Theod. martyr. orat.: „(Pictor) omnia in nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens, certamina atque labores martyris nobis expressit, ac tanquam pratum amoenum

et floridum templum exornavit, — solet pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse (οἶδε γαρ και γραφη σιωπωσα ἐν τειχῳ λαλειν, και τα μεγιστα ὠφελειν)." — 5) Chrysost. de admirat. pretios. cruc. serm.: „Illam (crucem) in aedibus et in muris et in foribus et in fronte et in mente cum magno studio depingimus, et insculpimus; nostra enim salutis communisque libertatis et bonitatis Domini nostri hoc signum est" cfr. hom. 13. in 1 ad Cor. 4; s. Melet. encom. — 6) Hieron. in Jon. C. 4: „Solent Apostolorum imagines adumbrari." — 7) Augustin. sermm. de divers. serm. 94: „Dulcissima pictura est haec, ubi videtis s. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem." — 8) Greg. M. epp. lib. 9. ep. 13. ad Seren. Massil. episc.: „Quod legentibus scriptura, hoc idiotis praestat pictura cernentibus, qui in ipsa etiam ignorantes sequi debeant, in ipsa legunt, qui literas nesciunt" cfr. ep. 52. ad Secundin.; ep. 105. ad eundem Seren.; ergo secundum doctrinam ss. patrum

a) honorantur imagines Christi in calice depicti, Tertull.; s. crucis, Chrysost.; Apostolorum et aliorum, Basil. Hieron., s. Stephani, Augustin.;

b) sed non adorantur, Athan.;

c) sunt potius linguarum interpretationes, Greg. Nyss.; idiotis legere non valentibus, Greg. M.; et in pariete loquuntur, Greg. Nyss.

b) Concilia 1) Nicaen. 2. oec. 7. act. 11: „Et his (imaginibus) osculum et honorariam adorationem (τιμητικην προσκυνησιν) tribuunt, non tamen veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet." — 2) Constantinop. 4. oecum. 8. can. 2: „Sacram. D. N. J. Chr. effigiem eadem, qua s. evangelia, veneratione colendam statuimus — per imagines arte coloribusque pictas et expressas docti juxta et indocti ex objecta re utilitatem capiunt. Quaecunque enim in syllabis

bis oratio, haec in coloribus pictura docet et repraesentat." — 3) Trident. sess. 25. de invoc. ss. docet: „Imagines porro Christi, Deiparae virginis et aliorum sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas eisdem debitum honorem et venerationem impertiendam, — quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illa repraesentant, ita, ut per imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, imitemur."

Caput V.

Purgatorium.

§. 93.

A) *V. T.* Ex libris Machabaeorum elucet veritas, pios in altera vita remunerari, in peccatis vero levibus defunctos per preces et sacrificia Deo reconciliari eorumque peccata remitti; en locum ipsum 2 Mach. 12, 42 — 46: „Atque ita ad preces (εἰς ἱκετειαν, in supplicationem) conversi, rogaverunt, ut id, quod factum erat delictum, oblivioni traderetur. At vero fortissimus Judas hortabatur populum, conservare se sine peccato, sub oculis videntes, quae facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt (δια την των προπεπτωκοτων ἁμαρτιαν). Et facta collatione duodecim millia (text. gr. δισχιλιας, duo mille) drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium (προς ἀγαγειν περι ἁμαρτιας θυσιαν), bene et religiose de resurrectione cogitans: (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis [ὑπερ νεκρων εὐχεσθαι]). Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo (addit auctor devotus) et sa-

lubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (text. gr. ὁσια και ευσεβης ἡ ἐπινοια· ὁθεν περι των τεθνηκοτων τον ἐξιλασμον ἐποιησατο, της ἁμαρτιας ἀπολυθηναι, sancta et pia consideratio: unde pro mortuis propitiationem fecit, a peccato solvi = ut a peccato solvantur)"; cum particula: ergo, in textu graeco non inveniatur, versum ultimum nullam esse glossam, margini appositam et textui insertam patet, quidquod nobiliorem et religiosiorem nationis judaicae partem eisdem, queis Judas ejusque milites, imbutam fuisse principiis, haud obscure colligendum erit; ceteroquin locus Mal. 3, 2. huc referri nequit.

B) *N. T.* Esse purgatorium, seu statum medium inter coelum et infernum, proinde locum, in quo animae defunctorum usque eo detinentur, donec ab omnibus maculis purgatae gloria coelesti digni fiant; ex cultura hominis gradatim progrediente erui potest, sicque haec doctrina ipsi rationi haud inconveniens erit; nam excedunt hac vita homines a) peccatis venialibus onusti et maculati, b) a peccatis quidem absoluti, restante vero satisfactionis parte; jam vero ejusmodi animae nec ad infernum damnari possunt, quia impii tantum „ibunt in supplicium aeternum" Matth. 25, 46; nec in coelum statim et ad gloriam aeternam recipi, quia Apoc. 21. 27: „Non intrabit in eam aliquid coinquinatum (text. gr. παν κοινον, omne vulgare) aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae agni" cfr. ad Hebr. 12, 14; ergo datur purgatorium; nec obscure id conjici potest ex Matth. 12, 31. 32: „Ideo dico vobis: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur (text. gr. addit: τοις ἀνθρωποις, hominibus). Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro (οὐτε ἐν τουτῳ τῳ νυν αἰωνι, οὐτε ἐν τῳ μελλοντι)"; secundum hunc locum

et ille Marc. 3, 29. est dijudicandus; hinc ex hoc argumento indirecto, in saeculo futuro peccatorum fieri remissionem, elucet, non posse non dari purgatorium; et si (sic Dobmeier) recipiatur locus 1 ad Cor. 3, 15: „Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem (οὑτο δε ὡς δια πυρος)"; apparebit argumentum directum; nec huic doctrinae derogare possunt loca Luc. 23, 43. et Apoc. 14, 13, ubi sermo de omnimode purgatis est; quidquod ecclesia latina et graeca in eo conveniunt, juxta poenam damni (jacturam visionis Dei) et dari poenam sensus (poenas positivas in saeculo futuro luendas), quas removere sicque gradatim in sanctitate crescere hominis semper est et erit Matth. 5, 8. 48; ad Hebr. 12, 15.

Ex hoc purgationis loco liberari possunt animae defunctorum a) s. missae sacrificio, b) precibus, c) et bonis operibus; en tres margaritas in uno nucleo, scil. fidem in saeculum futurum, spem in vitam aeternam eamque felicem et charitatem sepulchri terminos transgredientem, queis tribus partibus certum effectum respondisse et adhucdum respondere confirmant 1) vinculum fidelium ne morte quidem rumpendum; 2) loca s. scripturae Act. 12, 5; ad Rom. 15, 30; ad Col. 1, 3; 1 ad Thess. 5, 25; ad Hebr. 13, 18; Jac. 5, 16; 3) exemplum s. Pauli 1 ad Tim. 1, 16. 18; 4) universalis ecclesiae totius fides.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Tertull. de monogam. C. 10: „(Vidua) pro anima ejus (mariti) orat — et offert annuis diebus dormitionis ejus" cfr. de cor. mil. C. 3; de exhort. cast. C. 11. — 2) Clem. Alex. strom. lib. 7. C. 6: „Nos — dicimus ignem sanctificare non carnis, sed animas peccatrices (τας ἁμαρτωλους ψυχας), ignem dicentes non illum edacem et omnia consumentem et plane sordidum et illiberatum, sed prudentem, qui pervadit animam per ignem transeuntem" cfr. C. 10. et 12. — 3) Orig. in Jerem. hom. 2: „Siquis servaverit lavacrum

Spiritus sancti, iste in resurrectionis prima parte communicat, siquis vero in secunda resurrectione servatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur (ὁ δεομενος βαπτισματος, ὁτου ἐλϑῃ ἐπι το πυρ ἐκεινο), ut quidquid habuerit lignorum, foeni et stipulae, ignis consumat" cfr. hom. 16; in Exod. hom. 6; in Luc. hom. 14. et 24. — 4) Cyprian. epp. lib. 4. ep. 2: „Aliud missum in carcere non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim et fidei et virtutis mercedem accipere, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse" cfr. lib. 1. ep. 11. — 5) Euseb. de vit. Constant. lib. 4. C. 71: „Jam una cum sacerdotibus non sine lacrymis preces pro imperatoris anima Deo fundebant, in quo frequens et sane magno cum gemitu et illi gratum atque optatum pio principi officium praestabant." — 6) Ephrem Syr. de sacerd.: „Quum oblata fuerint tremenda mysteria, immortalitate plena, praeside sacerdote orationem pro cunctis faciente (δια του προεστωτος ἱερεως ποιουντος πρεσβειαν ὑπερ παντων), tunc animae accedentes per illa tremenda mysteria macularum purificationum (καϑαρμον — των σπιλιων) accipiunt." — 7) Basil. in Is. C. 10. n. 242: „Docet ignis naturam esse purgantem. Sanctificabit (Dominus) enim illum quasi in igne urente (ὡς ἐν πυρι καιομενῳ), quomodo autem ignis purificat (ἁγιαζει)? Postquam comederit sylvam tanquam foenum" cfr. in Is. C. 9; n. 231; C. 13. n. 262. — 8) Cyrill. Hieros. catech. 23. mystag. 5. C. 9: „Deinde et pro defunctis ss. patribus et episcopis et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt, (oramus,) maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet hostia." — 9) Greg. Naz. orat. 39. in s. lumina: „In altero aevo igni fortasse baptizabuntur (haeretici), qui postremus est baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam

instar foeni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit.“ — 10) Greg. Nyss. orat. de mortuis: „Hanc divina sapientia rationem excogitavit, ut — (homo) onere deposito vel in praesenti vita sapientiaeque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem (δια της του καθαρσιου πυρος χωνειας) expiatus ad pristinam vellet redire felicitatem.“ — 11) Ambros. in obit. Theod. conc. 3: „Ejus principis et proxime conclamavimus obitum et nunc quadragesimum celebramus, — sicut s. Josephus patri suo Jacobo quadraginta diebus humationis officia detulit“ cfr. epp. lib. 8. ep. 61. ad Faustin. — 12) Chrysost. in Act. Apost. hom. 21. in C. 9: „Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynae; haec omnia Spiritus disposuit, volens, ut nos mutuum juvemus“ cfr. hom. 69. ad pop. Antioch.; hom. 41. in ep. 1 ad Cor.; hom. 3. in ep. ad Phil. — 13) Hieron. ad Pamach. ep. 26: „His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum: sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum“ cfr. in Is. C. 10; in Ezech. C. 1; in Am. C. 7; ad Eustoch. virg. C. 13. — 14) Augustin. sermm. de verbis Apost. serm. 32. C. 2: „Orationibus vero sanctae ecclesiae et sacrificio salutari et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari“ cfr. de civ. Dei lib. 21. C. 16; enchir. ad Laurent. C. 109—113; ep. 50. ad Bonif. vir. milit., ubi commentatur in Matth. 12, 32; de fid. et oper. C. 15; de Gen. contr. Manich. lib. 2. C. 20; de octo Dulcitii quaest., quaest. 1; sermm. de sanctis serm. 41. de igne purgatorii; lib. integr. de cur. pro mort. gen. — 15) Greg. M. dial. lib. 4. C. 55: „Idem presbyter hebdomada continua se pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit (σωτηριον θυσιαν καθ’ ἡμεραν τῳ Θεῳ προσεθυσε), et reversus post ad balneum eum jam minime invenit. Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacrae oblationis, ostenditur, quando

hanc et ipsi mortuorum spiritus a viventibus petunt et signa indicant, quibus per eam absoluti videantur (δια σημειων μηνυουσιν, ὁστι δε αὐτης των πτασματων λυτρουνται)" cfr. C. 39. ubi citat Matth. 12, 32. et 1 ad Cor. 3, 12—15; C. 40.

Summa locorum haec erit:

a) datur ignis pro animabus peccatricibus, Clem. Alex.; purgatorius, Orig.; emendans et purgans, Cyprian.; purificans, Basil.; expurgans et expians, Greg. Nyss.; qui est postremus baptismus, Greg. Naz.; et locus dicitur carcer, unde novissimo nonnisi quadrante soluto exire licet, Cyprian.; atque fornax expurgantis ignis, Greg. Nyss.; hinc

b) in salutem defunctorum oratio, Tertull. Cyrill. Hieros. Ambros. Augustin.; et preces peractae, Euseb. Chrysost.; quibus a maculis purgantur, Ephrem;

c) eleemosynae, Chrysost. Augustin.; quae extinguunt peccatum, Hieron.;

d) sacrificium missae, Augustin.; salutaris hostia oblata, Greg. M.; oblationes, Chrysost. Greg. M.; annuis diebus, Tertull.; ergo Greg. M.; in dialogis suis purgatorium non accendit (contra acatholicos), nec vera est illa sententia, ecclesiam graecam nunquam pro defunctis preces effudisse, et purgatorium ecclesiae tantum romanae esse commentum (contra Stourdza).

b) Concilia 1) Carthag. 3. C. 29: „Si aliquorum pomeridano tempore defunctorum, sive episcoporum sive caeterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat." — 2) Vasens. anno 442. Cap. 2: „Horum, qui poenitentia accepta in bono vitae cursu, satisfactoria compunctione viventes, sine communione, inopinato nonnunquam transitu in agris aut in itineribus praeveniuntur, oblationem recipiendam et eorum funera ac deinceps memoriam ecclesiastico affectu prosequendam" cfr. cap. 4. — 3) Lugdun. 2. lit. Mich. Paleol.: „Sacrosancta ro-

mana ecclesia — dicit et praedicat — quodsi vere poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis seu catharteriis (ποιναις πουργατωριου ἠτοι καθαρτηρων) post mortem purgari, et ad poenas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesiae instituta." — 4) Florent. defin. s. synod.: „Definimus — si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et, ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta, illorumque animas, quae post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus vel eisdem exutae corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatae, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius." — 5) Trident. sess. 6. can. 30: „Siquis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit; anathema sit." — Sess. 22. can. 3: „Siquis dixerit, missae sacrificium — neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit." — Sess. 25. decret. pro purgat.: „Cum catholica ecclesia — novissime in hac oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fide-

lium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; — curent — episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta, pie et devote fiant et quae pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur; non perfunctorie, sed a sacerdotibus et ecclesiae ministris et aliis, qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur."

Caput VI.

Resurrectio mortuorum et judicium extremum.

§. 94.

A) *V. T.* Verbum hebraicum קוּם dicitur a) in Hiphil efficere, ut aliquid existat, facere resurgere Deut. 18, 18; Jud. 2, 18; Jer. 29, 15; b) in Hophal et Niphal metaphorice in vitam revocari Is. 26, 19; Dan. 7, 17; C. 12, 2. Fides in resurrectionem futuram in locis nonnullis reperitur. Job 19, 25. 26: „Scio enim, quod redemtor meus vivit (text. hebr. וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי, et ego novi redemtorem meum vivum; גֹּאֵל = vel vindex vel salvator, ut in hoc loco habet vers. syr. et arab., qui est Deus Pater aut Deus Filius cfr. Ps. 77, 35; Is. 41, 14; C. 44, 6; C. 47, 4; C. 48, 17; C. 49, 26.) et in novissimo die de terra surrecturus sum (text. hebr. וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם, et novissime [vers. syr. et arab. in consummatione] super pulverem = terram staturum 2 Esdr. 9, 3; Ps. 1, 5. = resurrecturum, vel, ut vers. arab. et syr., appariturum). Et rursum circumdabor (scil. praet. Niphal a יקף) pelle mea (text. hebr. וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ־זֹאת, et postquam pellem = carnem meam destruxerint hanc; ergo active a נקף cfr. Is. 10, 34; C. 17, 6; C. 24, 13. Glass. phil. sac. cum corpus hoc [= caro haec] corrosum

vel corruptum fuerit) et in carne mea videbo Deum"; sub voce: גֹּאֵל, redemtor Christus intelligi potest, quia haec vox est praedicatum Christo κατ' ἐξοχην conveniens Matth. 1, 21; Act. 4, 12; ad Eph. 1, 7; cui redemtio quaevis adscribitur Is. 63, 9; Zach. 9, 11. 12. 13; veramque hic mortuorum resurrectionem intelligi, non obscure demonstrat: a) solennis praefatio v. 23: „Utinam scribantur etc."; b) v. 29. ad ultimum et aeternum judicium referri potest; c) sublimis Jobi sermo; d) verba: iisdem oculis Jobum visurum Deum; e) sic chald. et 70 et ss. patres (contra Hufnagel et alios ob C. 42, 5. hunc locum allegorice interpretantes). — Ps. 15, 10. vide supra Sect. V. Cap. I. — In scriptis propheticis et aliis post exilium editis doctrina de resurrectione mortuorum et judicio extremo magis magisque ampliata traditur. Sap. 3, 6. 7. dicitur de justis: „Et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi (text. gr. και ἐν καιρῳ ἐπισκοπης αὐτων ἀναλαμψουσι et in tempore visitationis = retributionis ipsorum refulgebunt)" cfr. v. 13; C. 5, 1. 16; C. 7, 18. — C. 3, 18. de injustis: „Non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem (οὐδε ἐν ἡμερᾳ διαγνωσεως παραμυθιον, nec in die inquisitionis solatium)." — C. 4, 21: „Venient in cogitatione (ἐν συλλογισμῳ = in computatione) peccatorum suorum timidi." — Is. 26, 19: „Vivent mortui tui; interfecti mei resurgent (text. hebr. נְבֵלָתִי יְקוּמוּן, cadaver meum resurgent = resurget) expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere (text. hebr. שֹׁכְנֵי עָפָר, habitatores pulveris), qui ros lucis (אוֹרוֹת, significat tum lucem, tum plantas) ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam (text. hebr. וָאָרֶץ רְפָאִים תַּפִּיל, et terra manes = mortuos projiciet = pariet; secundum vers. arab. נפל, largitus est, donavit, aut תַּפִּיל, secundum arab. a פאל = פיל et פול, tursit, adulta fuit scil. planta; ergo: terra mortuos virescere faciet, en excellentem allegoriam)." — Ezech. 37, 12. 13. 14: „Haec dicit

Dominus Deus: ecce ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulchris vestris, populus meus: et inducam vos in terram Israel. Et scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus: et dedero spiritum meum in vobis et vixeritis et requiescere vos faciam super humum vestram: et scietis, quia ego Dominus, locutus sum et feci, ait Dominus Deus" cfr. v. 1—12. — Dan. 12, 2, 3: „Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam et alii in opprobrium, ut videant semper (text. hebr. legit לְדִרְאוֹן עוֹלָם, ad contemtum saeculi). Qui autem docti (= sapientes = justi) fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates (text. hebr. לְעוֹלָם וָעֶד, in saeculum et perpetuo)", concesso, in his tribus locis sermonem esse de resurrectione politica ad regimen novum aut de liberatione gentis judaicae e servitute; haec tamen symbola ex idea resurrectionis desumta sunt, quae omni sensu carerent, nisi doctrina de resurrectione in libris judaicis recepta fuisset; quidquod haec doctrina, uti quaevis alia v. g. angelologia ex exilio babylonico transmigrare sicque divulgari potuit; insuper attendas velim, quam similis locus Dan. 2, 1. 2. illi Matth. 25, 46. et Joan. 5, 29. sit. — Apertissime haec doctrina enuntiatur 2 Mach. 7, 9. 11. 14. 23: „Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione (text. gr. *εἰς αἰωνιον ἀναβιωσιν ζωης*, in aeternam resurrectionem vitae) suscitabit, — propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam (text. gr. *και*, et) ab ipso me ea recepturum spero; — tibi enim (ait ad tyrannum filius quartus) resurrectio ad vitam (*ἀναστασις εἰς ζωην*) non erit, — spiritum vobis (ait mater) iterum cum misericordia reddet et vitam" cfr. v. 36. et C. 12, 44; C. 14, 46.

In Talmud Sanhedrim fol. 9. col. 1. resurrectio mortuorum pro articulo fidei fundamentali et quidem jure

merito declaratur (en Moses Maimon. Isaac Abarbanel, R. Bechai) et traditur, resurrectionem fieri a) per tubam Dei R. Akkiba oscos fol. 17. C. 2. et 3; b) per rorem R. Joseph Albo in Sepher Ikkarim Maanar 4. cap. 35. fol. 152. C. 1; c) ex osse sacro Lus (לוז) R. Makkir in Afkos Rachel par. 4. — De judicio extremo enuntiatur,

a) quod a Messia instituatur liber Henoch Fabric. pag. 194: „Το κριμα του αἰωνος των αἰωνων“ — pag. 196: „ἡ κρισις ἡ μεγαλη“; Sepher Ikkarim cap. 31. fol. 147. col. 1. — Bereschith rabba ad Gen. 49, 10: „Iste (Schiloh) est Messias, illique adhaerebunt populi, qui ipse erit judicans totum mundum“ secundum dictum Is. 11, 4; Mich. 4, 5. 6. item ad Gen. 49, 16. — 4 Esdr. 13, 26: „Ipse disponet (scil. sortem μερισει, vers. arab. exhibebit, judicabit et sententiam feret), qui derelicti sunt (הנותרים, reliqui terrarum populi, gentiles)“ cfr. C. 7, 32. 33;

b) in valle Josaphat R. Menasse ben Israel in Nischmath Chajim fol. 45. col. 1. — In Midrasch Mischle dixit R. Ismael: „Veni et vide, quam durus sit dies judicii, quod Deus S. B. habiturus est in omnem mundum in valle Josaphat“ — fol. 68. coll. 4: „Deus S. B. judicabit totum mundum in valle Josaphat.“

B) *N. T.* Vox: ἀναστηναι, resurgere significat: a) restitutionem moralem ad Eph. 5, 14; b) surgere in sensu proprio Act. 9, 34. etc.; c) suscitare sobolem Matth. 22, 24; d) in vitam revocare aut in sensu passivo: revocari, excitari a mortuis Matth. 17, 9; C. 20, 19; Marc. 8, 31; Act. 2, 32.

1) Doctrina Jesu Matth. 22, 30. 31. 32: „In resurrectione enim (ἐν γαρ τῃ ἀναστασει) neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in coelo. De resurrectione autem mortuorum (περι δε της ἀναστασεως των νεκρων) non (nonne) legistis, quod dictum est a Deo dicente (Vulg. addit:) vobis: ego sum Deus Abraham,

et Deus Isaac et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium" cfr. Marc. 12, 24—27; Luc. 20, 33—39; hoc in loco loquitur Jesus v. 23. ad Sadducaeos, resurrectionem negantes Act. 23, 8. confirmans per casum sibi propositum doctrinam resurrectionis; dicitur enim Marc. et Luc. l. c.: Resurrectio ex mortuis, ἀναστασις ἐκ νεκρων; ergo non est sermo tantum de statu post mortem. — C. 24, 30. 31: „Et tunc parebit signum Filii hominis in coelo: et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna: et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum"; tunc fiet judicium extremum C. 25, 31—46; hoc in loco de resurrectione mortuorum dici, patet ex eo, quod Jesus in variis locis expresse affirmet se venturum in majestate, orbem judicaturum C. 16, 27. 28; C. 19, 28; C. 26, 64; Marc. 8, 38. 39; Luc. 9, 26; et cum adventu suo extremum immediate conjungi judicium declaret. — Luc. 14, 13. 14: „Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et coecos: et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum (ἀνταποδοθησεται γαρ σοι ἐν τῃ ἀναστασει των δικαιων)"; in hoc loco est sermo de retributione in resurrectione aliquando facienda. — Joan. 5, 28. 29: „Nolite mirari, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae (εἰς ἀναστασιν ζωης); qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (εἰς ἀναστασιν κρισεως)"; hic resurrectionem aperte tradi, neminem esse, qui neget, arbitror; cfr. loca parallela C. 6, 39. 40; C. 11, 24.

2) Doctrina Apostolorum Act. 24, 15. ait s. Paulus: „Spem habens (ego) in Deum, quam et hi ipsi (Judaei) exspectant resurrectionem futuram justorum et iniquorum (text. gr. ἀναστασιν μελλειν ἐσεσθαι νεκρων, δικαιων τε

καὶ ἀδίκων, resurrectionem futuram esse mortuorum, justorum scilicet et injustorum)" cfr. C. 17, 18; C. 23, 6; C. 24, 21. 25., ubi de extremo judicio sermo fit; C. 26, 23; ad Rom. 8, 11; C. 14, 9. — 1 ad Cor. 15, 12. 13. 20. 51. 52: „Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est; neque Christus resurrexit. — Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium. — Ecce mysterium vobis dico; omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα; alii codd. minus recte legunt: omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα). In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: Canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti (οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι): et nos immutabimur"; cfr. v. 53. usque ad finem; 2 ad Cor. 4, 14; ad Phil. 3, 11; Apostolus admonet Corinthios doctrinae fidei fundamentalis, scil. resurrectionis Jesu, quae est pignus et praefiguratio resurrectionis nostrae; id quod per similitudinem magis explicat v. 52. dicendo: nos tantum, nos (Deo fideles) immutabimur scil. ad gloriam ad Phil. 3, 21. sicque duplicem resurrectionem, unam ad mortem aeternam, alteram ad vitam aeternam bene distinguendo, cum effatum ad Rom. 5, 12. et ad Hebr. 9, 27. sit universale, vi cujus omnes morti sint et maneant subjecti cfr. Gen. 2, 17; Ps. 88, 49; ne exclusis quidem salvatore nostro ejusque sancta matre, licet ambo peccato originali non fuerint infecti. Dictio aliorum codd. respectu versus 51. nec est vera, quia verss. arab. et syr. non sunt originalia, sed copiae tantum et opera aetatis recentioris, quae fidei et authentiae Vulgatae et veteris Italae cedere debent; nec particula: οὐ cum aliis veritatibus in hoc capite integro occurrentibus erit conferenda (contra neocriticos et Schwarz). Utinam scriptores novioris criticae

novitatis speciem anhelantes semper decretum concilii Tridentini sess. 4. (de editione et usu sacrorum librorum) ante immaturam sententiam perlegant! — 1 ad Thess. 4, 15. 16: „Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra: et sic semper cum Domino erimus"; hoc in loco Apostolus non dicit, homines novissimae aetatis nunquam morituros sicque sine morte vitam mortalem cum immortali mutaturos, nec debitum naturae universale persoluturos, sed in tempus breve emortuos Domino jam obviam ire posse effatur, addendo v. 14: „Non praeveniemus eos, qui dormierunt"; ad quid haec verba, si Apostolus fore, qui non morerentur, affirmasset; en insuper vers. 15: „Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi," ex quo, his alios quoque justos in resurrectione succedere, concludendum est; jam vero resurrectio morte nisi praevia cogitari nequit, omni quippe carne morti subjecta; ergo mortui tantum resurgere possunt; cfr. loca parallela 2 ad Thess. 1, 5—11; C. 2, 1—14; 2 ad Tim. 2, 17. 18. Paulus resurrectionem mortuorum et judicium extremum inter doctrinas fidei fundamentales numerat ad Hebr. 6, 1. 2: „Jacientes fundamentum — resurrectionis mortuorum et judicii aeterni (*ἀναστασεως τε νεκρων και κριματος αἰωνιου*)" cfr. C. 10, 37; Jac. 5, 8. — De judicio extremo explicari potest locus Apoc. C. 20. et C. 21, 1—9.

Haec mortuorum resurrectio quomodo aliquando comparata sit, declarat s. Apostolus Paulus prolixius 1 ad Cor. 15, 42—45; tunc v. 53—57; qua cum universali resurrectione conjungitur judicium extremum ad remunerationem justorum, ad castigationem injustorum celebrandum, ubi Jesus Christus judex vivorum et mortuorum constituendus unicuique secundum opera retribuet Matth. 13, 39—42; Joan. 12, 48; Act. 10, 42; C. 17, 31;

ad Rom. 2, 6—11. et 16; C. 14, 10; 1 ad Cor. 4, 5; 2 ad Cor. 5, 10; ad Eph. 6, 8; ad Col. 3, 24. 25; 2 ad Tim. 4, 1. idque erit

a) bonis optandum et gloriosum; malis vero terribile et turpe;

b) divinum et majestaticum apparente judice divino;

c) apparentibus simul angelis bonis et sanctis contra angelos malos 2 Petr. 2, 4;

d) sententia in ipso instanti executioni tradita;

e) irrumpens improvise, sicut fur in nocte Luc. 12, 39; 1 ad Thess. 5, 2; 2 ad Thess. 2, 1. 2; 2 Petr. 3, 10; hinc tempus, hora et dies hominem latet, cum dicitur Marc. 13, 32: „De die illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater" cfr. Matth. 24, 36; inde vigilantia saepe inculcata 1 Petr. 4, 7.

Ex his prolatis patebit, Chiliasmum esse commentum ex locis perperam intellectis Is. 11, 6; C. 65, 17—25; Matth. 19, 29; C. 26, 29; 1 ad Cor. 15, 23. 24; Apoc. 20, 4—6; C. 21. et 22. exortum.

C) *Traditio* a) ss. patres 1) Clem. Rom. ep. 1 ad Cor. C. 24: „Consideremus, dilecti, quemadmodum Dominus continue nobis ostendat resurrectionem, quae futura est (την μελλουσαν ἀναστασιν ἐσεσθαι)" tunc citans Job 19. utitur similitudinibus de vicissitudine diei et noctis, de grano seminis, de ave Phoenice, cfr. ep. 2 ad Cor. C. 9. — 2) Ignat. ad Trall. C. 9: „Qui ergo resuscitavit eum (Jesum Christum) Pater; ipse etiam nos per eum resuscitaturus est" cfr. ad Rom. C. 4. — 3) Polycarp. ad Phil. C. 7: „Qui dixerit, neque resurrectionem neque judicium esse, hic primogenitus satanae est." — 4) Justin. dial. c. Tryph.: „Carnis resurrectionem (σαρκος ἀναστασιν) futuram novimus" cfr. apol. 1. (al. 2.). — 5) Tatian. orat. ad Graec. C. 9: „Corporum quoque resurrectionem (σωματων ἀναστασιν) fore credimus post consummationem universorum" cfr. C. 24. — 6) Athenag.

de resurrect. mort. C. 11: „Ostendendum, vera esse, quae de resurrectione dicuntur (του ἐπι της ἀναστασεως λογου), idque ex ea causa, secundum quam et per quam primus homo, ejusque posteri nati sunt, — dein ex communi hominum omnium, quatenus homines sunt, natura; deinde ex conditoris super illos judicio, quod de illis faciet, prout vixerint, quod judicium nemo dubitaverit, quin justissimum futurum sit (ἡν [κρισιν] οὐκαν τις ἀμφισβητησει ἐν εἰναι δικαιαν)" exponens latius has tres rationes. — 7) Theophil. ad Autol. lib. 1. argumentatur ex rebus terrestribus, scil. seminibus et fructibus et menstrua lunae resurrectione dicens: „Accipe praeterea resurrectionis opus in te ipso (ἐν σοι αὐτῳ ἐργον ἀναστασεως), etsi ignores." — 8) Tertull. librum de resurrectione carnis scripsit, dicens C. 35: „Atque ita resurrectionem quoque mortuorum carnis esse (recognoscitur)" refutans C. 51. objectionem ob 1 ad Cor. 15, 50., *uti et* in initio libelli dicit C. 1: „Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum; illa, credentes sumus, hoc credere veritas cogit; veritatem Deus aperit." — 9) Iren. adv. haer. lib. 3. C. 21: „Quemadmodum caput resurrexit a mortuis, sic et reliquum corpus omnis hominis, qui invenitur in vita, — resurgit, per compagines et conjunctiones coalescens et confirmatum augmentum Dei, unoquoque membrorum habente propriam et aptam in corpore positionem"; refutans lib. 5. objectionem respectu 1 ad Cor. 15, 50. — 10) Clem. Alex. strom. lib. 5. C. 1. jam ethnicos resurrectionem credidisse effatus sic ait: „Norat — ille, a barbara philosophia doctus, malorum hominum purgationem per ignem, quam Stoici ἐκπυρωσιν, exustionem, postea dixere, qui et per eam hunc talem quempiam revicturum docuit, hujusmodi, obtegentes resurrectionem (την ἀναστασιν)" cfr. lib. 1. C. 19; paedag. lib. 2. C. 10. — 11) Minut. Felix, Octav. C. 34: „Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur"; facta enumeratione per objecta

sen-

sualia concludit: „Exspectandum nobis etiam corporis ver est" cfr. C. 38. — 12) Orig. in Matth. tom. 14. n. 9: „Audendum est igitur et dicendum futuri judicii tempus, spatium non desideraturum, sed quemadmodum resurrectio in puncto temporis, in oculorum nictatione futura dicitur, tale futurum judicium existimo (ἀλλ' ὡς ἡ ἀναστασις λεγεται γενεσθαι ἐν ἀτομῳ, ἐν ῥιπῃ ὀφθαλμων, οὑτως οἰμαι και ἡ κρισις)" cfr. tom. 17. n. 29; contr. Cels. lib. 4. n. 57; lib. 5. n. 18; n. 19—25; de princip. lib. 1. praef. n. 5; lib. 2. Cap. 10. n. 1; comparans n. 3. resurrectionem cum grano et refutans in select. in Ps. 1. objectionem ob 1 Cor. 15, 50. — 13) Cyprian. ad Jubaj.: „Nunquid eundem asserit Filium, — qui resurrectionem (carnis) per semetipsum initiaverit, et discipulis suis in eadem carne resurrectionem ostenderit." — 14) Arnob. adv. gent. lib. 2. C. 13: „Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram" confirmans per Platonis sententiam doctrinam istam. — 15) Lactant. institut. div. lib. 7. C. 20: „Resurgent mortui, de quibus judicium magnum idem ipse rex ac Deus (scil. Christus) faciet." — 16) Hilar. enarrat. in Ps. 63: „Qui — resurrectionem carnis abnegabit, sciet, non difficilem ejus instaurationem futuram ei, cui inchoatio prima sit facilis" cfr. in Ps. 2. et 51; comment. in Matth. Can. 5. — 17) Ephrem Syr. serm. in secund. Domini advent.: „Sedulo ac firmiter credamus omnes Domino, esse resurrectionem mortuorum et judicium, retributionemque bonorum pariter et malorum (ὁτι ἐστιν ἀναστασις νεκρων και κρισις, και ἀνταποδοσις των τε καλλων και των φαυλων) secundum divinas scripturas" cfr. de resurr. mortuor.; ad Joan. monach. — 18) Athan. contr. Arian. orat. 3: „In resurrectione (ἐν τῃ ἀναστασει) neque matrimonium ducunt, neque ducuntur, sed tales sunt, quales ipsi angeli (εἰσιν ὡς ἀγγελοι)." — 19) Basil. de spir. s. C. 19. n. 49: „Resurrectio a mortuis

(ἡ ἐκ νεκρων ἐξαναστασις) Spiritus virtute" — ep. 46. (al. 5.) ad virg. laps. C. 5: „Cogita diem extremum (την ἐσχατην ἡμεραν) — anxietatem, suffocationem, mortis horam, urgentem Dei sententiam, festinantes angelos, animum interea graviter perturbatum, et conscientia peccatrice amare excruciatum, seque miserabiliter ad ea, quae hic sunt, convertentem, ac ineluctabilem longae illius peregrinationis necessitatem" cfr. hom. 21., quod mund. non sit adhaer. C. 12; in hexaem. hom. 8. C. 8; hom. in Ps. 33. n. 11; hom. in Ps. 44. n. 2; comment. in Is. C. 10. n. 252; C. 13. n. 265. — 20) Cyrill. Hieros. catech. 4. C. 30: „Intellige, te cum hoc corpore judicandum a mortuis excitatum iri (ἐκ νεκρων ἐγερθησῃ)" et prolatis exemplis ait: „Nonne multo magis nos, multoque facilius ad vitam revocabimur (ἀναζησομεν)" citans Is. 26, 19; et Dan. 12, 2. et probans resurrectionem catech. 18. C. 3. ex potentia Dei; C. 4. ex ejus justitia; C. 5, 6. 7. et 8. ex exemplis naturae; C. 9. ex ipsa hominis generatione; C. 10. ex lunae decrementis et incrementis; C. 11—21. ex locis V. et N. T. — De extremo judicio ait catech. 15. C. 24: „Aderit igitur tunc in judicio Deus omnium Pater, assidente Jesu Christo et praesente Spiritu sancto" cfr. n. 22. et. 25. — 21) Greg. Naz. orat. 26. in plag. grand.: „Ad vitae quidem in Christo absconsae, verum postea simul cum ipso manifestandae resurrectionem ibunt, qui bona fecerunt, qui autem mala egerunt, ad resurrectionem judicii." — 22) Greg. Nyss. de anim. et resurr.: „Atqui et esse resurrectionem et non frustra eam esse (και εἰναι — την ἀναστασιαν και μη ματαιην εἰναι) credere oportet; videtur autem mihi per omnia sermo quoque apostolicus cum nostra de resurrectione opinione (τῃ κατ' ἡμας ὑποληψει της ἀναστασεως) concordare atque id ostendere, quod etiam nostra continet definitio, quae dicit: nil aliud esse resurrectionem, quam in antiquum statum et conditionem no-

strae restitutionem (μηδεν ἑτερον ειναι ἀναστασιν την εἰς το ἀρχαιον της φυσεως ἡμων ἀποκαταστασιν)" transiens ad objecta naturae cfr. orat. de mort.; in Christi resurr. orat. 3; de hominis opific. C. 21, 26. et 27. — 23) Ambros. in symb. Apost. C. 23: „Resurgent corpora nostra aut ad gloriam aut ad poenam in aeternum mansura. Cujus testes sunt Elias et Henoch, qui per tot annorum curricula et usque ad secundum Domini adventum in carne permanebunt; quod ita esse comprobat b. Job dicens: Scio ego, quod aeternus est, qui solvere me debet, super terram suscitare pellem meam, quae tolerat haec" cfr. C. 19—31; in hexaem. lib. 5. C. 23. inducit exemplum avis phoenicis; apolog. David prima C. 5; in Luc. 6, 9. 12. et 13; in ep. 1 ad Cor. 15; librum de fide resurrectionis integrum; respectu judicii extremi serm. 33. — 24) Epiphan. haer. 64: „Qui omnino ambigit de resurrectione, stultus est et desipiens" adducens plura s. scripturae loca ancorat. — 25) Chrysost. in Ps. 48. hom.: „Resurrectio est omnium communis: Resurrectio autem cum gloria est communis eorum, qui recte vixerunt" cfr. in Ps. 111. hom.; in ep. 1 ad Cor. C. 15; hom. 6. ad Phil. C. 2; hom. 2 ad Col. C. 1; hom. 41. — 26) Hieron. in Prov. C. 30: „Filius Dei — nostrae resurrectionis tempore descensurus est de coelo, ad judicandos vivos et mortuos" cfr. in Job C. 3; in Ezech. C. 37; in Nah. C. 2; in Matth. C. 10; ad Pamach. adv. error. Joan. Hieros. ep. 61; ad Paulin. ep. 103. C. 7; ad Eustoch. virg. C. 11. — 27) Augustin. sermm. de temp. serm. 3: „Resurrectionem veram humanae credimus carnis. — Siquis dixerit atque crediderit, corpora humana non resurrectura post mortem, anathema sit" cfr. serm. 162; de civ. Dei lib. 20. C. 14; C. 18. 20. et 21; lib. 22. C. 13—18; C. 19; de agon. christian. C. 27. et 32; enchir. ad Laurent. C. 54. 55. et 84; ep. 146. ad Consent.; de fid. et symb. C. 10. et 20; de symb. ad ca-

tech. lib. 2. C. 11. — 28) Theodoret. divin. decret. epit. lib. 5. de jud.: „Justum est ergo, ut corpora prius resurgant, deinde eorum, quae gesserunt, ab eis communiter ratio exigatur" cfr. ibidem de resurr.; in Ezech. sect. 15; in 1 ad Cor. C. 15. — 29) Greg. M. in Ezech. lib. 2. hom. 8. n. 7: „Ecce veteres ac novi patres uno sibi de resurrectione carnis concordant. Ecce ipse per se veritas prius voce docuit, quod de resurrectione carnis postmodum opere demonstravit: et tamen adhuc quorumdam infirmitas fidem non habet in domo fidei stans" probans per solem, arbores, semen et alia naturae signa; cfr. moral. lib. 14. C. 56. n. 75. et 76.

Summa omnium locorum haec est:

a) Datur resurrectio, Polycarp. Athenag. Theophil. Clem. Alex. Lactant. Greg. Nyss. Epiphan. Chrysost. Hieron.; futura, Clem. Rom. Minut. Felix, Orig.; carnis, Justin. Cyprian. Hilar. Augustin. Greg. M.; seu corporum, Tatian. Augustin. Theodoret.; seu mortuorum, Tertull. Arnob.; aut mortuorum carnis, Tertull. Ephrem; et quidem omnium hominum, Iren.; a mortuis, Basil.; ad gloriam, Chrysost.; vel ad poenam, Ambros.; quae resurrectio fit per Deum Patrem praesente et judicante Christo, Ignat. Lactant.; et apparente Spiritu sancto, Cyrill. Hieros.; hinc recte dicitur α) excitatio a mortuis cum corpore, Cyrill. Hieros.; β) in pristinum statum restitutio, Greg. Nyss.; γ) corporis ver, Minut. Felix;

b) quacum conjungitur judicium, Polycarp. Orig. Ephrem, Cyrill. Hieros. Ambros.; justissimum, Athenag.; et magnum, Lactant.; quod dicitur dies extremus, Basil.; in quo ratio exigetur, Theodoret.; et judicabitur in vivos et mortuos, Hieron.; de iis, prout vixerunt, Athenag.; unde fit retributio bonorum et malorum, Ephrem.

Ad Chiliasmum quod attinet; fautores ejusdem sunt Barnabas cap. 15; Hermas past. vir. 1; Papias in opere: *ἐξηγησις των κυριακων λογων*, quod deperditum; Justin. dial. c. Tryph.; Iren. adv. haer. lib. 5. C. 33. 34. 35. apud Euseb. hist. eccles. lib. 3. C. 28; Methodius sympos. dec. virg.; Lactant. instit. div. lib. 7. C. 14—27. Refutatores regni hujus millenarii sunt Clem. Alex. strom.; Orig. in princip. lib. 2. C. 11; prolog. in cant. cant.; comment. in Matth. append.; Dionys. Alex. apud Euseb. hist. eccles. lib. 7. C. 24; Epiphan. haer. 77; Basil. ep. 263. al. 74; Hieron. ad Hedib. ep. 150. quaest. 2; in Is. C. 54. 56. 63. et 66; in Jer. C. 31; in Ezech. C. 36; Augustin. de civ. Dei lib. 20. C. 7; aetate recentiori favent huic hypothesi Petersen, Bengel, Crusius, Lavater.

b) Concilia 1) constitut. apostol. lib. 5. C. 6: „Ipse enim nos excitabit (a mortuis, *ἡμας ἐγερει*) Deus omnipotens per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum secundum promissionem suam certissimam: excitabit (inquam) nos (*και ἀναστησει ἡμας*) cum caeteris omnibus, quicunque a primordio saeculi mortui sunt, tales, quales modo sumus, et in hac ipsa forma, qua nunc consistamus, ita, ut nihil mutilum aut mancum habeamus aut corruptum, siquidem incorrupti et integri resurgemus (*ἐπειπερ ἀφθαρτοι ἀναστησομεθα*). — Credimus praeterea resurrectionem futuram (*προς δε τουτοις πιστευομεν την ἀναστασιν γινεσθαι*)"; citantur libri Sybillini et fabula de ave phoenice. — 2) Concil. Nicaen. 1. in symb.: „Et (Christus) iterum venturus est, judicare vivos et mortuos (*και ἐρχομενον παλιν κρινακι ζωντας και νεκρους*)." — 3) Nicaen. 2: „Exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi." — 4) Lateran. 4. cap. 1: „(Christus) venturus in fine saeculi, judicaturus vivos et mortuos et redditurus singulis secundum opera sua tam reprobis, quam electis, qui omnes cum suis cor-

poribus resurgent, quae nunc gestant, — ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala"; conferatur symbol. apostolicum: „Inde (de coelis) venturus est (Christus), judicare vivos et mortuos. — Credo carnis resurrectionem (σαρκος ἀναστασιν) et vitam aeternam," et symb. Athanas. quod addit: „Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent (παραστησονται) cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem, et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam (εἰς ζωην αἰωνιον), qui vero mala, in ignem aeternum (εἰς το πυρ το αἰωνιον)."

Addenda et Corrigenda.

Quum omnes hujus operis plagulae bis nonnisi correctioni tradi potuerint; L. B. in iis vitiorum frequentiam benigne excusabit.

Pag. 13. l. 11. leg. Deus pag. 24. lin. 3. l. manifestationem p. 31. l. 26. l. independente p. 33. l. 5. l. Joan. 14. 17. 26; p. 33. l. 20. leg. unde p. 33. l. 27. supple: Jacobi p. 34. l. 2. leg. C. 5, 15. 16; p. 35. l. 31. leg. Paraclitus p. 43. l. 30. l. apostolicum p. 46. l. 27. supple: b) doctrinae etc. p. 57. 25. leg. ex p. 61. l. 31. leg. in 1 ad Tim. p. 64. l. 11. l. verbis p. 66. l. 5. leg. atque p. 76. l. 27. l. Totius p. 78. l. 15. leg. Ps. 98, 5: p. 86. l. 17. l. lit. 19: p. 88. l. 18. l. Is. 29, 15: p. 93. l. 21. l. omnipotens p. 96. l. 10. l. Judith 16, 16. 17. p. 96. l. 22. leg. Ps. 92 integr. Pag. 100. l. 26. l. datam p. 103. l. 21. l. huic p. 111. l. 3. l. חפץ p. 111. l. 4. l. ibi p. 113. l. 24. l. Est p. 120. l. 25. leg. Vers. 26. p. 122. l. 18. l. perfecte p. 131. l. 12. supple: venientem p. 131. l. 27. l. sed p. 135. l. 20. l. Joannes p. 137. l. 15. l. παντων p. 141. l. ult., leg. gubernare p. 142. l. 14. l. grammaticae peritus p. 143. l. 1. l. mea p. 150. l. 26. l. C. 5, ubi etc. p. 154. l. 12. l. Alex. p. 157. l. 6. l. Jesus p. 157. l. 9. l. maneat p. 162. l. 14. l. Duos p. 174. l. ult. l. strom. lib. 6. p. 185. l. 12. l. C. 4 p. 186. l. 17. l. Cyr. Alex. p. 200. l. 28. l. virtutes p. 203. l. penult. adde post angeli: hominibus exemplar p. 206. l. 23. adde post desiderant: angeli (ἄγγελοι) p. 208. l. 10. l. nostis p. 210. l. 12. l. Matth. 25, 31 p. 217. l. 14. l. 2 Reg. 19, 22 p. 219. l. 22. l. 2 ad Tim. p. 224. l. ult. l. Zach. 3, 1. 2; p. 231. l. 1. l. מלאכי p. 233. l. 30. l. Joan. 7, 20 p. 234. l. 14. l. potuerit p. 256. l. 16. l. C. 7 pro C. 1 p. 261. l. 23. l. conscientia p. 262. l. 24. l. Gen. 3, 23. 24. p. 267. l. 24. l. facere bonum p. 282. l. 7. l. Ideam — opinionem p. 282. l. 20. l. Hist. L. 5. C. 1—14 p. 283. l. 13. l. multiplicabo p. 284. l. 5. l. שילה p. 286. l. 3. odorabit p. 305. l. 20. l. צדקנו p. 312. l. 30. l. Christus p. 318. l. 10. leg. Fili p. 318. l. 31. l. signa et p. 323. l. 25. l. πολλους p. 324. l. 30. l. Τιμιδιος p. 330. l. 29. l. cfr. apolog. C. 21 p. 337. l. 26. l. peregrinatur p. 342. l. 7. l. Deut. 27 p. 342. l. 8. l. quasi maledictum p. 362. l. 31. l. ubi et p. 365. l. 7. l. per charitatem p. 365. l. 21. l. diversi p. 366. l. 14. l. ipsi p. 367. l. 10. l. protectione p. 367. l. 23. l. ad Gregor. fr. p. 368. l. 30. l. corrept. p. 369. l. 29. dele: anno 441. p. 376. l. 24. l. Matth. 3, 8 p. 376. l. 25. l. Facite p. 383. l. 27. l. contingere queat p. 389. l. 6. l. vocatur p. 389. l. 22. l. epp. lib. 2. p. 399. l. 6. l. promissum p. 401. l. 19. l. de gen. p. 402. l. 22. l. ut supra p. 404. l. 15. l. βαπτισμα p. 404. l. 29. l. conc. funebr. p. 410. l. 22. l. scriptum p. 411. l. 25. l. 5. rom. p. 414. l. 1. l. sanctificatur pag. 418. l. 10.

lege הַמַּעֲרָכָה p. 421. l. 24. l. Is. C. 62. p. 424. l. 30. l. Christum ipsis p. 428. l. 2. l. ante hunc p. 437. l. 8. l. in aeternum p. 438. l. 26. l. 1 ad Cor. p. 439. l. 21. l. post ignorassent adde: cum alter post alterum et manducaret et biberet; p. 440. l. 2. l. C. 11. p. 441. l. 17. l. ad Fab. p. 442. l. 21. l. delectentur p. 447. l. 28. l. s. synod. p. 451. l. 28. l. exhibeatur p. 453. l. 31. l. offerre, secundum quod p. 454. l. 16. l. προσφερομεν p. 456. l. 34. l. offerri p. 458. l. 22. l. tuam p. 476. l. 27. l. subjaceat p. 479. l. 18. l. solveritis p. 484. l. 9. l. in tantum limitatus p. 489. l. 12. l. quia p. 492. l. 34. l. can. 5. p. 497. l. ult. redundat uti p. 510. l. 33. l. alter alteri p. 511. l. 3. l. Moysis p. 515. l. 3. l. ep. 147 p. 528. l. 14. l. inde enascens p. 529. l. 12. l. Orig. p. 535. l. 29. l. C. 20, 10. p. 536. l. 35. l. 58 p. 538. l. 10. l. Ps. 33. p. 539. l. 11. l. dial. lib. 4. p. 541. l. ult. l. 5, 17. p. 551. l. 29. l. vos. p. 561. l. 5. l. eisque p. 565. l. 4. l. vita precibus p. 570. l. 24. l. Dan. 12, 2.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Goldwitzer, Franz Wenceslaus,

Compendium dogmatum christiano-catholicorum systematicum

Solisbaci 1824

Dogm. 421 m
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10398130-7